10
2-b
8

834

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
16 B
17

C. J
S. M
O. 6
N-19

10. 2 b. 8.

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
FAMILIÆ SACRÆ
EX ANTIQUIS MONUMENTIS COLLECTA

A B

ANTONIO SANDINO,

EJUSQUE POSTUMIS CURIS

Retractatior & auctior.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



PATAVII, Typis Seminarii, MDCCLV.

Apud Joannem Manfrè.

Superiorum permiſſu, & Privilegio.

ILLUSTRISS. *ac* REVERENDISS.

C O M I T I

PEREGRINO FERRO

CANONICO THEOLOGO PATAVINO

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

ANTONIUS SANDINUS.

SI quando Veteres viris ſummis Libros ſuos nuncuparunt, *tum demum hoc factum eſt, cum argumentum Libri perſonæ tali conveniret*. (1) Cui autem viro Hiſtoria Familiæ Sacræ, quæ ex Sacris Litteris præſertim de-

a 2 pro-

(1) Franciſcus Baconus de Verulamio lib. 1. de Augmentis ſcientiarum pag. 28. edit. Amſtelædam. 1694.

promitur, magis convenire, aptiuſque commendari poteſt, quam Tibi in Sacris Litteris verſatiſſimo, qui eas pro ſuggeſtu in Cathedrali Eccleſia tam erudite, tantaque cum laude & admiratione omnium interpretaris? Ego quidem certe divino quodam conſilio factum exiſtimo, ut cum primum ederem libellum hunc, nemini dicatum vellem: quod jam tum præſagiebat animus, fore aliquando, ut ſtudiorum meorum aptum æſtimatorem & judicem invenirem. Neque hoc ad gratiam dico. Non enim cujuſquam ego dignitatem ſolum atque amplitudinem ſpectandam puto, ſed profeſſionem in primis, mentis acumen, rectumque & exquiſitum de re, quæ in manibus eſt, judicium, quo Tu natura, ſtudio, exercitatione plurimum vales. Neque enim is es, qui ingenii,

quod

quod Tibi benigna parens natura liberaliſſime largita eſt, confidentia fretus, ſtudium, exercitationemque defugias: immo vero illud velut agrum natura ſua uberem feracemque excolis labore aſſiduo, ut Tibi majore cum foenore fructus reddat. Quare non ſolum id temporis, quod Tibi ex Eccleſiaſtico tuo quotidiano munere ſupereſt, in eruditionem parandam confers, ſed etiam ſomno identidem & honeſtis animi relaxationibus horas ſurripis, quas honeſtius pariter & utilius in ſtudia impendas. Teſtis illa tua Bibliotheca non tam multis, quam optimis libris inſtructa, quam Tibi ipſe adornaſti, inque dies magis magiſque adornas non ad pompam, ſed ad lectionem, non in ſpectaculum, ſed in ſtudium, in qua quidem comparanda illud etiam ſpectaſti, ut Tui unius im-

penſa foret, uſus multorum. Huc accedit, quod hoc meum erga Te officium valde probavit EMINENTISSIMUS PRINCEPS CAROLUS CARDINALIS REZZONICUS Epiſcopus noſter, quem cum appello, Epiſcopum appello probatiſſimum, & cum antiquis comparandum, cui Patavina *Cathedra* a BENEDICTO XIV. acerrimi judicii Pontifice oblata *oneris eſt*, *non honoris*; *operis*, *non nominis*; *virtutum denique*, *non divitiarum*. (1) Neque dubitavi, quin probaret. Novi enim ſimul ejus in Te voluntatem, ſimul de Tua virtute opinionem: cum Te idoneum dignumque eſſe judicarit, qui ſibi in obeunda Diœceſi, hoc eſt in re graviſſima præſto eſſes, Teque glorioſi laboris & Apoſtolicæ diligentiæ ſuæ teſtem ac ſocium eſſe voluerit. Proba-

(1) S. Bernardus epiſt. 428. ad Lûcanum Epiſcopum §. 1. pag. 380.

babis igitur etiam Tu, qui Te ſingis quotidie ad exemplum ſapientiſſimi Epiſcopi, & hoc exiguum obſequii in Te mei pignus æquo libentique animo accipies. Vale diu, meumque erga Te ſtudium atque obſervantiam hac mea qualicumque ſignificatione majorem puta.

AD LECTOREM.

QUI ſuperiore anno Apoſtolorum Hiſtoriam inter rogantem & reſpondentem diviſam, retractatiorem & auctiorem emiſi; idem nunc ſtudioſis Adoleſcentibus, quibus antea laboraram, meam operam iterum poſtulantibus, Hiſtoriam Familiæ Sacræ eodem modo retractatam, auctam, & explicatam exhibeo. Redegi hanc, ut illam, in pauca. Quoties enim ad faſtidium legentium reſpicio, dum intelligatur quid ſcribam, maximam ſcribendi laudem puto eſſe brevitatem. Primum narro de Chriſto Domino humani generis Salvatore, deinde de Maria Virgine ejus matre, poſtremo de Joſepho Virginis ſponſo. Utor autem ſæpiſſime in narrando verbis ipſis hominum veterum ac Patrum graviſſimorum, quia horum ſermo plus habet auctoritatis & ponderis. Si quando ab recentioribus magnæ eruditionis ac famæ viris diſſentio, tunc verum invenire contendo, non tamquam adverſarium

ali-

aliquem convincere. Non reſpondet ad ſpem eventus, & iis ipſis in locis cæcutio, in quibus alios parum eſſe arbitror perſpicaces? (1) *& opto redargui me, & cupio refelli: ſiquidem* non vincimur, quando offeruntur nobis meliora, ſed inſtruimur. (2) *Optantem redargui, & cupientem refelli, ſi quid humana fragilitate peccaſſem, redarguit, ac refellit Fr. Hyacinthus Serry Primarius Theologus Patavinus editis Animadverſionibus Anticriticis. Sed quoniam arguendo refellendoque non attulit meliora iis, quibus ipſe refellitur: idcirco* dedit nobis occaſionem reſpondendi diſertitudini ſuæ. Poſſum remordere ſi velim, poſſum genuinum læſus infigere. Sed magis volo eſſe diſcipulus ejus, qui cum malediceretur, non maledixit, & poſt alapas, crucem, flagella, blaſphemias, noviſſime pro crucifigentibus deprecatus eſt dicens: *Pater ignoſce eis, quod enim faciunt, neſciunt.* Et ego ignoſco errori

Fra-

(1) Sunt hæc ipſiſſima verba editionis primæ, ex quibus vides, quam vere ſcriptum ſit in Supplementis ad Nova Acta Eruditorum, quæ Lipſiæ publicantur, tom. 2. ſect. 12. pag. 548. Sandinus *ſe iis ipſis in locis cæcutire fatetur, in quibus alios parum eſſe arbitretur perſpicaces.*

(2) S. Cyprianus epiſt. 71. ad Quintum pag. 274.

Fratris. (3) *Reſpondeo igitur, non remordeo, & novæ huic editioni nonnulla interſero, quibus illuſtrata veritas magis ac magis eluceſcat. Quam qui penitus noſſe deſiderant, quæſo, non eos pigeat utrumque legere, ſimul quod ſcriptum eſt in Hiſtoria Familiæ Sacræ, ſimul quod poſitum eſt in Animadverſionibus Anticriticis, & quid a me, & quid ab eo dicatur, collata diſputatione cognoſcere. Facile enim intelligent illud etiam, nullam fuiſſe viro Theologo cauſſam tantarum in me querelarum. Quod ſi ipſum ſolum rejicio, ceteris parco, quibus uſus eſt, ideo feci, quia putavi, quemadmodum ipſe omnium primus Exercitationes ſcripſit*, quibus Chriſtianæ religionis myſteria omnia ad certam hiſtoriæ fidem exiguntur, explicantur, defenduntur: *ita ipſum non tam facile admiſſurum fuiſſe tantæ laudis ſocios illos, quos numquam nominatim appellaſſet. Ego interim amicus veritatis non gravate feram, ſi iterum reprehendar, enixus alioquin diligentiſſime, ne quid excideret, quod reprehenderetur. Vale.*

(3) S. Hieronymus epiſt. 51. ad Domnionem pag. 400.

AU-

AUCTORIS VITA

A JOSEPHO RINALDI

S. Theol. Doct. Colleg. & Seminarii Patav. Studiorum Præf. paulo ante quam abiret ad plures,

JUSSU EMIN.

CARD. REZZONICI

Ep. Patav. conſcripta.

ANtonius Sandinus inſignis modeſtiæ cum inſigni doctrina conjunctæ luculentum exemplar, eoque pulchrius quo rarius, reliquit. Novis, agri Vicetini pago ad ripam Medoaci, parentibus honeſtis & piis natus eſt Idibus Juniis anni *1692.* In puero ſtatim exſplenduit docile ingenium, mite, aptum ad artes optimas. Eo commendatus, ut inter Seminarii Patavini Alumnos cum remiſſione aliqua penſionis annuæ reciperetur, facile obtinuit: magno cum fenore jam redditurus id beneficium, quod tunc accepiſſet. Ingreſſus tertio Cal. Novembr. an. 1707. totum ſe dedidit ſtudiis doctrinæ diligens attentuſque in officiis omnibus, in iis maxime, quæ ad pietatem ſpectarent. Ornatus politioribus litteris

cum

Digitized by Google

cum Latinis tum Græcis, Philoſophiam primum, deinde Juriſprudentiam arripuit; nec id interim prætermittens, quo ſe duci maxime a natura ſentiebat, ſtudium Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cum utraque conjunxit. In hac potiſſimum diſciplina, magiſtro uſus doctiſſimo Viro, Vincentio Fuga, avunculo ſuo, tantam de ſe exſpectationem movit, ut ille optimus ingeniorum æſtimator Georgius Cardinalis Cornelius minime dubitaverit nepotem ipſum avunculo ſucceſſorem jam tum deſignare. Annos natus tres & viginti, curſu ſcholaſtico jam confecto, geminum examen publicum ſubiit, alterum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in Seminario, Juris utriuſque alterum in Collegio Sacro; & re naviter utrobique geſta, in inferioribus Seminarii ſcholis, ex loci more, magiſterii tirocinium poſuit. Ab ea curatione ad illam ſibi jam deſtinatam perilluſtrem provinciam paulo poſt evocatus, opinioni omnium ingenio, diligentia, fide cumulate reſpondit. Ex eo ludo primum induſtriæ ſuæ fructum extulit anno 1726. publico certamini expoſitis diſſertationibus duodecim ex Eccleſiaſtica Hiſtoria deprompis: quo periculo feliciter functus, majus quoddam Opus moliri cœpit, & de univerſa Eccleſiaſtica Hiſtoria ad Scholarum uſum & commodum concinnanda, Seminarii Moderatoribus id ipſum optantibus, cogitare. Operis ejus partes alias aliis temporibus edidit: Hiſtoriam Apoſtolicam an. 1731. Hiſtoriam Familiæ Sacræ 1734. Vitas Pontificum Romanorum 1739. Omnes ſtudio

dio & approbatione hominum tanta, ut earum editio altera cœpta ſit minime longo temporis intervallo paſſim deſiderari. Ad eam adornandam aggreſſus, non facile dixerim, quam diligenter excuſſerit Vir patientiſſimus cum magnas vires induſtriæ ſuæ, tum ſupellectilem non exiguam Bibliothecæ noſtræ; cujus cuſtodiæ præfectus an. 1732. eo ſemper ſpectavit, ut illam lectioribus libris, ſe exquiſitiore doctrina locupletaret. Nova igitur eruditionis luce illuſtrata ejus Opera ex typographica Seminarii Patavini officina iterum exierunt Diſſertationes Hiſtoricæ retractatiores, aliiſque octo ejuſdem generis Diſputationibus cumulatæ, an. 1742. Hiſtoria Apoſtolica 1744. Hiſtoria Familiæ Sacræ 1745. Vitæ Pontificum Romanorum 1748. Horum Operum ſplendor Italia tota longe lateque diffuſus, mira felicitate in exteras quoque regiones, in Germaniam præſertim pervaſit, ubi, inter ceteros, duobus illis principibus Viris Joanni Bernardo, Epiſcopo Chryſopolitano, Herbipolitani Suffraganeo, & Sereniſſimo Lantgravio Aſſiæ Darmſtat. Epiſcopo & Principi Auguſtano adeo gratus affulſit, ut ambo eum ſtudioſiſſime ad ſuorum utilitatem & commodum propagandum putarint. Itaque tam illuſtrium Mæcenatum juſſu & auſpiciis, Sandiniana Opera Germanicis typis excudi cœperunt, Herbipoli anno 1736. Auguſtæ Vindelicorum anno 1748. qua in editione, ut ejus egregia voluntas, cujus auctoritate promulgabantur, poſſet eſſe teſtatior, titulum hunc prætulere,

Ba-

Baſis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad uſum Cleri Auguſtani. Auctori huic tanta paſſim doctrinæ laude & gloria florenti obtrectatores & Critici (fatum Scriptoribus fere omnibus perilluſtribus familiare) non defuerunt. Primus omnium cenſoriam virgulam in eum expedivit Fr. Hyacinthus Serry, Primarius Theologus Patavinus, provocatus alioquin a Sandino ipſo, qui in Hiſtoria Familiæ Sacræ veritatis aſſerendæ ſtudio impugnare non dubitaverat Exercitationes ejus Criticas *De Chriſto ejuſque Virgine Matre*. Scripſit igitur Theologus nobiliſſimus, ediditque anno 1735. Animadverſiones Anti-criticas in Hiſtoriam Sacræ Familiæ; quibus Animadverſionibus Antonius Sandinus in editione altera ejuſdem Hiſtoriæ illarum Auctore vita jam functo, ita demum occurrit, ut neſcias, utrum magis admirari debeas docilitatem ejus in retractandis nonnullis locis, an modeſtiam in iis defendendis, quæ tanti nominis Adverſarius paulo acerbius vexarat. In eandem cenſoriam palæſtram ingreſſi ſunt paulo poſt ii, qui Acta Eruditorum ſcribunt, quæ publicantur Lipſiæ; quorum criminationes (quæ leguntur in ſupplementis ad an. 1737. Tom. 2. ſect. 2. & 12.) Hiſtoricus noſter ſingillatim refellit in extrema parte Diſputationum Hiſtoricarum, paucis, ſed gravibus verbis oſtendens, ſe acutius atque acrius, quam illos ſuos ceteroquin oculeos cenſores vidiſſe. Reſtabat, ut ad ea reſponderet, quæ Chriſtophorus Gulielmus Franciſcus Walchius Profeſſor Jenenſis ediderat Lipſiæ an.

1749.

1749. adverſus diſputationem vigeſimam de Conſtitutione Ludovici Pii ad S. Paſchalem I. ſed eam reſponſionem a Walchio ipſo, ut conſtat ex ejus humaniſſimis litteris ad Sandinum datis, non modo expetitam, ſed etiam efflagitatam ſubita Auctoris mors intercepit. Contigit hæc VII. Cal. Mart. an. 1751. nocte ipſa proxima Vigiliæ S. Matthiæ Apoſtoli, qua nocte cum is a cœna integris plane viribus cubitum diſceſſiſſet, tanta vi morbi, inteſtinis repente prolapſis, correptus eſt, ut paucis poſt horis, quam diſcubuerat, humana ope fruſtra implorata, e vita migrarit. Fuit hoc luctuoſum omnibus; Seminario in primis, cui maxime patuit, quantum lumen non modo eruditionis atque doctrinæ, ſed etiam humanitatis, probitatis, virtutis morte tam ſubita extinctum eſſet. Ab omnibus Ephemeridum rei litterariæ Scriptoribus Viri immortalitate digniſſimi & complorata mors eſt, & vita laudata; ſed omni laudatione & præconio majora fuerunt indicia illa manifeſti doloris, quibus Benedictus XIV. feliciter regnans triſtem nuntium mortui inopinanter acceptum proſecutus eſt: ſolitus antea vivi ſcripta non legere modo ac probare, ſed locos etiam non unos decerpere, quos doctiſſimis ſuis Operibus, pro ut res ferebat, infereret. Ceterum tam ſubitus caſus cuivis improviſior accidit, quam Sandino ipſi, qui ſe ad omnem eventum tanto ante paraverat contemptione humanarum rerum, ſtudio divinarum; quibus addictus omnia pietatis jura tam atten-

te

te ſervabat, ut ſatis ſcire non poſſes, utrum illam veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ præclaram imaginem, quam deſcribebat, melius exprimeret oratione, an vita. Ab otio quam maxime abhorrens perire omne tempus arbitrabatur, quod aut divinis rebus, aut litteris non impertiret. Patiens admirandum in modum ferè dies totos in Bibliotheca ad pluteum ſedebat. Severus & gravis nugas omnes, quibus ſtudia ſua turbarentur, fugabat: idem facilis & benignus eorum ſtudiis, & commodis inſerviebat, qui operam ſuam poſtularent. Verborum parcus, audiendis eorum ſermonibus, unde aliquid diſci poſſet, libenter vacabat. Quidvis autem, quam laudes ſuas, audire malebat, ſolitus pudore ipſo, quo facile ſuffundebatur, prima ſtatim verba repellere. Nemini præponebat ſe, & quod vix credibile videatur, adeo rebus non plaudebat ſuis, ut eos ſtudioſiſſime quæreret, a quibus acriter caſtigarentur, paratus ad eorum arbitrium & nutum non ſolum mutare, ſed etiam delere tranſverſo calamo quæcumque ſcripſiſſet. Crebro uſurpabat ſcitum illud Auguſti Cæſaris σπεῦδε βραδέως (*feſtina lente*) eique inſiſtens ſemper aliquam lineam, nec eam interim niſi diu meditatus ducebat. Ad hunc canonem affabre elaboravit omnes Hiſtorias ſuas, adeo veritatis diligens, ut piaculo ſimile exiſtimaret, ſi quid aſſereret ſine Auctore, aut ſi quem Auctorem, non aditis prius perſpectiſque ipſis fontibus, appellaret. His virtutibus Antonius Sandinus paſſim invenit laudem, gra-

tiam,

tiam, benevolentiam; cujus teſtimonia cum ab aliis clariſſimis viris, tum præcipue ab Eminentiſſimo Carolo Cardinali Rezzonico, bonorum omnium Mæcenate & Patrono amantiſſimo, & multa accepit, &, pro animi ſui incredibili moderatione, magna; majora accepturus, niſi Superi eum feſtinatione tanta ad meliora evocaſſent.

b PRÆ-

PRÆCIPUI AUCTORES

Qui Symbolam contulerunt.

A

ALexander *Natalis*. Hiſtoria Eccleſiaſtica. *Pariſiis* 1714. *in fol.*

Commentarius in Epiſtolas S. Pauli. *Rothomagi* 1710. *in fol.*

Ambroſius S. Opera ſtudio & labore Monachorum Ordinis S. Benedicti, e Congregatione S. Mauri. *Pariſiis* 1686. *in fol.*

Antoninus S. Chronicon. *Nurembergæ* 1484. *in fol.*

Aquinas *Thomas* S. Summa Theologica notis hiſtoricis & dogmaticis illuſtrata per Joannem Nicolai. *Lugduni* 1686. *in fol.*

Opera omnia. *Romæ* 1570. *in fol.*

Athanaſius S. Opera GL. ſtudio Monachorum Ordinis S. Benedicti, e Congregatione S. Mauri. *Pariſiis* 1698. *in fol.*

Auctor Operis imperfecti. *Extat* ad calcem Homiliarum S. Chryſoſtomi in Matthæum *pag.* 759.

Auguſtinus Aurelius S. Opera ſtudio Monachorum S. Mauri. *Pariſiis* 1689. *in fol.*

B

BAronius *Cæſar*. Annales Eccleſiaſtici. *Coloniæ* 1609. *in fol.*

Martyrologium Romanum illuſtratum. *Venetiis apud Juntas* 1630. *in fol.*

Baſilius S. Magnus Cæſarienſis. Opera GL. ſtudio Juliani Garnier. *Pariſiis* 1721. *in fol.*

Baſnagius *Samuel*. Annales Politico-Eccleſiaſtici. *Roterodami* 1706. *in fol.*

Beda Venerabilis. Opera. *Coloniæ* 1683. *in fol.*

Bellarminus *Robertus*. Opera. *Venetiis* 1721. *in fol.*

Bernardus S. Opera tertiis curis Joannis Mabillon. *Pariſiis* 1719. *in fol.*

Biblia ſacra cum gloſſa interlineari, ordinaria, & Nicolai Lyrani poſtilla &c. *Venetiis* 1588. *in fol.*

Bibliotheca Maxima veterum Patrum, & antiquorum Scriptorum Eccleſiaſticorum. *Lugduni* 1677. *in fol.*

Binghamus *Joſephus*. Origines, ſive Antiquitates Eccleſiaſticæ. *Halæ* 1724. *in* 4.

Bol-

Bollandus Joannes. Acta Sanctorum. *Antuerpiæ* 1643. *in fol.*
Et *Venetiis* 1734. *in fol.*
Bonaventura S. Opera omnia. *Lugduni* 1668. *in fol.*
Bona *Joan. Cardinalis*. Opera omnia. *Antuerpiæ* 1692. *in fol.*
Burcardus, ſeu Brocardus de monte Sion. Deſcriptio Terræ Sanctæ, & Ægypti. *Exſt.* in Antiquis Lectionibus Caniſii *tom.* 4. *pag.* 1. & 25.
Bzovius *Abrahamus*. Continuatio Annalium Baronii. *Coloniæ* 1616. *in fol.*

C

CAlmet *Auguſtin*. Commentaire ſur les livres de l'Ancien & du Nouveau Teſtament. *A Paris* 1724. *fol.*
Caniſius *Henricus*. Theſaurus monumentorum Eccleſiaſticorum, & Hiſtoricorum, ſive Lectiones antiquæ auctæ a Jac. Baſnage. *Amſtel.* 1725. *in fol.*
Capiſuccus *Raimundus*. Controverſiæ Theologicæ ſelectæ. *Romæ* 1670. *in fol.*
Caſaubonus *Iſaacus*. Exercitationes ad Baronii prolegomena in Annales, & primam eorum partem. *Genevæ* 1655. *in* 4.
Cave *Gulielmus*, Scriptorum Eccleſiaſticorum hiſtoria litteraria. *Genevæ* 1705. *in fol.*
Cedrenus *Georgius*. Compendium Hiſtoriarum GL. *Venetiis* 1729. *in fol.*
Ceillier *Remy*. Hiſtoire Generale des Auteurs ſacres & Eccleſiaſtiques. *A Paris* 1729. *in* 4.
Chifletius *Joan. Jacobus*. De linteis Sepulcralibus Chriſti Servatoris. *Antuerpiæ* 1624. *in* 4.
Chronicon Paſchale, ſeu Alexandrinum GL. ſtudio Caroli du Freſne. *Venetiis* 1729. *in fol.*
Et in Maxima Bibliotheca Patrum *tom.* 12. *pag.* 867.
Chryſologus *Petrus* S. Sermones. *Exſt.* in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi *tom.* 7. *pag.* 844.
Chryſoſtomus *Joannes* S. Opera GL. Cura Frontonis Ducæi. *Pariſiis* 1636. *in fol.*
Expoſitio perpetua in Novum Teſtamentum GL. *In Bibliopolio Commeliniano* 1617. *in fol.*
Clemens Alexandrinus. Opera GL. *Coloniæ* 1688. *in fol.*
Clemens S. Epiſtolæ duæ ad Corinthios GL. *Cantabrigiæ* 1718. *in* 8.
Collectio veterum Patrum Brixianæ Eccleſiæ. *Brixiæ* 1738. *in fol.*
Cotelerius *Joan. Baptiſta*. SS. Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, opera illuſtrata. *Amſtelædami* 1724. *in fol.*

 Cri-

Critici Sacri Joannis Pearſon. *Amſtelodami* 1698. *in fol.*
Cyrillus Alexandrinus. Opera. *Pariſiis* 1604. *in fol.*
Cyrillus Hieroſolymitanus S. Opera GL. *Pariſiis* 1720. *in fol.*
Cyprianus *Cæcilius* S. Opera recognita & illuſtrata a Baluzio & Monacho S. Mauri. *Venetiis* 1728. *in fol.*
Recognita & illuſtrata a Joanne Fello; accedunt Annales Cyprianici Pearſonii, & Diſſertationes Cyprianicæ Dodvvelli. *Amſtel.* 1700. *in fol.*

D

DAcherius *Lucas*. Spicilegium veterum Scriptorum. *Pariſiis* 1723. *in fol.*
Damaſcenus *Joannes* S. Opera GL. ſtudio Michaelis Lequien. *Pariſiis* 1712. *in fol.*
Et interprete *Jacobo Billio*. *Ibid.* 1577. *in fol.*
Damiani *Petrus* S. Opera cum notis Conſtantini Cajetani. *Pariſiis* 1743. *in fol.*
Dionyſius Areopagita. Opera GL. *Lutetiæ* 1644. *in fol.*
Ducangius *Carolus*. Gloſſarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis ſtudio Monachorum e Congregatione S. Mauri. *Pariſiis* 1733. *in fol.*
Ejuſdem Gloſſarium ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis. *Lugduni* 1688. *in fol.*
Dupin *Ludovicus Ellies*. Nouvelle Bibliotheque des auteurs Eccleſiaſtiques. *A Paris* 1690. *in* 4.
Durandus *Gulielmus*. Rationale divinorum Officiorum. *Venetiis* 1572. *in* 4.

E

EPhræm Syrus S. Opera interprete Gerardo Voſſio Bouchlovio. *Romæ* 1589. *in fol.*
Epiphanius S. Opera GL. illuſtrata a Petavio. *Pariſiis* 1622. *in fol.*
Eſtius *Gulielmus*. Annotationes in præcipua ac difficiliora Sacræ Scripturæ loca. *Antuerpiæ* 1699. *in fol.*
Commentaria in Epiſtolas D. Pauli. *Coloniæ* 1631. *in fol.*
In quatuor libros Sententiarum. *Neapoli* 1720. *in fol.*
Euſebius. Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. cum interpretatione ac notis Valeſii. *Pariſiis* 1678. *in fol.*
Et Joanne Chriſtophorſono interprete. *Coloniæ* 1570. *in fol.*
Demonſtratio Evangelira GL. cum interpretatione & notis R. M. *Coloniæ* 1688. *in fol.*
Euthymius Zigabenus Monachus. Commentaria in quatuor Evan-

Evangelia. *Exſt.* in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi *tom.* 19. *pag.* 475.

F

FAbricius *Joannes Albertus*. Bibliotheca Eccleſiaſtica. *Hamburgi* 1718. *in fol.*
Codex Apocryphus Novi Teſtamenti. *Ibidem.* 1719. *in* 8.
Bibliographia antiquaria. *Ibid.* 1716. *in* 4.
Delectus argumentorum, & ſyllabus ſcriptorum, qui veritatem Religionis Chriſtianæ aſſeruerunt. *Ibid.* 1725. *in* 4.
Ferrerius *Vincentius* S. Opera edita ſtudio Caſpari Erhard. *Auguſtæ Vindelicorum* 1729. *in fol.*
Florentinus *Franc. Maria*. In Martyrologium Hieronymianum. *Lucæ* 1668. *in fol.*
Fronto *Joannes*. Epiſtolæ, Diſſertationes Eccleſiaſticæ, Calendarium. *Veronæ* 1733. *in* 8.

G

GAudentius S. Brixianus E. Sermones. *Exſt.* in Collectione veterum Patrum Brixianæ Eccleſiæ *pag.* 217.
Gotti *Vincentius Ludovicus*. Veritas Religionis Chriſtianæ. *Romæ* 1735. *in* 4.
La Vera Chieſa. *Bologna* 1719. *in* 4.
Grabius *Joannes Erneſtus*. Spicilegium SS. Patrum. *Oxoniæ* 1714. *in* 8.
Gregorius Magnus S. Opera ſtudio Monachorum S. Mauri. *Pariſiis* 1705. *in fol.*
Gretſerus Jacobus. Opera. *Ratisbonæ* 1734. *in fol.*

H

HArduinus. *Joannes*. Conciliorum collectio regia maxima. *Pariſiis* 1715. *in fol.*
De Baptiſmo quæſtio triplex. De baptiſmo pro mortuis. De baptiſmo in vino. De baptiſmo in nomine Chriſti. *Pariſiis* 1688. *in* 4.
Hieronymus S. Opera. *Pariſiis* 1643. *in fol.*
Hilarius S. Opera ſtudio Monachorum S. Mauri. *Veronæ* 1738. *in fol.*
Hippolytus S. Epiſcopus & Martyr. Opera. *Hamburgi* 1716. *in fol.*
Huetius *Petrus Daniel*. Origeniana præpoſita Origenis commentariis in Sacras Scripturas editis. *Rothomagi* 1668. *in fol.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I

JAnſenius *Cornelius* Epiſcopus Gandavenſis. Commentaria in ſuam Concordiam, ac totam Hiſtoriam Evangelicam. *Lugduni* 1590. *in fol.*

Joſephus Flavius. Opera GL. ſtudio Havercampi. *Amſtel.* 1726. *in fol.*

Irenæus S. Opera GL. illuſtrata per Joan. Erneſtum Grabe. *Oxoniæ* 1702. *in fol.*

Iſidorus S. Peluſiota. Epiſtolæ GL. ex interpretatione Jac. Billii. *Pariſiis* 1638. *in fol.*

Juſtinus S. Martyr. Opera GL. ſtudio Federici Sylburgii. *Coloniæ* 1686. *in fol.*

Et opera ac ſtudio unius e Monachis Congregationis S. Mauri. *Pariſiis* 1742. *in fol.*

L

LAbbe *Philippus*. Sacroſancta Concilia ad regiam editionem exacta. *Pariſiis* 1672. *in fol.*

Nova Bibliotheca Manuſcriptorum Librorum continens Hiſtorias, Chronica &c. *Pariſiis* 1657. *in fol.*

Lactantius Firmianus. Opera cum notis variorum ſtudio Servatii Gallæi. *Lugd. Bat.* 1660. *in* 8.

De Mortibus perſecutorum cum notis Baluzii, & variorum cura Pauli Bauldri. *Trajecti ad Rhenum* 1693. *in* 8.

Lambertinis *Proſper Cardinalis de*, nunc ſummus Pontifex *Benedictus XIV.* De Servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione. *Patavii typis Seminarii*. 1743. *in fol.*

De D. N. Jeſu Chriſti, Matriſque ejus feſtis. *Ibid.* 1745. *in fol.*

Launojus *Joannes*. Opera. *Coloniæ* 1731. *in fol.*

Leo S. Magnus. Opera cum notis & diſſertationibus Paſchaſii Queſnel. *Lugduni* 1700. *in fol.*

Lipſius *Juſtus*. Opera omnia. *Antuerpiæ* 1637. *in fol.*

Lupus *Chriſtianus*. Opera. *Venetiis* 1724. *in fol.*

M

MAbillonius *Joannes*. Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti in Sæculorum claſſes diſtributa. *Lutetiæ* 1668. *in fol.*

Muſeum Italicum. *Ibid.* 1687. *in* 4.

De Liturgia Gallicana. *Pariſiis* 1685. *in* 4.

Maldonatus *Joannes*. Commentarii in quatuor Evangeliſtas. *Venetiis* 1597. *in fol.*

Ma-

Marianus Scotus Monachus Fuldenſis. Chronicorum Libri III. *Exſt.* inter Scriptores rerum Germanicarum Piſtorii *tom.* 1. *pag.* 448.

Marie *Honore* de Sainte. Reflexions ſur les Regles, & ſur l' uſage de la Critique. *A Paris* 1713. *in* 4.

Menologium Græcorum ex interpretatione Gulielmi Cardinalis Sirleti. *Exſt.* in Antiquis lectionibus Caniſii *tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 409.

Aliud juſſu Baſilii junioris Imp. conſcriptum. *Exſt.* apud Ughellum *tom.* 10. Italiæ *part.* 2. *pag.* 245.

Muratorius *Ludovicus*. Anecdota. *Mediolani* 1642. *in* 4.

Mountacutius *Richardus*. Origines Eccleſiaſticæ. *Londini* 1640. *in* 4.

N

NAzianzenus *Gregorius* S. Opera GL. *Lutetiæ* 1609. *in fol.*

Nicephorus Calliſtus. Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. interprete Lango, recognita a Frontone Ducæo. *Lutetiæ* 1630. *in fol.*

Nicquetus *Honoratus*. Titulus S. Crucis, ſeu hiſtoria & myſterium tituli S. Crucis. *Antuerpiæ* 1670. *in* 12.

O

ORigenes Adamantius, Opera GL. ſtudio Caroli Delarue. *Pariſiis* 1733. *in fol.*

Eadem Latine. *Baſileæ* 1571. *tom.* 2. *in fol.*

In ſacras ſcripturas commentaria ex editione Petri Danielis Huetii. *Rothomagi* 1668. *in fol.*

Oroſius *Paulus*. Hiſtoriarum libri cum animadverſionibus Sigeberti Havercampi. *Lugd. Bat.* 1738. *in* 4.

Oudinus *Caſimirus*. Commentarius de Scriptoribus Eccleſiæ antiquis illorumque ſcriptis. *Francofurti* 1721. *in fol.*

P

PAulinus S. *Pontius* Nolanus. Opera ſtudio Joannis Baptiſtæ le Brun. *Pariſiis* 1685. *in* 4.

Pearſon *Joannes*. Critici Sacri. *Amſtelodami* 1698. *in fol.*

Peluſiota *Iſidorus*. Epiſtolarum libri V. GL. *Pariſiis* 1638. *in fol.*

Petavius *Dionyſius*. Theologica dogmata. *Lutetiæ* 1644. *in fol.*

Philaſtrius S. Brixianus E. De hæreſibus. *Exſt.* in Collectione veterum Patrum Brixianæ Eccleſiæ *pag.* 1.

Pho-

Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Bibliotheca GL. *Rothomagi* 1653. *in fol.*
Nomocanon cum Commentariis Theodori Balſamonis. *Lutetiæ* 1615. *in* 4.
Pirrus *Roccus*. Sicilia Sacra diſquiſitionibus & notitiis illuſtrata. *Panormi* 1733. *in fol.*
Piſtorius *Joannes*. Rerum Germanicarum Scriptores. *Ratiſponæ* 1731. *in fol.*
Proſper Aquitanicus S. Opera omnia. *Pariſiis* 1611. *in fol.*

R

RAdbertus S. *Paſchaſius*. Opera in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi *tom.* 14. *pag.* 352.
Rivo *Radulphus de*. De Canonum obſervantia. *Exſt.* in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi *tom.* 26. *pag.* 289.
Rocca *Angelus*. Opera omnia. *Romæ* 1719. *in fol.*
Rufinus Aquilejenſis Presbyter. Interpretatio Euſebii. *Baſileæ* 1544.
Vitæ Patrum. *Exſtant* in Vitis Patrum Roſvveydi *pag.* 424.
Rupertus Abbas Tuitienſis. Opera. *Coloniæ Agrippinæ*. 1577. *in fol.*

S

SAlmeron *Alfonſus*. Commentarii in Evangelicam Hiſtoriam. *Coloniæ Agrippinæ* 1602. *in fol.*
Sedulius *Cælius*. Poemata. *Exſt.* in corpore Poetarum Latinorum edit. *Londini* 1713. *in fol. vol.* 2. *pag.* 1660.
Serry *Jac. Hyacinthus*. Exercitationes Hiſtoricæ, Criticæ, Polemicæ de Chriſto, ejuſque virgine matre. *Venetiis* 1729. *in* 4.
Animadverſiones Anticriticæ. *Pariſiis* 1735. *in* 8.
Sigebertus Monachus Gemblacenſis. Chronographia. *Exſt.* inter Scriptores rerum Germanicarum Piſtorii *tom.* 1. *pag.* 689.
Sirmondus *Jacobus*. Opera varia. *Venetiis* 1728. *in fol.*
Sixtus Senenſis. Bibliotheca Sancta. *Venetiis* 1566. *in fol.*
Socrates Scholaſticus, & Hermias Sozomenus. Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. cum interpretatione ac notis Valeſii. *Pariſiis*. 1686. *in fol.*
Suarez Franciſcus. Commentaria ac diſputationes in 3. partem D. Thomæ tomus II. ubi agitur de myſteriis vitæ Chriſti. *Venetiis* 1594 *in fol.*

Sui-

Suidas. Lexicon GL. ex editione Ludolphi Kuſteri. *Cantabrigiæ* 1705. *in fol.*
Sulpitius Severus. Opera. *Lipſiæ* 1709. *in* 8.
Synopſis Criticorum, aliorumque Sacræ Scripturæ Interpretum. *Ultrajecti* 1686. *in fol.*

T

TErtullianus. Opera cum annotationibus Nic. Rigaltii. *Lutetiæ* 1675. *in fol.*
Et cum Jacobi Pamelii annotationibus. *Pariſiis* 1608. *in fol.*
Theophylactus. Commentarii GL. in quatuor Evangelia. *Lutetiæ* 1635. *in fol.*
In Epiſtolas D. Pauli, *Londini* 1636, *in fol.*
Thomaſſinus *Ludovicus*. Commentarius de dierum feſtorum celebratione, *Exſt.* cum Guyeto de Feſtis. *Venetiis* 1729. *in fol.*
Tillemont Le Nain *Sebaſtien* de. Memoires pour ſervir a l' Hiſtoire Eccleſiaſtique des ſix premiers ſiecles. *Paris* 1701. *in* 4.
Toſtatus *Alfonſus* Abulenſis E. Opera in S. Scripturam. *Venetiis* 1615. *in fol.*
Turonenſis Gregorius S. Opera ſtudio Theodorici Ruinart. *Lutetiæ* 1699. *in fol.*

V

VAvaſſor *Franciſcus*. Opera omnia. *Amſtelodami* 1709. *in fol.*
Venantius Fortunatus. Opera. *Exſt.* in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi *tom.* 10. *pag.* 520.
Voſſius *Gerardus Joannes*. Opera. *Amſtelodami* 1695. *in fol.*
Walafridus *Strabo*. De rebus Eccleſiaſticis. *Exſt. tom.* 15. Bibl. Patrum *pag.* 181.

Z

ZOnaras *Joannes*. Annales GL. *Venetiis* 1729. *in fol.*

DE

DE

CHRISTO DOMINO

Humani Generis Salvatore.

Cap. I. DE *Conceptione & Nativitate Chriſti.* *pag.* 3

Cap. II. *De Circumciſione Chiſti.* 23

Cap. III. *De Magis, qui Bethleemum ad Chriſtum adorandum ſe contulerunt.* 28

Cap. IV. *De Chriſti Præſentatione in Templo, ejuſque fuga in Ægyptum.* 47

Cap. V. *De infantibus pro Chriſto ab Herode interfectis.* 56

Cap. VI. *De ratione & inſtituto vitæ Chriſti uſque ad annum ætatis ejus trigeſimum.* 61

Cap. VII. *De Baptiſmo Chriſti.* 66

Cap. VIII. *De jejunio & tentatione Chriſti.* 76

Cap. IX. *De ratione victus, & veſtitus Chriſti poſt baptiſmum.* 80

Cap. X. *De Miraculis Chriſti.* 88

Cap. XI. *De Prædicatione Chriſti.* 105

Cap. XII. *De Paſchatis a Chriſto celebratis, & Euchariſtia ab ipſo inſtituta.* 119

Cap. XIII. *De Paſſione, Morte, & Sepultura Chriſti.* 136

Cap. XIV. *De Chriſti tortoribus, & latronibus crucifixis cum eo.* 180

Cap. XV. *De inſtrumentis paſſionis ac mortis Chriſti.* 200

Cap. XVI. *De Chriſti reſurrectione, & aſcenſu ejus in Cælum.* 221

Cap. XVII. *De forma, & ſtatura Corporis Chriſti.* 245.

Cap. XVIII. *De ſtatua Chriſto poſita in Urbe Panea-*

neade ab Hæmorrhoiſſa. 252
Cap. XIX. *De imaginibus Chriſti non manu factis.* 259
Cap. XX. *De ſcriptis, & dictis Chriſti.* 277
Cap. XXI. *De Scriptoribus profanis, qui de Chriſto meminerunt.* 281

DE MARIA VIRGINE

Chriſti Matre.

Cap. I. *De genere Mariæ Virginis.* pag. 293
Cap. II. *De Conceptione, & Nativitate Mariæ Virginis.* 301
Cap. III. *De Mariæ Virginis Præſentatione in Templo, ejuſque Deſponſatione cum S. Joſeph.* 309
Cap. IV. *De Annuntiatione, & Viſitatione B. Mariæ Virginis.* 321
Cap. V. *De Partu, & Purificatione Mariæ Virginis.* 335
Cap. VI. *De Maria Virgine a Purificatione uſque ad mortem.* 345
Cap. VII. *De morte, & Aſſumtione Mariæ Virginis.* 351
Cap. VIII. *De ſtatura, forma, & ſcriptis B. Virginis.* 372

DE SANCTO JOSEPH

Mariæ Virginis ſponſo, Chriſti Patre. pag. 377

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. *Franceſco Maria Mantova* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di Padova nel libro intitolato: *Hiſtoria Familiæ Sacræ ex antiquis Monumentis collecta ab Antonio Sandino ejuſque poſtumis curis auctior &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Giovanni Manfrè* Stampatore di Venezia, che poſſa eſſere ſtampato oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 8. Luglio 1754.

(*Jo. Alviſe Mocenigo II. Ref.*
(*Daniel Bragadin Cav. Proc. Refor.*

Regiſtrato in libro a car. 53. al num. 393.

Giacomo Zuccato Seg.

Addì 13. Luglio 1754.
Reg. nel Mag. Eccel. degli Eſecut. contro la Beſtemmia.

Gio: Battiſta Battiſti Seg.

DE

DE
CHRISTO
DOMINO
HUMANI GENERIS
SALVATORE.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

1. *Quid intelligis nomine Chriſti?*

℞. CHriſtus nomen eſt Dei & hominis, unius ſcilicet Perſonæ, in qua divina & humana natura conjuncta eſt. (1) Natus eſt, vixitque in Judæa excellens omni genere virtutis, & miraculorum gloria potens, utque a peccati ſervitute redimeret humanum genus, Judæam provinciam adminiſtrante Pilato, cruci affixus mortem ſubiit. Die

(1) S. Auguſtinus in Joan. tract. 7. §. 13. *Meſſias hebraice, Chriſtus græce eſt, latine unctus. Ab unctione enim dicitur Chriſtus.*

Idem

Die tertio rediit ad vitam, & quadrageſimo aſcendit ad Cælos.

2. *Cujus filius eſt?*

℞. Ut Deus ex Deo Patre ante omnium ſæculorum ætates genitus eſt: ut homo natus in tempore ex matre Maria Virgine. (2) Divinam gene-

Idem tract. 12. §. 8. *Duæ nativitates Chriſti intelliguntur, una divina, altera humana; una per quam efficeremur, altera per quam reficeremur: ambæ mirabiles: illa ſine matre, iſta ſine patre.*

Et in Enchirid. cap. 35. §. 10. *Chriſtus Jeſus Dei filius, eſt & Deus & homo. Deus ante omnia ſæcula, homo in noſtro ſæculo. Deus, quia Dei Verbum*, Deus *enim* erat Verbum: *homo autem, quia in unitatem perſonæ acceſſit Verbo anima rationalis & caro. Quocirca in quantum Deus eſt, ipſe & Pater unum ſunt: in quantum autem homo eſt, Pater major eſt illo. Cum enim eſſet unicus Dei filius non gratia, ſed natura, ut eſſet etiam plenus gratia, factus eſt & hominis filius: idemque ipſe utrumque ex utroque unus Chriſtus.*

Et alius apud eumdem Auguſtinum de Symbolo ſerm. 4. ad Catechumenos cap. 4. §. 4. *Nativitatem illam primam, qua de Patre natus eſt ſine aliqua matre, quis enarrabit? .... De hac tamen ſecunda mira & ineffabili dicamus aliquid, quod factum eſt pro nobis, ut Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Quis enim non expaveſcat, cum audit Deum natum? Audis naſcentem, vide in ipſo ortu miracula facientem. Alvus tumeſcit virginis, clauſtrum pudoris permanet: impletur uterus matris ſine ullo complexu patris: ſentit prolem, quæ ignorabat conjugem. Angelus ad virginem loquitur, a virgine cor præparatur, Chriſtus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc mirare. Parit mater & virgo, fœta, & intacta: naſcitur filius ſine homine patre, qui fecit & ipſam matrem. Factor omnium fit inter omnia: portatur manibus matris rector totius orbis: lambit ubera regens ſidera: tacet, & Verbum eſt. Necdum per linguam ſe demonſtrabat, quis eſſet, & univerſa creatura ſuum natum judicat Creatorem. Angeli paſtoribus annuntiant, ſtella Magos invitat: ruſticitas paſtorum admonitionem exigit Angelorum, curioſitas Magorum inſtructa eſt lingua Cælorum.*

(2) Lactantius lib. 4. Divin. Inſtitut. cap. 13. *In prima nativitate ſpiritali ἀμήτωρ fuit, quia ſine officio matris a ſolo Deo*

nerationem, quoniam ratione percipere atque perfecte intelligere nullo prorſus modo poſſumus, conſtanter credere, & ſumma animi pietate colere debemus: humanum vero ortum & cognoſcere poſſumus, & ſacram Scripturam ſequentes ducem explicare.

C A P. I.

De Conceptione, & Nativitate Chriſti.

1. *Quo modo conceptus eſt?*

℟. PRorſus hoc modo. Angelus Gabriel in Luc. I.
Urbem Nazareth a Deo miſſus eſt ad Ma- 26.27.38
riam Virginem regio Davidis genere natam, & Joſepho viro juſtiſſimo, ex regia pariter Davidis ſtirpe genito, deſponſatam. Simul ac Maria verbis Angeli ſpondentis naſciturum ei filium ſine ullo attactu viri aſſentiens dixit; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, ſtatim ſanctiſſimum Chriſti corpus ex puriſſimo ejus ſanguine Spiritus Sancti virtute formatum eſt in virginali utero, eique anima rationis compos conjuncta, ita ut eadem perſona Deus permanens, quod erat ab æternitate, homo fieret, quod ante non erat; & Virgo integerrima vere ac proprie

 ma-

Deo Patre generatus eſt. In ſecunda vero carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam ſine Patris officio, virginali utero procreatus eſt; ut mediam inter Deum & hominem ſubſtantiam gerens, noſtram hanc fragilem, imbecillemque naturam quaſi manu ad immortalitatem poſſet educere.

S. Auguſtinus ſer. 184. cap. 2. §. 3. *Natus eſt Chriſtus & de patre & de matre, & ſine patre & ſine matre: de patre Deus, de matre homo; ſine matre Deus, ſine patre homo.* Generationem ergo ejus quis enarrabit? *Sive illam ſine tempore, ſive iſtam ſine ſemine, illam ſine initio, iſtam ſine exemplo.*

mater Dei & hominis diceretur, quod eodem momento temporis Deum & hominem concepiſſet. (1)

2. *Quo die conceptus eſt?*

Baronius in apparatu §. 121.

℟. Die quinto & viceſimo Martii. S. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate cap. 5. *Sicut a majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas, VIII. Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus.* Eodem *die conceptum Dominum credi*, aſſerit etiam in libro de diverſis quæſtionibus octoginta tribus quæſt. 56. Eodemque die ejus rei memoriam celebrari a *Catholica & Apoſtolica Dei Eccleſia ex ſanctorum doctorum traditione* ſcribit Auctor Chronici Paſchalis ſeu Alexandrini, qui ineunte ſæculo Chriſti ſeptimo vixit. (2)

3. *Quo in loco conceptus eſt?*

Bar. in apparatu §. 55. & ad an. 9. §. 1.

℟. Nazarethi ſive in domo Mariæ ſive in domo Joſephi: nam in utrumque auctores ſunt. (3) Domus hæc ſeu domus pars, ſeu Cubiculum,

(1) *Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* S. Auguſtinus epiſt. 137. extremo cap. 2.

(2) Pagina 159. editionis Venetæ. Et pag. 160. *Quo die creationis mundi ſecundo cælos condidit Chriſtus Deus noſter, eodem carnem humanamque naturam perfecte induiſſe reperitur.*

(3) Vide infra caput quartum in vita Mariæ Virginis. Auctor libri *de locis Hebraicis ex Actis Apoſtolorum* apud Hieronymum tom. 8. pag. 377. *Eſt Nazareth viculus in Galilæa juxta montem Thabor, unde & Dominus noſter Jeſus Chriſtus Nazarenus vocatus eſt, habetque Eccleſiam in loco, quo Angelus ad B. Virginem evangelizaturus intravit, ſed & aliam ubi Dominus eſt nutritus.* Auctor de locis Sanctis cap. 16.

lum, ſeu Camera (4) anno 1291. Chriſtianis Palæſtinâ expulſis, Angelorum miniſterio a fundamentis avulſa, in Dalmatiam VII. Idus Majas translata eſt. Deinde anno 1294. IV. Idus Decembris in Italiam Chriſtianæ religionis arcem & domicilium delata, primum conſedit in ſilva Agri Recinetenſis regionis Picenæ, quæ ſilva pertinebat ad piam quamdam feminam *Lauretam* nomine, unde *Lauretanæ* domui B. Virginis inditum cognomen. Poſtea ſemel atque iterum loco divinitus mutato, tandem ibi conquievit, ubi eam nunc donis refertam omnium populorum atque Regum, Chriſtiani undique terrarum profecti venerantur. Rem concordi ſcriptorum ejuſdem ætatis teſtimonio, & ſummorum Pontificum decretis confirmatam, atque miraculorum frequentia & fama manifeſtam, contra vitilitigatores defendere hoc loco neceſſe non eſt, præſertim cum id præſtiterint viri doctiſſimi (5).

16. apud Bedam tom. 3. pag. 369. *Nazareth muros non habet, ſed magna ædificia, duaſque grandes Eccleſias. Una eſt in medio Civitatis, ubi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus eſt infans: altera vero eſt Eccleſia, ubi domus erat, in qua Angelus ad B. Virginem venit.*

Nicephorus lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 8. *In Nazareth cum Joſepho domicilium illa habens ab Archangelo Gabriele lætum accipit nuntium:* Ave, *dicente*, gratia plena, Dominus tecum.

(4) Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. l. 4. part. 2. cap. 10. num. 15. & 16.

(5) Petrus Caniſius de Maria Virgine lib. 5. cap. 25. Franciſcus Turrianus in Reſponſione Apologetica ad Petrum Paulum Vergerium pro domo Lauretana. Petrus Roeſtius in Apologia pro eadem Domo contra Berneggerum. Theophilus Raynaudus tom. 8. in Antemurali adverſus fortia ingenia. Honoratus a S. Maria in Animadverſionibus in Regulas & uſum Critices tom. 2. lib. 3. diſſert. 1. art. 2. Lambertinus laudatus lib. 3. De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. cap. 10. num. 5. & lib. 4. part. 2. cap. 10. num.

4. *Quo anno Orbis conditi natus eſt?*

℞. Nihil eſt, quod magis inter doctos homines ambigatur. Michael Moeſtlinus, qui magnus Mathematicus & Chronologus fuiſſe dicitur, opiniones 132. omnino varias ſe legiſſe refert, ut eſt apud Vallemontium in Elementis Hiſtoriæ Tom. 1. lib. 1. cap. 3. Centum quadraginta & amplius incipientes ab anno Mundi 3616. & deſinentes in annum Mundi 6484. numerat Jo. Albertus Fabricius cap. 7. Bibliographiæ Antiquariæ. Auctor Tabularum Chronologiæ ſacræ, quæ ſunt ad calcem Bibliorum ſacrorum Joannis Baptiſtæ du Hamel, recenſet duas & nonaginta, eas tamen celebriorum Chronologorum. Ex his qui minimum numerant, natum tradunt anno Orbis conditi 3740. qui plurimum, anno 6984. Movent me principes hoc in genere ſcriptores, qui, annis juxta Hebraicum textum & Vulgatam Scripturæ ſacræ verſionem penſitatis, in annum ab Orbe condito circiter quater milleſimum Chriſti Domini ortum edunt (6).

5. *Quo*

num. 12. & alii apud eumdem Lambertinum de Feſtis Chriſti & B. Virginis part. 2. num. 211. Et apud Petrum Valerium Martorellum olim Epiſcopum Ferretranum in *Theatro Hiſtorico Sanctæ Domus Nazarenæ* Romæ edito, anno 1733. & annot. 6. ad vitam Nicolai IV. Pontificis CXCI.

(6) Annus hic reſpondet anno tertio Olympiadis 193. Urbis Conditæ 748. ante Æram Vulgarem 6.

Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum in Vita Chriſti Pontificis in æternum pag. 7. *Alii volunt immediate ante communem Æram natum, ipſo autem ætatis ſuæ anno XXXIII. per tres menſes inchoato, mortuum III. Aprilis, & XIV. Maji aſſumtum in Cælos, quod præ priori veterum plurium ſententia nobis quoque veriſimilius eſt.*

Romana Eccleſia in ſuo Martyrologio ad VIII. Kal. Januarii ſequens verſionem Septuaginta Interpretum dicit, Chri-

5. *Quo menſe, & quo die natus eſt?*

℟. De utroque variant auctores. Eſt apud Baronium Clemens Alexandrinus dicens, fuiſſe ſua ætate quoſdam, qui die viceſimo, aut viceſimo primo Aprilis, itemque alios, qui die decimo quinto Maji natum crederent. Eccleſias Ægypti VIII. Idus Januarii ortum Chriſti celebraſſe, ac proinde quatuor ſimul myſteria Nativitatem, Epiphaniam, Baptiſmum, & primum Chriſti miraculum in Cana Galilææ perpetratum coluiſſe, teſtantur S. Epiphanius hær. 51. §. 29. & Caſſianus Collat. 10. cap. 2. quam tamen opinionem refellit D. Hieronymus lib. 1. in Ezech. cap. 1. Heſychius vero, & Anaſtaſius Sinaita apud eumdem Baronium arbitrati ſunt, natalem Chriſti diem eum eſſe, qui proximus poſt Nonas Decembris ſequitur. Illud tenendum, quod in Ec- In appar. §. 120. §. 122.

Chriſtum natum *anno a creatione mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono*: non quod eam Chronologiam veram eſſe cenſeat, cum Vulgatæ potius editionis ſupputationem tamquam accuratam omnibus proponat, ſed quod eo tempore Martyrologium editum ſit, quo Eccleſia Romana utebatur verſione Septuaginta, *quam quidem tam Occidentalem, quam Orientalem Eccleſiam conſtat eſſe ſecutam*, ut ait Baronius in commentariis ad hunc locum.

Æra Vulgaris, qua in recenſendis annis ab ortu Chriſti utimur, non ſumit initium ab anno Orbis conditi 4000. ſed 4005. numeraturque a Kal. Januarii anni ſequentis. Exempli gratia annus, qui nunc evolvitur, & vulgo dicitur 1745. ab ortu Chriſti Domini re vera eſt 1750. Hoc accidit ejus rei cauſſa, quod poſt quinque totos annos a Chriſto nato Æram hanc ſupputare cœpit Dionyſius Exiguus, qui eam medio fere ſexto Chriſti ſæculo inſtituit. Qui error adeo publicus factus eſt, ut corrigi non poſſit, quin veterum monumentorum perturbatio, & magna confuſio conſequatur. Probat hæc differt. 3. primæ partis ſuæ Chronologiæ Comes Camillus de Silveſtris, notum in republica litteraria nomen.

cleſia univerſa tum Græca, tum Latina continens ſæculorum memoria confirmat, Chriſtum Dominum VIII. Kal. Januarii ex puriſſimo Mariæ Virginis utero in lucem editum eſſe (7).

6. Quo hebdomadæ die, & quota hora natus eſt?

℞. Die hebdomadæ primo, qui nobis Dominicus dicitur, natum eſſe, legas apud Labbeum
Tom. 6. Conc. pag. 1207. cap. 8. ex iis novem, qui ſextæ Synodo falſo adſcribuntur. Quod attinet ad horam; Heſychius hora diei tertia, Anaſtaſius Nicænus ſeptima, Anaſtaſius Sinaita ad veſperam in lucem prodiiſſe
In appar. §. 122. apud Baronium tradunt. Illud probabile, natum
Cap. II. 8. eſſe nocte, quia Lucas ſtatim ac narravit ortum ejus, ſubjungit: *Et paſtores erant in regione eadem vi-*

(7) S. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate cap. 5. *Natus traditur VIII. Kal. Januarias*. Et in Pſal. 132. §. 11. Joannes *natus eſt, ſicut tradit Eccleſia, VIII. Kal. Julias, cum jam incipiunt minui dies: Dominus autem natus VIII. Kal. Januarias, quando jam dies incipiunt creſcere*. Tempore ortus Chriſti ſolſtitium æſtivum contigit die 24. Junii; hibernum 25. Decembris, quibus diebus Julius Cæſar utrumque affixerat. Anno tantum Chriſti 325. Concilium Nicænum ſolſtitia ad diem 21. eorumdem menſium poſuit.

Zacharias *Septembri menſe nuntium de Joannis nativitate habuit: tunc illinc abiit: tunc uxor ejus concipere cœpit poſt menſem Septembrem. Cum autem ſextum jam menſem ipſa in utero haberet (qui ſcilicet eſt Martius) cœpit denique & Maria concipere. Ab Aprili igitur incipiendo, novem menſes ſi numeremus, in hunc præſentem ſcilicet incidemus, quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus natus eſt*. S. Chryſoſtomus tom. 5. ſerm. 31. in diem natalem Chriſti pag. 426. ubi fuſe de hac re diſputat.

Joannes Albertus Fabricius in Bibliographia Antiquaria ſub finem capitis 8. demonſtrat, *nullum* (Julio excepto) *eſſe menſem, cui non ab aliquibus dies Natalis* (Chriſti Domini) *aſſignatus fuerit*. Poſtea addit, natum *XXV. Decembris ex communi Græcæ & Latinæ Eccleſiæ traditione*, de qua teſtantur *Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Fulgentius, & alii infiniti*.

vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. (8) Æque probabile illud etiam, natum eſſe nocte media, quia Eccleſia eam noctis partem anniverſariis ſacris & precationibus celebrat.

7. *Quo in loco natus eſt?*

℞. Alii in Urbe Bethleem, alii in ſuburbio natum eſſe, contendunt (9). Illis potius credam. Nam Matthæus initio capitis ſecundi: *Cum natus eſſet Jeſus in Bethleem Juda:* quæ verba de loco in ipſa Urbe, non ad Urbem poſito intelli- Bar. ad an. Ch. 1. §. 2.

(8) S. Auguſtinus in Pſal. 109. §. 16. *Et hoc ipſum ante luciferum ſignate dictum, & proprie dictum, & ſic impletum. Noctu enim natus eſt Dominus de utero Virginis Mariæ indicant teſtimonia paſtorum, qui vigilias exercebant ſuper gregem ſuum.*

Paſtores in regionibus, quæ miti Cælo, ut Judæa, fruuntur, etiam hieme ſub dio pernoctare conſueverunt. Quare Chriſtum natum non eſſe menſe Decembri, perperam inde colligunt Scaliger, Calviſius, Grotius, & Baſnagius.

(9) Epiphanius hær. 51. §. 9. ſcribit, Bethleem in quibuſdam codicibus Evangeliorum dici πόλιν, *urbem*; in aliis κώμην, *vicum*. Hoc modo vocatur ab Joanne cap. VII. 42. Hieronymus epiſt. 17. pag. 130. *villulam*, & epiſt. 18. pag. 134. *villam* appellat. Non igitur Bethleemum *muris exutum, nudatumque facio abſque ullo auctore*, quod objicit Serry in Mantiſſa ad Animadverſiones Anticriticas in Hiſtoriam hanc Sacræ Familiæ pag. 6. Quis enim locum mœnibus ſeptum *villam, villulam*, aut *vicum* appellet? *Vicum*, inquam? Imo *viculum*, ſi ipſum Hyacinthum Serry audimus Exercitat. 12. §. 7. pag. 87. & Exercitat. 39. §. 3. pag. 266. qui tamen Exercitat. 30. §. 2. pag. 206. Urbem facit ita amplam, ut miretur, quomodo Paſtores intra illam *pupulum* (ut ipſe vocat Chriſtum Dominum) invenire potuerint.

Diſtabat Hieroſolymis, ut apud Bedam tom. 3. habet auctor libelli de locis Sanctis cap. 8. pag. 366. millia paſſuum ſex; ut docet Juſtinus Apologia 1. pag. 65. ſtadia trigintaquinque, hoc eſt paſſuum quatuor millia, CCCLXXV.

ligunt antiqui Eccleſiæ Patres, Hieronymus, Chryſoſtomus, Origenes. Hic libro 1. contra
Pag. 367. Celſum, §. 51. *Si quis Michææ vaticinio, hiſtoriaque in Evangelio a Jeſu diſcipulis ſcripta minime contentus, ultra quæſierit quidpiam aliud, quo perſuadeatur Jeſum in Bethleem natum eſſe; is recogitet in Bethleem monſtrari ſpeluncam, in qua natus eſt, & in ſpelunca præſepe, ubi eſt faſciis obvolutus*. (10). Chryſoſtomus in Matthæum hom.
Pag. 73. 8. Maria Virgo *ut Bethleem ingreſſa eſt, partum celeriter abſolvit*. (11) Hieronymus epiſt. 27. cap.
Pag. 176. 4. de S. Paula ſcribit hoc modo: *inde Bethleem ingreſſa, & in ſpecum Salvatoris introiens*. Et
Pag. 497. comment. in Danielem cap. 2. loquens de Magis: *Venientes in Sanctam Bethleem adoraverunt puerum, ſtella eis deſuper oſtendente*. Juſtinus autem, quem auctorem profitentur adverſarii, adeo ipſis non favet, ut etiam a nobis ſit apertiſſime, ut facile apparebit conſideranti verba ipſa, quæ ſunt
Pag. 175. in ejus Dialogo cum Triphone. §. 78. En tibi. *Γεννηθέντος δὲ πότε παιδίου ἐν βηθλεὲμ*, (12) *ἐπειδὴ*

(10) Idem in Matthæi cap. 13. pag. 12. tom. 2. *Quærendum igitur & de hoc ſermone, utrum Nazareth dicat patriam ipſius, an Bethleem. Nazareth quidem eſt, ob quam Nazaræus vocabitur, Bethleem autem, quod in ea natus ſit*.

(11) Idem S. Chryſoſtomus ibidem pag. 63. *Non continuo ut natus eſt, in civitatem ſuam venit, ſed in Bethleem quadraginta eſt remoratus diebus; ut his, qui diligentius vellent de ipſo cuncta rimari, occaſionem inquiſitionis ingereret*.

(12) Ita ſcribens S. Juſtinus, *ſecutus eſt Matthæum cap.* 2. ut ait Fridericus Sylburgius in annotationibus in hunc locum S. Juſtini pag. 55. Matthæus autem cap. II. 1. utitur verbis his: Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν βηθλεέμ, quæ verba Latine reddenda ſunt hoc modo: *Jeſu ergo nato in Bethleem*, ſeu *Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethleem*, ut habet Latina Verſio Vulgata. Nam recte Caſaubonus exercitat. 2. ad Annales Baronii §. 10. pag. 160. ubi agit de tempore adventus Magorum ad Chriſtum adorandum: *Ordine recto Matthæus narrationem ſuam orditur ab obſervatione*

tem-

Ἰωσὴφ οὐκ εἶχεν ἐν τῇ κώμῃ ἐκείνῃ ποῦ καταλῦσαι, ἐν σπηλαίῳ τινὶ σύνεγγυς τῆς κώμης κατέλυσε: καὶ τότε αὐτῶν ὄντων ἐκεῖ ἐτετόκει ἡ Μαρία τὸν Χριστὸν, καὶ ἐν φάτνῃ αὐτὸν ἐτεθείκει, ὅπου ἐλθόντες οἱ ἀπὸ Ἀραβίας Μάγοι εὗρον αὐτόν. *Nato vero tunc puero in Bethleem, quoniam Joſeph non habebat in vico illo, ubi diverteret, in ſpecu quodam prope vicum divertit; & cum tunc illi eſſent ibi, pepererat Maria Chriſtum, & in præſepe ipſum poſuerat, ubi venientes ex Arabia Magi invenerunt eum.* (13)

Idem

temporis, & loci: Τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας. *Duo hæc maxima de cauſſa conjunguntur: nam circumſtantia loci pendet a circumſtantia temporis. Propterea enim repertus eſt Chriſtus Bethleemi, quia advenerunt Magi* τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος, Chriſto nato, *hoc eſt paullo ante nato. Ea namque vis eſt vocis Græcæ & locutionis. Ut ſi dicas*, Ἰωάννου τρωθέντος ἦλθον οἱ ἰατροὶ, *verba quidem nihil amplius ſonant, quam hoc*, Joanne vulnerato venerunt medici. Quemadmodum igitur apud Matthæum participium aoriſtum γεννηθέντος non aliter, quam *nato* Latine reddi poteſt, quia Matthæus uſus verbo temporis præteriti παρεγένοντο *venerunt*, oſtendit, Magos adventaſſe Hieroſolymam τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος, *Jeſu nato*; ita apud Juſtinum verbum idem ac tempus γεννηθέντος Latine *nato* reddatur, neceſſe eſt, quia Juſtinus per verbum temporis pluſquam perfecti ἐτετόκει, *pepererat*, jam natum Bethleemi Chriſtum Dominum ſignificat.

(13) Dionyſius Petavius Rationarii Temporum tom. 2. lib. 4. cap. 2. *In id oppidum, uti fides Michææ* V. 2. *vaticinio conſtaret, cum Joſepho ſanctiſſima Virgo pervenit, ibidemque ſalutarem humano generi partum edidit. In ipſo, inquam, oppidulo, ac publico diverſorio*, ἐν τῷ καταλύματι, *ut Lucas loquitur. Ubi cum vacuus ad eos excipiendos locus eſſet alius nullus, ad ſtabulum diverterunt. Et quoniam* ὑπόπετρος, *ac rupibus aſpera erat illa regio, credibile eſt, in rupe ſtabulum hoc impreſſum fuiſſe; atque ideo plerique Veterum, ut Juſtinus*, σπήλαιον ſpelæum, *ſive* antrum *nominant. Intra vicum ipſum, oppidumve natum eſſe Chriſtum, ex eo fit probabilius, quod Michææ verba id ipſum ſignificant, dum ex ipſa Bethleemo oriundum fore Chriſtum prædicant. Nam qui in ſuburbiis Bethleemiticis natum eſſe conjiciunt, haud ſatis recte vi-*

Pag. 196. Idem S. Juſtinus interpres ſui ipſius (14) in eodem Dialogo §. 102. Ἅμα γὰρ τῷ γεννηθῆναι αὐτὸν ἐν Βηθλεέμ, ὡς προέφην, παρὰ τῶν ἀπὸ Ἀῤῥαβίας Μάγων μαθὼν Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς τὰ κατ' αὐτὸν, ἐπεβούλευσεν ἀνελεῖν αὐτόν. *Simul enim ac natus eſt ipſe in Bethleem, ut ante dixi, cum a Magis Arabiæ Herodes Rex didiciſſet quæ de ipſo erant, inſidioſe ſtatuit ipſum interficere.* Idemque Apologia 1. §. 34.
Pag. 65. κώμη δέ τις ἐστὶν (Βηθλεέμ) ἐν τῇ χώρᾳ Ἰουδαίων, ἀπέχουσα σταδίους τριακονταπέντε Ἱεροσολύμων, ἐν ᾗ ἐγεννήθη Ἰησοῦς Χριστός. *Vicus autem quidam eſt* (Be-

vico perexiguo ſuburbiorum aliquid annectunt. Tum Bedæ ipſius teſtimonio refelluntur, qui intra oppidum hanc qualemcumque ſpeluncam collocat.

Caſaubonus exercitat. 2. §. 1. pag. 148. *Quæritur, ſi intra muros natus eſt Chriſtus, quomodo potuerunt paſtores noctu urbem ingredi? Reſpondeo: ſi Bethleem erat* κώμη, vicus, *veriſimile fuiſſe* ἀτείχιστον, *nec muros habuiſſe: ſi oppidum fuit muris cinctum, veriſimile eſt in tam alta pace portas ut plurimum relictas fuiſſe apertas: aut certe Divina providentia eveniſſe illa nocte, ut paterent portæ.* Hinc habes quomodo reſpondeas Hyacintho Serry, qui loco cit. Bethleem *Urbem muris tunc temporis cinctam* ſine auctore facit: cum tamen idem refellens Græcos & Æthiopas aſſerentes, quatuordecim puerorum millia juſſu Herodis cæſa, ſcripſerit exercitat. 39. §. 3. pag. 266, *Bethleem viculus dumtaxat erat.* Eidemque urgenti, Herodem interfeciſſe *pueros non modo in Bethleem natos, ſed in omnibus finibus ejus*, reſpondebis, quemadmodum reſpondet Canus lib. XI. cap. 5. ad 5. Herodem *ex propria malitia ampliaſſe locum, ſicut ampliavit & tempus.* Vide tertiam interrogationem capitis V.

(14) Quoties agitur de alicujus auctoris ſententia, non aliorum opiniones ſequi debemus, ſed auctoris ipſius verba perpendere; hæc ſunt indicia, hæc ſigna animi ejus. *Qui verſiones tantum norunt, aliorum oculis vident, & cum plebe in atriis ſtantes e longinquo ſacra contuentur: qui vero ipſum textum originalem intelligit, cum Sacerdotibus in Sanctuarium admiſſus, omnium, quæ in penetralibus aguntur, ipſe teſtis eſt, & arbiter*, ut ait vir doctus apud Brianum Vvaltonum in Biblico Apparatu Prolegom. 3. de lingua Hebraica, ejuſque antiquitate &c. §. 28. pag. 238. & 239.

(Bethleem) *in regione Judæorum diſtans ſtadiis triginta quinque ab Hieroſolymis, in quo natus eſt Jeſus Chriſtus*. Cum hujuſmodi ſit teſtimonium hominis in Palæſtina nati, non video, quomodo præclarus Theologus Jac. Hyacinthus Serry exercitatione 30. §. 2. ſecutus Juſtinum potuerit eſfari illud: *Natum extra Bethleemum in agro ſuburbano fidenter pronuncio*. Nam quod addit, Euſebium lib. 7. Demonſtrationis Evangelicæ cap. 2. aſſerere, *Agrum, ubi Virgo enixa infantem depoſuit, demonſtrari juxta Bethleemum*, aut doceat neceſſe eſt, ubi locum hunc integrum repererit, aut ultima verba *juxta Bethleemum* ab ſe ſe inſerta fateatur. Ita enim habet contextus verborum Euſebii: Καὶ εἰς δεῦρο δὲ οἱ τὸν τόπον οἰκοῦντες, ὡς ἐκ πατέρων εἰς αὐτοὺς κατελθούσης παραδόσεως, τοῖς τῆς τόπων ἱστορίας χάριν εἰς τὴν Βηθλεὲμ ἀφικουμένοις μαρτυροῦσι, τῆς λόγων πιστούμενοι τὴν ἀλήθειαν διὰ τῆς τοῦ ἀγροῦ δείξεως, ἐν ᾧ τεκοῦσα ἡ παρθένος κατατέθειται τὸ βρέφος. *Et adhuc locum incolentes, tamquam a Patribus ad ipſos profecta traditione, iis, qui locorum cognoſcendorum gratia Bethleem proficiſci conſueverunt, teſtantur ſermonum probantes veritatem per agri demonſtrationem, in quo enixa Virgo depoſuit infantem*. (15) Nec Burchardus ait, quod Serry contendit, ſpe-

Pag. 206.

Pag. 343.

(15) Caſaubonus memorata exercitat. 2. §. 1. pag. 147. dicit, pro τοῦ ἀγροῦ, *agri*, legendum τοῦ ἄντρου, *antri*, qua voce locum nativitatis Chriſti appellavit Euſebius etiam in libro 3. de vita Conſtantini cap. 43. Quam Caſauboni conjecturam valde probabilem, etſi non neceſſariam, exiſtimat Tillemontius annot. 3. ad vitam Chriſti Domini pag. 418.

Franciſcus Blanchinus diſſertat. 1. *de Translatione ſacrorum Cunabulorum, ac Præſepis Domini, nec non corporis B. Hieronymi ab Eccleſia Bethleemitica ad Baſilicam Liberianam* ait, Præſepe, & Cunabula Chriſti Domini ex Palæſtina Romam translata eſſe, & in Baſilicam Liberianam recondita medio ſæculo Chriſti ſeptimo, eo annorum intervallo, quod

ſpeluncam, ubi Chriſtus natus eſt, fuiſſe in agro ſuburbano, & quidem *juxta muros Civitatis*. Burchardus enim hoc tantum dicit, eam fuiſſe *in* Bethleemi *fine orientali*, nec ullo modo extra Bethleemum fuiſſe definit. *Bethleem*, inquit, *ſita eſt in monte longo, licet arcto, ab Oriente extendens ſe in Occidentem, in cujus fine Orientali ſub rupe quadam, quæ erat in quodam diverſorio, illuxit nobis oriens Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter. Juxta rupem autem illam contra Occidentem ad quatuor vel quinque pedes dependet rupes alia capacior, ſub qua erat præſepium jumentorum, in quo fuerat dulcis ille Jeſus reclinatus* (16). Apud Baronium vero ad an. 1. §. 2. unde, opinor, memoratus Theologus exſcripſit, ita loquitur idem Burchardus: *Erat Bethleem ſupra collem in longum porrectum ſita, in cujus extremitate Orientem verſus ſub rupe quadam exiſtente tunc temporis juxta muros civitatis, erat ſtabulum ac præſepe Domini exciſum in rupe, ubi natus eſt Chriſtus*. Addit igitur de ſuo Theologus *in agro ſuburbano*. Et quoniam vidit in hoc Baronii loco verba *juxta muros*, ex his formavit ſibi illa *juxta Bethleemum*, quæ appoſuit Euſebio de demonſtratione Evangelica lib. 7. cap. 2. At reputare debebat, quantum interſit inter primam, & ſecundam formulam: prima ſignificare

quod eſt inter annum 640. & 650. Pontifice Theodoro I. Præſepis nomine intelligi portionem ſaxi illius, ex quo conſtabat Præſepe Chriſti recens nati receptaculum, quippe inſculptum erat in rupe antri, ſeu ſpeluncæ, ubi Chriſtus natus eſt. Cunabula latine, σπάργανα græce, eſſe faſcias, pannos, retinacula, cunas, & hujuſmodi Chriſti recens nati, ac infantis ſupellectilem. Exſtat diſſertatio tomo 3. Anaſtaſii Bibliothecarii pag. 109. edit. Romæ anno 1728. Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 31. num. 15.

(16) In deſcriptione Terræ Sanctæ, quæ eſt in antiquis Lectionibus Caniſii tom. 4. pag. 19.

re poteſt locum intra muros, ſecunda non poteſt. (17)

8. *In hac Salvatoris ſpelunca erant ne bos, & aſinus?*

℟. Ita S. Hieronymus in epiſtola ad Euſtochium 27. cap. 4. de Paula ſcribit: *Inde Bethleem ingreſſa in ſpecum Salvatoris introiens vidit ſacrum Virginis diverſorium, & ſtabulum, in quo* agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, *ut illud impleretur, quod in eodem Propheta ſcriptum eſt:* Beatus, qui ſeminat ſuper omnes aquas, ubi bos & aſinus calcant. Similia habet S. Petrus Chryſologus ſerm. 159. *Regem Chriſtum appoſitum ante duo prophetica illa jumenta admirantur* Magi. Sunt in eadem ſententia S. Gregorius Nazianzenus orat. 38. S. Paulinus epiſt. 11. Prudentius Cathemerinon hymno 11. Eſt Eccleſia in precationibus Nativitatis Domini, dum ait: *O magnum myſterium & admirabile ſacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præſepio!* Ex quo apparet, non allegorice tantum Patres locutos eſſe, ut viſum aliquibus triſtioris Criticæ hominibus, *ſed etiam fide hiſtorica*, ut Baſnagius ipſe adverſus Caſaubonum profitetur. *Allegorica ſiquidem explicatio in hiſtoria nititur.* (18)

Bar. ad an. 1. §. 2. Pag. 176.

Eſaiæ I. 3.

Ad an. ante Dom. 5. §. 21.

Un-

(17) Hyacinthus Serry exercitat. 30. §. 2. pag. 206. *Speluncam hanc in agro ſuburbano fuiſſe ſitam, quod hic potiſſime quæritur, teſtes ſunt Euſebius lib. 7. de Demonſtratione Evangelica cap. 2.* agrum juxta Bethleemum demonſtrari *aſſerens*, ubi Virgo enixa infantem depoſuit. *Juſtinus loco paullo ante laudato ſpeluncam* juxta Bethleemum poſitam *ſcribens: Burchardus in deſcriptione Terræ Sanctæ parte 1. juxta muros Civitatis.*

(18) Paulus Galeardus, qui S. Gaudentii ſermones recen-

9. Unde, & quota hora paſtores ad Chriſtum recens natum venerunt?

℟. A Turri *Ader*, quæ Bethleemum inter & Hieroſolymam ſita a Bethleemo abeſt mille paſ-
Pag. 177. ſus. S. Hieronymus epiſt. 27. cap. 4. *Haud procul inde* (Paula) *deſcendit ad turrim Ader, ideſt*

gre-

cenſuit ac notis illuſtravit, ad illa verba ſermonis X. pag. 295. Tamquam ſi diceret, quoniam cognoverunt olim bruta animalia Gentilium populorum: *Conſentit non paucis ex antiquis Patribus, qui ad interpretandum iſtud Iſaiæ teſtimonium, allegoria uſi ſunt. Cum autem animadverteret hunc Gaudentii locum Joannes Antonius Vulpius Bergomas, vir multiplici litterarum tum Græcarum, tum Latinarum genere inſtructus, dum amice Patavii colloquerentur, appoſite dubitavit, num ex eo aliquod ſibi præſidium petere poſſent recentiores ii, qui præeuntibus Caſaubono, & Tillemontio, ex conſenſu antiquorum in explicandis myſtice illis Iſaiæ verbis:* Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, *putaverunt confici poſſe, nullo modo verba hæc Prophetæ hiſtorice de bove & aſino ad præſepe Domini adſtantibus eſſe accipienda, ac proinde totam illam narrationem, cujus auctoritate bruta hæc animantia cunis Domini proxima appinguntur, fabellam eſſe male conſutam. Nihil tamen, ubi cetera paria eſſent, obſtare opinabatur, quin Prophetæ verba hiſtorice etiam intelligi poſſent, quamvis a Patribus fuerint ſatis unanimi conſenſu myſtice explicata: quid enim frequentius apud antiquos, & præcipue apud Gaudentium noſtrum, quam ut hiſtorica Chriſti geſta, ipſaſque Evangelicas narrationes ad allegoriæ ſenſum trahant? Subdebat etiam ſatis ingenioſe, ni fallor, non propterea pictoribus ſuccenſendum, etiamſi facti fides tot ſæculorum credulitate fulta nullo modo conſtaret. potuerunt enim hujuſmodi bruta animantia, tamquam figuræ ac ſymbola Judaici, Gentiliſve populi, ex unanimi Eccleſiæ placito, cunis Domini naſcentis apponi, ut monſtraretur, Iſaiæ vaticinium, nato Chriſto, ſub hoc ſigno fuiſſe impletum.*

Ludovicus Vincentius Cardinalis Gotti de Veritate Religionis Chriſtianæ tom. 4. part. 1. cap. 7. §. 3. num. 33. *Ad excludenda a præſepio Domini vera animantia Bovem & Aſinum, non ſufficit adducere Patres dicentes, ea hoc vel illud figuraſſe; ſed ulterius probandum eſt, Patres aſſeruiſſe ea fuiſſe meras figuras, nec vere exſtitiſſe.*

gregis, juxta quam pavit Jacob greges ſuos, & paſtores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelſis Deo. *Vigilia* autem *quarta matutina, quæ in ortum luminis adimpletur*, id audiviſſe, ſcribit Arnobius junior in Pſal. 129. Eccleſia certe die natali Chriſti Domini ſecundum ſacrificium fieri jubet aurora illuceſcente, legique in eo Evangelium de adventu paſtorum ad puerum recens natum videndum & adorandum.

Bibl. Patr. tom. 8. pag. 315.

10. *Quot fuerunt paſtores iſti?*

℟. Tres fuiſſe, prodit Beda, ſeu quicumque eſt alius auctor libelli de locis Sanctis cap. 8. *In turre Ader, id eſt gregis mille paſſus a civitate*, Bethleem, *ſegregata eſt Eccleſia trium paſtorum divinæ Nativitatis conſciorum monumenta continens*. Caſaubonus exercitat. 2. §. 10. eos rejicit, atque hariolatos dicit, qui quatuor fuiſſe paſtores, exiſtimarunt, & hæc illis nomina indiderunt, *Miſael*, *Acheel*, *Stephanum*, *Cyriacum*. Id cum ita ſit, liquet, Caſaubonum non contendere atque affirmare, quatuor fuiſſe paſtores iſtos, quod eum contendere, putavit Theologus Serry exercitat. 31. §. 6. declarans exemplo ſuo quamvis eruditos homines falli aliquando, ubi aliquid conniventes legunt. (19).

Pag. 366. tom. 3.

(19) Hyacinthus Serry exercitat. 31. §. 6. pag. 218. *Caſaubonus exercitatione 2. in Baronium, quatuor fuiſſe contendit, quorum nomina ex pervetuſto Codice Græco anonymo in Palatina Vittembergenſi Bibliotheca aſſervato repræſentat*: Miſael, Acheel, Stephanum, & Cyriacum.

Caſaubonus exercitat. 2. §. 10. pag. 165. *Sciant vero pii lectores iſtas* (Magorum) *appellationes ab homunculis profectas eſſe non ſolum otioſis & imperitis, ſed etiam impiis & artium curioſarum ſectatoribus. Id genus homines vaniſſimi cum ceteris Bibliorum nominibus ad maleficia ſua uti ſolent, teſte etiam Origene. l. 1. contra Celſum: tum etiam aliis, quæ ipſi ſibi finxe-*

II. *Chriſto nato, defecerunt ne ſtatim Ethnicorum oracula?*

℟. Ajunt nonnulli, atque ad id confirmandum dicunt, Auguſtum, cum ad Apollinis Delphici templum veniſſet ſciſcitandi cauſſa, ad quem ſe mortuo Imperium Romanum eſſet venturum, hoc vix demum tuliſſe reſponſum:

Bar. in Appar. §. 25.

Me puer Hebræus Divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum,
Aris

xerunt, & Biblicis hiſtoriis ſceleſtiſſime accomodarunt. Sic Paſtores, qui Dominum inviſerunt, quatuor fuiſſe ſunt hariolati, & illis hæc nomina indiderunt, Miſael, Acheel, Cyriacus, & Stephanus. *Magis autem non ſolum ſuperiores appellationes attribuerunt, ſed etiam alias, cujuſmodi ſunt hæ:* Ator, Sator, Peratoras. *Ut ſcias in quem finem homines fanatici hæc nomina excogitàrint, ſubjiciam ad deteſtationem impiæ vanitatis unum ex multis exemplum. In Codice Græco ſatis vetuſto Bibliothecæ Sereniſſimi Electoris Palatini hæc leguntur:* Τὰ ὀνόματα τῶν ἐν Βηθλεὲμ ποιμένων, Μισαὴλ, Ἀχεὴλ, Κυριακὸς, καὶ Στέφανος. Τὰ τῶν Μάγων ὀνόματα τῶν προσκυνησάντων τὸν Κύριον, Ἄτωρ, Σάτωρ, καὶ Περατορᾶς. Ταῦτα τὰ ὀνόματα ἐὰν δηχθείς τις ὑπὸ ὄφεως, ἢ σκορπίου, ἢ ἄλλου ἰοβόλου ἑρπετοῦ, καὶ θηρίου ἐπιγράψῃ ἐντὸς καινῆς χύτρας, μετὰ λιπαρᾶς δᾳδὸς καιομένης, καὶ μετὰ τοῦ ἁγιάσματος τῶν ἁγίων θεοφανιῶν ἐπικλείσῃ τὴν χύτραν, καὶ ἐπιδώσῃ τῷ μηνυτῇ τοῦ δηχθέντος, παραχρῆμα ἰᾶται ὁ δηχθείς. Nomina Paſtorum in Bethleem, Miſael, Acheel, Cyriacus, & Stephanus. Magorum nomina, qui adoraverunt Dominum, Ator, Sator, Paratoras. Hæc nomina cum quis morſus a ſerpente, aut ſcorpione, aut alio venenoſo reptili, & beſtia inſcripſerit intra novam ollam cum pingui tæda ſuccenſa, & cum ſanctificatione ſanctarum Dei apparitionum occluſerit ollam, & tradiderit nuntio ejus, qui morſus eſt, ſtatim curatur morſus. *En nugas, ſed impias, & piorum execratione digniſſimas. Atqui non alio ſpectarunt, qui præclara illa nomina excogitarunt.* Quibus ex verbis ſatis apparet, Caſaubonum refellere Paſtorum ac Magorum nomina, tamquam commentitia, a fine, in quem homines fanatici illa excogitarunt, ac proinde cenſuram illam: *En nugas, ſed impias, & piorum execratione digniſſimas*, cadere etiam in afficta illis nomina, quod Serry negat.

Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.
Ob id Imperatorem Romam reverſum aram in Capitolio poſuiſſe cum titulo hoc: *Ara Primogeniti Dei* (20). Verum minime ſequendi ſunt, qui talia narrant: Etenim ex Plutarcho, qui edidit libros duos *de Oraculorum defectu*; perſpicuum eſt, Apollinem Delphicum etiam poſt Chriſti nativitatem reſponſa conſultoribus dediſſe, etſi minore, quam antea; celebritate; neque carminibus; ut antea; ſed proſa; ſolutaque oratione: Certe quidem Nero, ut eſt apud Suetonium in ejus vita cap. 40. *conſulto Delphis Apolline; ſeptuageſimum ac tertium annum cavendum ſibi audivit.* (21):

12. *Quandonam Feſtum Chriſti natale celebrari cœpit VIII. Kal. Januarii?*

℟. Jam inde ab initio celebratum fuit eo die in Eccleſia Occidentali. Docet id S. Joannes Chryſoſtomus ſermone 31. in diem natalem Chriſti; docet autem ſic. Occidentales, ac præſertim Romani eo die Feſtum Chriſti natale jam inde ab initio celebrarunt; quo die eum natum noverant: natum autem VIII. Kal. Januarias noverant jam ab initio ex ſervatis Romæ tabulis cenſus in Judæa tempore ortus ejus a Cyrino Auguſti juſſu peracti: eodem igitur die Feſtum Chriſti natale jam inde ab initio celebrarunt, & poſte- Tom. 5. pag. 417.

(20) *Idem putatur eſſe locus in Capitolio, ubi nunc Baſilica B. Dei Genitricis Mariæ dicta hac de cauſſa* Ara Cœli. Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. 46. §. 8.

(21) Sua ætate, hoc eſt annis amplius 40. poſt Chriſtum natum. Vide Antonium Vandale diſſertat. 2. de Oraculorum Ethnicorum duratione, atque interitu.

Digitized by Google

ſteris celebrandum tradiderunt. (22) Itaque D. Auguſtinus ſecutus eamdem traditionem non ſemel ſcribit, Chriſtum ex puriſſimo Virginis utero prodiiſſe VIII. Kal. Januarii, & memoriam rei tantæ eodem die, quo *ipſa res acta eſt*, *feſta devotione* quotannis renovari ſolitam. (23) Veteres Ægyptii & Orientales omnes, qui olim die ſexto Januarii ſimul Feſtum natale Domini, ſimul Epiphaniam agebant, ut omnium eruditorum ſententia eſt, medio fere ſæculo Chriſti quarto morem, uſumque Occidentalium recepiſſe creduntur. Nam S. Chryſoſtomus, qui memoratum ſermonem de die natali Chriſti habuit Antio-

(22) S. Juſtinus Apol. 1. pro Chriſtianis ad Antoninum Pium, & Senatum Romanum pag. 75. *Vicus quidam eſt Bethleem in regione Judæorum triginta quinque ſtadiis Hieroſolymis diſtans, ubi natus eſt Chriſtus Jeſus, quemadmodum & ex deſcriptionibus cenſus acti, quæ ſub Cyrenio primo veſtro in Judæa Procuratore ſunt confectæ, intelligere poteſtis*. Tertullianus adverſus Marcionem lib. 4. cap. 7. *De cenſu Auguſtali, quem teſtem fideliſſimum Dominicæ Nativitatis Romana Archiva cuſtodiunt*. Oroſius lib. 6. Hiſtoriarum cap. 22. pag. 449. *Tunc natus eſt Chriſtus, Romano cenſui ſtatim adſcriptus, ut natus eſt. Dicendus utique civis Romanus cenſus profeſſione Romani*. Vide Baronium in Apparatu ad Annales §. 92. 96.

(23) Epiſt. 55. alias 119. §. 2. *Quæris quæ cauſſa ſit*, cur anniverſarius dies celebrandæ Dominicæ paſſionis non ad eumdem redeat anni diem, ſicut dies, quo traditur natus. *Et deinde ſubjungis*, ſi hoc ſit propter Sabbatum, & lunam, quid ſibi velit in hac re obſervatio Sabbati & lunæ. *Hic primum oportet noveris diem Natalem Domini non in Sacramento celebrari, ſed tantum in memoriam revocari, quod natus ſit, ac per hoc nihil opus erat, niſi revolutum anni diem, quo ipſa res acta eſt, feſta devotione ſignari*.

Florentinius in Martyrolog. Hieronym. exercitat. 2. pag. 198. eumque ſecutus Franciſcus Pagius in vita Julii I. Pontificis §. 11. ex epiſtola quadam Joannis Nicæni affirmant, ab Julio Pontifice diem VIII. Kal. Jan. præſtitutum fuiſſe Feſto Chriſti natali celebrando. At epiſtolam illam fabularum plenam, & ſuppoſititiam eſſe, volunt alii: ideoque nihil certi ex ea colligi licet.

tiochiæ anno 386. cum adhuc Presbyter eſſet, ait, diem illum, licet vix decem ante annis cognitum, Antiochenorum tamen *opera celebratum inclaruiſſe*. (24)

13. *Natalis Chriſti dies eſt ne omnium dierum feſtorum maxime venerandus?*

℟. Ita ſane docet S. Joannes Chryſoſtomus hom. 31. de B. Philogonio. *Appetit feſtum*, ait, *omnium feſtorum maxime venerandum, tremendumque; quod ſi quis appellet omnium feſtorum metropo-* Pag. 356. & 357. tom. 1.

(24) Verba Chryſoſtomi ad rem, quæ in manibus eſt, pertinentia ſunt hæc ex memorato ſermone in diem natalem Chriſti, qui eſt 31. tom. 5. pag. 418. & 419. *Nondum decimus annus eſt, ex quo hic dies manifeſte nobis innotuit. Attamen perinde ac ſi jam olim nobis traditus eſſet, ita opera veſtra celebratus inclaruit..... Hic dies, cum ab exordio iis, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit..... & jam inde a primordio ab ipſa Thracia Gades uſque incolentibus manifeſtus & celebris.... Et cui veteres hiſtoriarum codices, qui Romæ publice aſſervantur, lectitare libeat, perfacile etiam tempus hujus deſcriptionis accurate diſcere poterit... Ab illis, qui exactam hujus rei cognitionem habent, quique illam urbem inhabitant, hunc diem accepimus. Nam illi ipſi, qui illic commorantur, multo ante, & ex antiqua traditione ipſum celebrantes ad nos uſque illius notitiam nunc tranſmiſerunt.* Vide Edmundum Martene de Antiqua Eccleſiæ diſciplina cap. 12. & Montfauconii Monitum in citatum ſermonem D. Chryſoſtomi tom. 2. Operum ejuſdem Chryſoſtomi ab eodem Montfauconio editorum pag. 352.

Nicephorus lib. 17. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 18. pag. 779. *Idem Imperator* (Juſtinianus) *tum primum Servatoris Exceptionem toto orbe terrarum feſto die honorare inſtituit, ſicut Juſtinus de ſancta Chriſti nativitate fecit. At*, ut obſervat Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctor. extremo cap. 16. pag. 454. tom. 2. *conſtat ex Ambroſio, Auguſtino, Leone, & aliis, qui Juſtinum præceſſerunt, feſtum Nativitatis longe eſſe antiquius. Solum ergo Imperatores illi addiderunt aliquid ad celebritatem, & fortaſſe præceperunt civilibus legibus, ne ullus operaretur in illis ſolemnitatibus, cum tamen etiam antea legibus Eccleſiæ dies illi feſti ſanciti eſſent.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

polim, haudquaquam aberret. (25) *Quod autem hoc eſt? Chriſti juxta carnem nativitas. Ab hoc enim feſtum Epiphaniorum, ac ſacrum Paſcha, Aſcenſio, & Pentecoſte originem ac fundamentum ducunt. Niſi enim ſecundum carnem natus eſſet Chriſtus, nequaquam baptizatus eſſet, nam id feſtum Theophaniorum; nequaquam fuiſſet crucifixus, nam hoc eſt feſtum Paſchæ; nequaquam miſiſſet Spiritum Sanctum, quod eſt feſtum Pentecoſtes. Itaque ab hoc, ceu fonte quopiam diverſi fluvii, nata ſunt nobis hæc feſta. Verum non ob hoc tantum par eſt hunc diem ceteris anteponi, ſed etiam ob id, quod id, quod in hoc natum eſt, ceteris omnibus eſt venerabilius. Nam quod Chriſtus homo factus ſit mortuus, conſequentiæ cujuſdam fuit: licet enim peccatum nullum perpetraſſet, mortale tamen corpus aſſumſerat: & erat quidem hoc admirandum: ceterum quod Deus cum eſſet, voluerit homo fieri, tantumque ſeſe demittere ſuſtinuerit, quantum ne cogitatione quidem complecti queas, hoc eſt maxime reverendum, ſtuporiſque plenum. Quod quidem Paulus admirans dicebat:* Sine controverſia magnum pietatis myſterium. *Quod magnum?* Deus manifeſtatus in carne. *Ac rurſum alibi:* Non enim Angelos apprehendit Deus, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus aſſimilari. *Propter hoc potiſſimum amplector diligoque diem hunc, & amorem ejus in medium propono, ut vos hujus amatorii pharmaci participes reddam, eoque rogo vos omnes obſecroque, ſummo ſtudio, ſummaque cum alacritate velitis adeſſe, ſed prius ſuam quiſque domum repurget, ut videamus Dominum noſtrum in cunis jacentem, ac faſciis*

I. Ad Tim. III. 16.

Ad Hebr. II. 16. 17.

(25) Gregorius Nyſſenus Orat. in laudem Baſilii Magni fratris ſui: *Quæ propter divinam unigeniti Filii apparitionem, per partum Virginis feſtivitas inſtituta eſt, ea non ſimpliciter ſancta celebritas eſt, ſed ſancta ſanctarum, & celebritas celebritatum.*

ſciis involutum, tremendum ac ſtupendum ſpectaculum. Hoc modo Chryſoſtomus auditores ſuos ad celebrandum colendumque Natalem Chriſti diem omni veneratione digniſſimum anno 386. XIII. Kal. Januarii excitabat. (26)

CAP. II.

De Circumciſione Chriſti.

1. *Quo die circumciſus, & quo nomine appellatus eſt?*

℞. Die ab ortu *octavo*, *Dominico ſcilicet*, circumciſum, tradit Nicephorus lib. 1. cap. 12. *Jeſus* nomen ei impoſitum eſt non quidem fortuito, aut hominum judicio, ſed Dei conſilio atque præcepto. (1) Angelus enim Mariæ matri ejus ita annuntiavit: *Ecce concipies in utero, &* Bar. ad an. 1. §. 18. Luc. I. 31. II. 21.

(26) Nimirum idem Chryſoſtomus ſubjicit hæc pag. 357. *Nec mihi quiſquam dixerit, vereor, habeo conſcientiam peccatis oppletam, ſarcinam circumfero graviſſimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, ſi ſobrius fueris, ſi attentus, ſi vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem.*

Honorius III. in cap. *Explicari* 3. de Obſervat. jejun. ait, *quod illi, qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt aſtricti, in ſexta feria, ſi Feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter Feſti excellentiam veſci poſſunt ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis.*

Ad hujus Feſti celebritatem & venerationem pertinet etiam triplex Miſſæ ſacrum, quod eodem die celebratur jam inde ab antiquis temporibus, ut eſt in cap. *Nocte Sancta* 48. de Conſecrat. diſt. 1. Lege vitam S. Teleſphori Pontif. IX. inter Vitas Pontificum Romanorum a nobis deſcriptas.

(1) Dominicus Soto in 4. Sentent. Diſt. 2. quæſt. 1. extremo art. 3. *Chriſtus nulla lege ad circumciſionem tenebatur, quia neque virili ſemine, quo originale contrahitur, genitus erat, ac ſubinde neque linea maſculina naturalis erat filius Abrahæ.*

& paries filium , & vocabis nomen ejus Jeſum : deinde Joſepho Mariæ Sponſo ſimul præcepit, ut eo nomine puerum appellaret, & ſimul ejus appellationis rationem reddidit. *Vocabis*, inquit, Matth. I. 21. *nomen ejus Jeſum : ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. (2)

2. *Quo in loco circumciſus eſt?*

℟. In eadem, in qua tunc morabatur, ſpelunca. Circumciſio enim non in Synagogis, ſed in privatis ædibus, aut alio quovis loco peragi conſuevit. Sic Abraham, cui primum Deus Circumci-

Bar. ad an. 1. §. 18.

(2) S. Hieronymus in hunc locum D. Matthæi pag. 2. *Jeſus Hebræo ſermone Salvator dicitur. Etymologiam ergo nominis ejus Evangeliſta ſignavit dicens* : Vocabis nomen ejus Jeſum, quia ipſe ſalvum faciet populum ſuum.

S. Auguſtinus lib. 13. de Trinit. cap. 10. §. 14. *Qui Hebraice* Jeſus, *Græce* σωτὴρ, *noſtra autem locutione*, Salvator. *Quod verbum Latina lingua antea non habebat, ſed habere poterat, ſicut potuit, quando voluit*.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 10. §. 11. *Jeſus autem Chriſtus duplici vocabulo nuncupatur : Jeſus, quia ſalutem dat : Chriſtus, quia Sacerdotio fungitur*.

S. Bernardus in Circumciſione Domini ſerm. 2. §. 3. *Merito ſane dum circumciditur Puer, qui natus eſt nobis, Salvator vocatur; quod videlicet ex hoc jam cœperit operari ſalutem noſtram, immaculatum illum pro nobis ſanguinem fundens*.

Omnia ferme nomina, quæ Chriſti perſonæ dantur in Sacris Litteris, complexus eſt S. Pontifex Damaſus his verſibus:

Spes, via, vita, ſalus, ratio, ſapientia, lumen,
Judex, porta, gigas, rex, gemma, propheta, ſacerdos,
Meſſias, ſabaoth, rabbi, ſponſus, mediator,
Virga, columna, manus, petra, filius, Emmanuelque,
Vinea, paſtor, ovis, pax, radix, vitis, oliva,
Fons, paries, agnus, vitulus, leo, propitiator,
Verbum, homo, rete, lapis, domus, omnia,
Chriſtus, Jeſus.

Multa colligit etiam Hieronymus in Ezechielem cap. 46. pag. 485. & Cyprianus initio libri 2. Teſtimoniorum adverſus Judæos.

ciſionis præceptum dedit, domi circumciſus eſt, Gen. XVII. 23.
idemque filium, vernaſque omnes domi circumcidit. Eodem modo Sephora ſuſceptum ex Moyſe filium circumcidit in diverſorio, dum iter faceret in Ægyptum. Exodi IV. 25. Ut omittam vetera, Joannem Baptiſtam in paterna domo circumciſum fuiſſe, aperte oſtendit S. Lucas. Ait enim, Eliſabetham matrem ejus octavo poſt partum die, Cap. I. 59. 60. quo tempore domo exire puerperæ nondum licebat, cum ex præſcripto Legis deberet adhuc *triginta diebus manere in ſanguine purificationis ſuæ*, Levit. XII. 4. circumciſioni præſentem adfuiſſe: quandoquidem cognatis vocantibus puerum *nomine patris ſui Zachariam* ita reſpondentem inducit: *Nequaquam, ſed vocabitur Joannes*. Itaque bene S. Epiphanius hær. 20. §. 1. *Bethleemi in lucem editus, atque in ſpecu circumciſus*. Pag. 47. Sententiæ Epiphanii ſubſcribit Nicephorus lib. 1. cap. 12. *Die octavo, Dominico ſcilicet, circumciditur in Bethleem in domo Joſephi*, nimirum in loco, ubi hoſpitabatur. Namque domum propriam habebat in Galilæa, non Bethleemi in Judæa. (3)

3. *A quo circumciſus eſt?*

℟. Ab alterutro ex parentibus. Nam tum Patres, tum Matres circumcidendi munere fungi conſueviſſe, perſpicuum eſt ex Sacris Litteris: illud ex cap. 17. & 21. Geneſeos, itemque ex cap. 7. Actorum: hoc ex cap. 4. Exodi, & cap. 6. libri 2. Machabæorum. Chriſtum igitur vel Joſephus Pater, vel Maria Mater circumcidit. De Pa-

(3) S. Hilarius Tract. in Pſal. 118. §. 5. p. 274. *Hæc etiam in circumciſione Domini ratio ſervata eſt: & in hoc* octonario *dierum numero, cum ipſe circumciſione non egeret, oblatus in Templo eſt, ut in corpore ejus humanæ carnis recideretur infirmitas*.

Patre ita ſcribit S. Ephrem Syrus in oratione
Pag. 189. tom. 3. de Transfiguratione Domini, ubi Chriſtum veram carnem ſumſiſſe probat ex Circumciſione ejus: *Si non erat caro, Joſeph quem cirumcidit?* De Matre vero ita S. Bernardus, aut quiſquis eſt alius auctor in Lamentatione B. Virginis Mariæ: *Ipſa genuit eum, lactavit eum, die octava circumcidit.* (4)

4. *Fac*,

(4) Innocentius III. lib. 4. de Myſteriis Miſſæ cap. 30. *Quid de Circumciſione Præputii vel Umbilici præciſione dicetur? An in Reſurrectione Chriſti ſimiliter rediit ad veritatem humanæ ſubſtantiæ? Creditur enim in Lateranenſi Baſilica reſervari; licet a quibuſdam dicatur, quod Præputium Chriſti fuit a Hieruſalem delatum ab Angelo Carolo Magno, qui tranſtulit illud & poſuit Aquiſgrani: ſed poſt a Carolo Calvo poſitum eſt in Eccleſia Salvatoris apud Caroſium. Melius eſt tamen, Deo totum committere, quam aliud temere definire.*

Benedictus XIV. antea Proſper Cardinalis Lambertinus de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 24. n. 13. *Quidquid alii, de quibus apud Bollandum ad diem* primam Januarii, *cenſeant de loco, in quo Præputium Chriſti Domini putant aſſervari, pia eſt & conſtans apud Italos traditio, ipſum ad hanc diem eſſe in Eccleſia Oppidi Calcatæ*, quod propius ab Urbe abeſt. Ex Sacrario Ædis Lateranenſis ablatum eo detulerat ſacrilegus miles anno 1527. quo Roma direpta eſt. Lambertinus eadem repetit cap. ſequenti 25. num. 46.

S. Thomas 3. part. quæſt. 70. art. 3. ad 2. *Dicendum, quod cultellus lapideus non erat de neceſſitate Circumciſionis. Unde non invenitur tale inſtrumentum præcepto divino determinatum. Neque etiam communiter tali inſtrumento Judæi utebantur ad circumcidendum, ſicut neque modo utuntur. Leguntur tamen aliquæ circumciſiones famoſæ cultello lapideo factæ, ſicut legitur Exod. 4. quod* tulit Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui. *Et Joſue 5. dicitur:* Fac tibi cultellos lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael. *Per quod figurabatur, circumciſionem ſpiritualem eſſe faciendam per Chriſtum, de quo dicitur 1. Corinth. 10.* Petra autem erat Chriſtus.

4. *Fac, ut narres aliquid de Feſto Circumciſionis.*

℟. Hujus Feſti mentio prima invenitur in Concilio ſecundo Turonenſi, quod anno Chriſti 567. celebratum eſt. Ita enim habet canon ejus decimus ſeptimus: *Ad calcandam Gentilium conſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt, privatas in Kalendis Januarii fieri Litanias, ut in Eccleſiis pſallatur, & hora octava in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur.* (5) Hinc vides etiam ante hujus Concilii tempora Miſſam Circumciſionis celebrari conſueviſſe. Quamvis autem Magnus Gregorius in libro Sacramentorum Kal. Januarii titulum præponat *In octavis Domini*, in Præfatione tamen, ac Benedictione meminit de Circumciſione. Igitur ætate Gregorii Magni, qui anno 590. Pontifex factus eſt, memoria Circumciſionis colebatur. In Kalendario Romano Frontonis eodem Circumciſionis die notatur *Natale S. Mariæ*. Durandus in Rationali divinorum officiorum lib. *6.* cap. 15. §. *16.* affirmat,

(5) Apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 857. & apud Harduinum tom. 3. pag. 360.

S. Auguſtinus ſerm. 198. qui eſt ſecundus in Kalendis Januarii §. 1. & 2. *Solemnitas gentium, quæ fit hodierno die in lætitia ſeculi, atque carnali, & in ſtrepitu vaniſſimarum & turpiſſimarum cantionum*, &c. Et paullo poſt: *Acturus es celebrationem ſtrenarum ſicut paganus, luſurus alea, & inebriaturus te. Quomodo aliud credis, aliud ſperas, aliud amas? ... Dant illi ſtrenas, date vos eleemoſynas. Avocantur illi cantionibus luxuriarum, avocate vos ſermonibus Scripturarum: Currunt illi ad theatrum, vos ad Eccleſiam: inebriantur illi, vos jejunate.* Pravam hanc Ethnicorum conſuetudinem damnant Concilia Turonenſe II. can. 23. Antiſiodorenſe anni 614. can. 1. Romanum anni 743. ſub Zacharia Pontifice can. 9. ad eamque abrogandam olim Eccleſia jejunium indixit, ut patet ex Ordine Romano, qui eſt in Bibliotheca Patrum tom. 13. pag. *667.*

mat, ad ſuam uſque ætatem eodem die Miſſas duas celebrari ſolitas: primam *de pariente*, *ſcilicet de Beata Virgine*, ſecundam *de partu*, *ſcilicet de filio* Virginis. Hac fortaſſe de cauſſa nunc quoque Feſti Circumciſionis Officium, & Miſſa ex parte ad Virginem pertinet.

C A P. I I I.

De Magis, qui Bethleemum ad Chriſtum adorandum ſe contulerunt.

1. *Quinam fuerunt Magi iſti?*

Bar. ad an. 1. §. 21. ℞. NOn fuiſſe viros magicis artibus addictos, ſed Philoſophos peritos Aſtrologiæ, acceptum jam & approbatum eſt. (1) Num Reges fuerint, minus convenit. Probabilior eorum diſputatio, qui dicunt, Reges fuiſſe *uſitato more divinæ Scripturæ*, *quæ cujuſque oppidi dominum Regem*
§. 30. *appellare conſuevit*; ut ait Baronius; quem ſequitur hac in re Caſaubonus ipſe Exercitat. 2. §. 10. concedens, atque confirmans, *Regulos fuiſſe*, *& Toparchas*. (2) Et quidem in Magis videtur
Pſal. LX. XI. 10. impletum illud: *Reges Arabum*, *& Saba dona adducent*. Item illud: *Ambulabunt Reges in ſplendore ortus tui*. Accedit, quod in reges illud quadrare apte videatur: *Apertis theſauris ſuis*. Atque opinionem hanc, ut quæ ad veritatem propenſior

Pſal. LX. 3. Matth. II. 11.

(1) D. Thomas 3. part. quæſt. 36. art. 5. *Magis autem aſſuetis in conſideratione cæleſtium corporum manifeſtata eſt* (Chriſti nativitas) *per ſignum ſtellæ*, *quia*, *ut Chryſoſtomus dicit*, per conſueta eos Dominus vocare voluit, eis condeſcendens.

(2) Hujus generis Reges unus & triginta numerantur in libro Joſue cap. XII. 9. *Rex Jericho*, *Rex Hai*, *Rex Jeruſalem*, *Rex Hebron*, *Rex Jerimoth*, *Rex Lachis* &c.

ſior eſt, & Sacrarum Litterarum ſenſum, fideles jam olim libenter peramarunt.

2. *Quinam ex ſanctis Patribus eos Reges fuiſſe teſtantur?*

℟. Tertullianus in libro adverſus Judæos cap. 9. diſputans de Magis in eam partem fertur oratione, ut dicere videatur, illos Reges fuiſſe. Verba ejus hæc ſunt: *Reges Arabum, & Saba dona afferent illi: nam & Magos Reges fere habuit Oriens*. S. Cæſarius vero Arelatenſis ſerm. 139. in Appendice ſermonum S. Auguſtini idem docet tamquam vulgo receptum. Ait enim §. 3. *Illi Magi tres Reges eſſe dicuntur*. Et S. Gregorius Magnus in libro Reſponſali ſive Antiphonario: *Rex magnus natus eſt Iſrael, & venerunt Re-* Pag. 752.
ges terræ adorare eum. Et obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. S. Hieronymus inſuper in Daniel. cap. 2. ita ſcribit: *Conſuetudo autem, & ſermo communis Magos pro maleficis accipit, qui* Pag. 497.
aliter habentur apud gentem ſuam, quod ſint Philoſophi Chaldæorum, & ad artis hujus ſcientiam Reges quoque, & Principes ejuſdem gentis omnia faciunt. Unde & in nativitate Domini Salvatoris ipſi primum ortum ejus intellexerunt, venientes in ſanctam Bethleem adoraverunt puerum, ſtella eis deſuper oſtendente. Simile quiddam eſt in libro 4. de Trinitate S. Hilarii Pictavienſis. Affirmat enim Magos principes fuiſſe. (3) Multo etiam evidentius, quam ceteri, huic veritati teſtimonium perhibet Paſchaſius Radbertus his verbis: *Ma-*

(3) Verba Hilarii, ſi quis forte cognoſcere cupiat, ſunt hæc in libro memorato §. 38. *Recordemur Orientis Magos adorantes Dominum, & munerantes, & laborem veniendi uſque in Bethleem Judæ tanti itineris metiamur, in Principum enim labore totius Ægypti labor demonſtratus eſt.*

Magos Reges extitiſſe, nemo, qui hiſtorias legit Gentilium, ignorat, quo profectò Reges eos fuiſſe opinamur. (4) Quibus adde, ſi libet, Cl. Claudiani, ſeu Claudiani Mamerti diſtichon illud:

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges,
Myrrham homo, Rex aurum, ſuſcipe thura Deus.

Jure igitur ac merito Magos Chriſti adoratores Reges fuiſſe, *Fidelium pia traditio tenet*, ut ait Baronius ad an. Ch. 1. §. 30.

3. *Quid eſt, quod aliqui eos Reges fuiſſe negent?*

Cap. II. 1. 8. ℞. Negant primo, quia Matthæus illos Magos tantum vocat, non Reges: vocaſſet autem, ſi Reges fuiſſent; quemadmodum Joannes ubi agit de filio Reguli a Chriſto ſanitati reſtituto,
Cap. IV. 46. regiam parentis dignitatem non ſiluit. Secundo quia Herodes eos alloquitur tamquam inferioris conditionis homines, ac etiam pro imperio cum illis agit: *Mittens eos in Bethleem dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renuntiate mihi*. (5) Tertio quia incredibile eſt, Reges exteros in alienam ditionem ingreſſuros fuiſſe, nullis præmiſſis nuntiis, ac legatis ad Herodem. Quarto quia multo incredibilius eſt, Reges quantumvis exiguo comitatu ſeptos, Bethleemo clam

(4) Expoſitionis in Matthæum lib. 2. pag. 391. tom. 14. maximæ Bibliothecæ veterum Patrum.

(5) Joannes Baptiſta Mantuanus, qui medio circiter ſæculo XV. floruit, primus creditur negaſſe, Magos fuiſſe reges ita ſcribens de Epiphania:

Nec Reges, ut opinor, erant: nec enim tacuiſſent
Hiſtoriæ ſacræ Auctores genus iſtud honoris,
Inter mortales quo non ſublimius ullum.
Adde quod Herodes, ut magnificentia Regum
Poſtulat, hoſpitibus tantis regale dediſſet
Hoſpitium, ſecumque lares duxiſſet in amplos,

clam diſcedere potuiſſe, quin ſtatim noviſſet Herodes ſexto duntaxat milliario diſtans: ſex enim millium intervallo abeſt Bethleemo Hieroſolyma, ubi Herodes imperitabat. Quinto demum quia primus omnium Regiam illis dignitatem tribuit Theophylactus ſæculi undecimi ſcriptor. Atque omnia hæc argumenta ſunt, quibus permotus ſummus Theologus Hyacinthus Serry Exercit. 34. §. 2. negat, Magos Reges fuiſſe.

4. *Age ſis, allatas rationes diſſolve.*

℞. *Quod Regum nomen Evangeliſta ſuppreſſerit*, ait Canus lib. XI. cap. 5. *id omnino nihil eſt. Non enim exiſtimavit Evangelii teſtimonium regio apparatu cumulandum, quod Magorum ſapientia, & gravitate ampliſſime ornaverat. In veritate ſane occulta confirmanda regia appellatio obſcura, & otioſa erat, Magorum vox præclara & opportuna.* Etenim ex aſpectu novi Sideris Chriſtum natum cognoſcere, ad Magos, hoc eſt ad aſtrologiæ peritos ſpectat, non ad Reges. Joannes autem Regulum illum, cujus filium Chriſtus ſanum fecit, ideo Reguli nomine appellavit, quia non habuit nomen ſpecioſius & accommodatius, quod ei tribueret: at Matthæus habuit opportunum, & illuſtre Magorum nomen, quo Reges Chriſti adoratores aptiſſime deſignaret. Quamquam in textu Græco, qua lingua ſcripſit Joannes, non legitur Βασιλίσκος, *Regulus*, ſed Βασιλικὸς, *Regius*, id eſt aulicus, Regis miniſter. (6) Præterea Scriptores ſa- Reſp. ad 4.

(6) S. Hieronymus in Eſaiam cap. 65. pag. 214. *Regulus, qui græce dicitur βασιλικὸς, quem nos de aula regia rectius interpretari poſſumus Palatinum, non ſolum filii, ſed univerſæ domus ſuæ reperit ſanitatem.* Vide Baronium ad an. 31. §. 55.

S. Chryſoſtomus in Joan. hom. 34. pag. 179. *Sive quod* re-

ſacri Regios titulos interdum omittunt. Namque amici Job, qui eum *inſultabant*, ut eſt in libro Cap. II. 15. Tobiæ, Reges erant, nuſquam tamen in hiſtoria Job Reges vocantur. *Nam quod Herodes Magos parum honorifice exceperit*, ut idem Canus e veſtigio ſubjungit, *hoc aut Herodiani faſtus indicium eſt*, *aut Romanæ gloriæ & majeſtatis. Indignum vero eſt, magni Regis tumorem in minutorum invidiam, odiumque convertere*. Nulla porro cauſſa fuit, (id enim erat tertium) cur Magi nuntios & legatos præmitterent, cum nullo apparatu regio, aut comitatu iter ſuſcepiſſent, ne forte adventu ſuo, & inopinato in Judæam ingreſſu Herodes turbaretur, qui re ipſa vix audito ab ipſis ortu Regis Judæorum vehementer commotus eſt. Ex quo facile labefactatur etiam ratio quarto loco propoſita. Nam viri nulla regiæ majeſtatis ſpecie conſpicui, privatim functi munere adorationis facile clam, Herode Hieroſolymis commorante, diſcedere Bethleemo potuerunt: præſertim cum Herodes non dubitaverit, quin imperata facerent, quemadmodum re ipſa feciſſent, niſi a Deo in ſomnis juſſi eſſent *per aliam viam reverti in Regionem ſuam*. (7) Matth. II. 12. Ad extremum nego, Theophylactum fuiſſe primum, qui Magis regiam dignitatem tribuerit. Bibl. Patr. tom. 14. pag. 391. Nam Paſchaſius Radbertus recentiſſimus Patrum omnium, quos ſupra nominavi, utpote qui ſæculo Chriſti nono circa annum 844. floruit, eos Reges fuiſſe, libro 2. in Matthæum prodidit. Li-

ben-

regio eſſet genere, ſive quod alia principatus dignitate fungeretur, Regulus appellabatur. Nonnulli eumdem hunc eſſe opinantur, & qui eſt apud Matthæum VIII. 5. Sed alter profecto videtur, non modo dignitatis nomine, verum & fide. Quod quidem Chryſoſtomus longa comparatione probat, & amplificat. Vide Maldonatum in Matth. cap. II. 1.

(7) Vide Ludovicum Vincentium Gotti in Veritate Religionis Chriſtianæ confirmata tom. 4. part. 1. cap. 11. §. 2. num. 15. pag. 238.

benter autem Theologo celebri illud aſſentior, quod inſuper contendit, Prophetica verba illa Pſalmi 71. *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent*: itemque illa Eſaiæ cap. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui:* peculiariter dicta non eſſe de Magis Chriſti recens nati adoratoribus, ſed generatim & univerſe de Regibus gentium, nationumque barbararum ad Chriſti cultum advocandis. Mihi enim ſatis eſt, illa ad Magos aliquo modo ſpectare, ut etiam cauſſæ meæ favere videantur.

5. *Quot fuerunt?*

℟. Tres fuiſſe creduntur. Hunc numerum definivit S. Leo Magnus paſſim in ſermonibus de Epiphania 30. 32. 33. 34. 35. 36. & epiſt. 16. cap. 2. Leonis veſtigiis alii ex ſanctis Patribus poſtea inſtiterunt. (8) Auctor Operis imperfecti in Matthæum hom. 2. ex apocrypha *quadam Scriptura inſcripta nomine Seth* duodecim fuiſſe ſcribit, quem ſequitur Petrus Abaelardus ſerm. 4. de Epiphania. Auctor Gloſſæ Ordinariæ, qui vulgo creditur fuiſſe Walafridus Strabo, numero eorum minime definito, dicit, plures fuiſſe. Pag. 776.

(8) Auctor ſermonis 136. §. 4. in Appendice apud S. Auguſtinum: *In eo, quod tria offeruntur, Trinitas intelligitur. In eo vero, quod tres ſunt, & ſinguli ſingula offerunt, in Trinitate unitas declaratur.* Verba prope ipſa leguntur apud Euſebium Epiſcopum Gallicanum hom. 1. de Epiphania tom. 6. Bibliothecæ Patrum pag. 622.

S. Maximus Taurinenſis hom. 3. de Epiphania Domini, quæ eſt in Bibliotheca Patrum tom. 6. pag. 10. *Et uno itinere tres ſimul adoraturi veniunt Magi, quia in uno Chriſto Jeſu, qui omnium credentium via eſt, inſeparata ab eis erat Trinitas adoranda.*

6. Quibus nominibus appellabantur?

Maji tom. 1. pag. VII. ℞. Nomina Magorum, ut docet Bollandus, inaudita fuerunt uſque ad exitum ſæculi duodecimi. Nullus enim *ſcriptor vel Græcus, vel Latinus profertur per tot ſæcula, uſque ad Friderici Barbaroſſæ tempora, qui nomina nunc vulgata uſurparit*. Exinde ab aliis *Melchior*, *Gaſpar*, *Balthaſar* nuncupantur: (9) ab aliis *Appellius*, *Amerus*, *Damaſcus*: ab aliis *Magalath*, *Galgalath*, *Saracin*: (10) ab aliis *Ator*, *Sator*, *Parateras*. (11) Anno 1638. fuit in Gallia, qui edito volumine perſuadere tentaverit, Magos non alios fuiſſe, quam *Henochum*, *Eliam*, & *Melchiſedechum* e terreſtri Paradiſo ad Chriſti præſepe a ſtella deductos. (12)

(9) In Collectaneis, quæ exſtant tom. 3. Operum *Venerabilis* Bedæ pag. 481. & eidem perperam adjudicantur, non longe ab initio, Magorum primus, qui *Melchior* dicitur, ſenex, canus, promiſſa barba & capillis perhibetur: ſecundus nomine *Gaſpar* juvenis, imberbis, rubicundus: tertius, qui *Balthaſar* vocatur, fuſcus, integre barbatus. Hinc fortaſſe hauſerunt pictores, ut Magorum unum colore ſubnigro, ceteros albo effingerent.

(10) Zacharias Epiſcopus Chryſopolitanus in unum ex quatuor Evangeliſtarum dictis Evangelium lib. 1. cap. 8. Bibl. Patr. tom. 19. pag. 758. *Nomina trium Magorum Græce* Appellius, Amerus, Damaſcus. *Appellius interpretatur* fidelis, *Amerus* humilis, *Damaſcus* miſericors. *Hebraica lingua vocati ſunt* Magalath, Galgalath, Saracin. *Magalath interpretatur* nuncius, *Galgalath* devotus, *Saracin* gratia. Vide ſupra annotationem 19. ad cap. 1.

(11) Caſaubonus exercitat. 2. ad Annales Baronii §. 10. *Puduit jure merito harum ineptiarum Cardinalem Baronium, apud quem in tam prolixo de Magis ſermone de illorum nominibus ne verbum quidem*. Et paullo infra ſubjungit, *iſtas appellationes ab homunculis profectas non ſolum otioſis, & imperitis, ſed etiam impiis, & artium curioſarum ſectatoribus*.

(12) Quod commentum refellit Theophilus Raynaudus in Diptychis Marianis part. 5. puncto 8. num. 25.

7. Unde venerunt?

℟. Incertum. Nam Perſæ habentur a multis, ab aliis Chaldæi. Nonnullis viſum eſt, Æthiopes fuiſſe, quibuſdam fuiſſe Indos. Aliqui ex Meſopotamia, plerique ex Arabia Felice regione ad ortum Judææ collocata illos deducunt. Horum ſententiæ conveniens congruenſque videtur illud Pſalmi 71. *Reges Arabum, & Saba dona adducent*: itemque illud: *Dabitur ei de auro Arabiæ*. Bar. ad an. 1. §. 23.

8. Habes ne idoneos auctores hujus ſententiæ?

℟. Habeo longe antiquiſſimos, Juſtinum, & Tertullianum. S. Juſtinus in Dialogo cum Triphone: *Porro Magi Arabes cum perveniſſent Bethleem, & adoraſſent puellum*. Tertullianus in libro adverſus Judæos cap. 9. *Accepit Chriſtus infans virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ. Maneant enim Orientales illi Magi, infantiam Chriſti recentem auro, thure, myrrha munerantes . . . . . Nam de hoc auri munere etiam David dixit*; Et dabitur illi de auro Arabiæ: *Et iterum*: Reges Arabum, & Saba dona afferent illi: *nam & Magos Reges fere habuit Oriens, & Damaſcus Arabiæ retro de-* Pag. 305.

C 2 pu-

(12) Jacques d'Auſoles Traitè de l' Epiphanie, part. 2. apud Honoratum a S. Maria tom. 2. Animadverſionum in regulas & uſum Critices lib. 3. differt. 4. art. 2. pag. 272.

Petavius lib. I. de opificio ſex dierum cap. 4. §. 3. pag. 242. tom. 3. *Hujus auctor ipſe librum quemdam edidit nuper, quem* Epiphaniam *inſcripſit, in quo de tribus Magis anilem & inſulſam fabulam texuit. Hos enim tres iſtos eſſe defendit*, Henochum, Melchiſedechum, & Eliam.

putabatur, antequam tranſcripta eſſet in Syrophœnicem ex diſtinctione Syriarum. Eadem repetit lib. 3. contra Marcionem cap. 13. (13).

9. Quandonam Bethleemum adventarunt?

Bar. ad an. 1. §. 31. ℞. Quadruplex opinio eſt. Alii biennio integro, (14) alii die tertio decimo, poſtquam natus

(13) Grotius tom. 6. Criticorum Sacrorum pag. 71. & 72. ad verba illa Matthæi cap. II. 1. Ἀπὸ ἀνατολῶν, *ab Oriente. Perplacet mihi vetuſtiſſima Chriſtianorum, atque inter eos Juſtini martyris, ac Tertulliani ſententia, quam & Epiphanius ſequitur, ab Arabia veniſſe hos ſapientes. Eam enim Judæi, uti ſibi ab ortu adſitam, hoc nomine vulgo appellabant, ut videre eſt Gen. X. 30. XXV. 6. 18. Jobi I. 3. Judic. VI. 3. 1. Reg. IV. 30. Eſaiæ XI. 14. Jerem. XLIX. 28. Tacitus in deſcriptione Judææ:* Terra, fineſque qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur. *Chaldæi Septemtrionalium potius nomine cenſebantur, Jerem. XXV. 9. Et munera, quæ attulerunt, Arabica ſunt, non Perſica. Neque vero ſoli Perſarum ſapientes Hebræis Græca lingua utentibus Magi vocabantur, ſed & alii, ut videre eſt in Græca Danielis hiſtoria. Habuit autem & Arabia antiquitus ſapientes ſuos tum naturæ omnis, tum aſtrorum in primis ſtudioſos, quod nos docent Jobi ejuſque amicorum colloquia. Nec aliter ſumam, quod Salomon dicitur antecelluiſſe ſapientibus, ut Ægypti, ita & Orientis, id eſt Arabiæ,* 1. *Reg. IV.* 30. *Et Pythagoram ſapientiæ cauſſa Arabes adiiſſe, ſcriptum Porphyrio, cujus in eam rem verba apud Cyrillum exſtant decimo contra Julianum. Quin ipſum nomen* Ἐλύμας, *quod a Luca* μάγος *vertitur Actorum XIII. 8. ab Arabia venit: & Plinius* (lib. 25. cap. 2.) *Magorum Arabiæ meminit: & Ptolemæus* (lib. 6. cap. 7. tabula 6. Aſiæ) *in Arabia ponit Magorum ſinum*. Atque hinc refellitur Hyacinthus Serry, qui exercitat. 34. §. 6. pag. 237. dixit, *Magorum nomen fuiſſe apud Arabes inauditum*.

(14) Horum Dux S. Epiphanius Hær. 51. §. 9. pag. 431. *Neque Mariam in ſpelunca, ubi pepererat,* Magi *repererunt, ſed, ut Evangelium narrat, ſtella illos ad eum locum perduxit*, ubi erat puer. Et intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria; *non in Præſepi, vel in ſpelunca, ſed in domo ſcilicet, ut accurata rei veritas, ac biennii intervallum exprimeretur, quod ab eius natali ad Magorum adventum effluxerat*. Lege infra poſitum reſponſum ad interrogationem 13.

tus fuerat, Jeſum a Magis Bethleemi adoratum, exiſtimant. Sunt etiam, qui velint, eos Bethleemum adventaſſe poſt Virginis Matris purificationem; nec deſunt, qui ante Purificationem quidem, ſed paucis tantum diebus, VIII. videlicet, aut VI. Kal. Februarii illos acceſſiſſe, contendant.

10. *Ex his quos potiſſimum probas?*

℞. Eos, qui dicunt, Magos Bethleemum veniſſe poſtridie Nonas Januarii, hoc eſt die tertio decimo poſt Chriſtum natum. Id enim & Matthæus indicaſſe videtur illis verbis: *Cum na us eſſet Jeſus, ecce Magi*: quod *ecce* de re proxima, & quaſi præſenti dici ſolet: & Eccleſia jamdiu hoc traditum a majoribus conſervavit, ut docet S. Auguſtinus, cujus hæc ſunt verba in ſermone 203. de Epiphania 5. cap. 1. *Chriſtus ante dies tredecim natus a Magis hodie traditur adoratus. Quia factum eſt, Euangelii loquitur veritas; quo die autem factum ſit, ubique clamat tam præclaræ iſtius ſolemnitatis auctoritas.* (15) Auguſtino ſuffragatur D. Thomas 3. part. quæſt. 36. art. 6. *Magi pervenerunt ad Chriſtum decima tertia die nativitatis ejus, quo die feſtum Epiphaniæ celebratur.* Neque ulla obſtat longinquitas loci. Nam iter ex Arabia Felice Hyeroſolymam intra dies octo camelorum opera confici poſſe, tradit Petrus de Marca in libello *de Adventu Magorum*

(15) Idem Auguſtinus ſerm. 202. de Epiphania 4. cap. 1. §. 1. *Epiphania Græce, Latine manifeſtatio dici poteſt. Hoc enim die Magi Dominum noſtrum adoraſſe perhibentur, ſtella ſcilicet apparente commoniti, & præcedente perducti. Eo quippe die, quo natus eſt* (Chriſtus) *illi ſtellam in Oriente viderunt, & quem natum indicaverit, agnoverunt. Ex illo igitur die ad hunc diem excurrerunt.*

ad Chriſtum, qui exſtat inter opuſcula ejus poſthuma a Stephano Baluzio edita.

11. *Quænam ſunt, quæ contra dicuntur?*

℟. Tria hæc in primis deſumta ex Euangelio
Cap. II. 13. 14. 16. D. Matthæi: Herodem juſſiſſe occidi *omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis:* id, quod ab eo imperatum non fuiſſet, ſi ab ortu ſtellæ, de quo diligenter Magos interrogaverat, ad eorum adventum tredecim duntaxat dies interceſſiſſent. Deinde nullum poni ſpatium temporis inter diſceſſum Magorum Bethleemo, & mandatum ab Angelo datum Joſepho de fuga in Ægyptum; ex quo apparet, ſi Magi die 6. Januarii venerunt, Angelum præcepiſſe Joſepho, ut fugeret in Ægyptum ante Purificationem: quod affirmari nullo modo poteſt;
Cap. II. 12. cum Lucas hiſtoriam Virginis in Templo purificatæ exponat. Tertio Herodem, ſtatim atque ſenſit, ſe a Magis illuſum, puerorum cædem indixiſſe; quæ cædes cum facta non ſit niſi aliquot poſt Purificationem diebus, ſequeretur, illum qui valde ſolicitus expectabat, quid ſibi Magi de puero renuntiarent, duntaxat poſt menſem cognoviſſe, ſe ab illis deceptum; quod difficile creditu eſt. Præterea cominus congredientes conantur evertere fundamenta opinionis noſtræ. Ajunt enim voculam *Ecce* non ſignificare rem proxime ab ortu Chriſti peractam. Nam Matthæus ea uſus conjungit cum diſceſſu Magorum præceptum ab Angelo datum Joſepho de fuga in Ægyptum, licet inter diſceſſum eorum, & fugam in Ægyptum menſis interceſſerit. Poſtremo Catholicam Eccleſiam non ponere pro certo, Chriſtum die 6. Januarii a Magis adoratum, quia eo die ejus rei memoriam ce-

le-

lebrat. Nam ob id puerorum cædes ante Magorum adventum facta eſſet, quippe Eccleſia illam recolit inter feſta Chriſti natalitia ante Epiphaniam.

12. *Quomodo hæc refellenda?*

℞. Ad primum reſponſum eſt ab Euthymio cap. 2. Commentarii in Evangelium Matthæi. *Quod ſi, inquit, a bimatu, & infra juſſit Herodes pueros interimi, ne mireris: ſuſpicabatur enim non ſtatim apparuiſſe Magis ſtellam, ſed fortaſſis puerum ante ejus apparitionem natum fuiſſe. Ideo ſecuritatis cauſſa tempus anticipavit, & uſque ad fines Bethleem cædem extendit, ut undique quod venabatur, concluderet, & una cum interfectorum multitudine etiam Chriſtum interficeret. Eos ergo, qui bimuli erant, occidit, ut tempus ampliationem haberet, ſicut prædiximus: illos vero, qui minoris erant ætatis*, ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis. *Itaque & tempus, quod a Magis didicit, obſervavit, & latitudinem alteram ipſe adjecit. Reſtat igitur, ut verba illa*, ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis; *non in eo, quod dicitur* a bimatu, *intelligas, ſed in eo, quod additur* & infra. *Oportet enim poſt id, quod dicitur* a bimatu, *diſtinctionem ponere: deinde totum, quod ſequitur, ſimul legere. Si enim, ſicut dicunt, duorum annorum tempus expletum eſſe didiciſſet, nequaquam eos perdidiſſet, qui minoris erant ætatis*: (16) Euthymio conſentiens D. Thomas, *Ideo*, ait, *non ſolum bimos pueros interfecit, ſed etiam infra, quia, ut Auguſtinus dicit in quodam ſermone Innocentium*, timebat, ne puer, cui ſidera famulantur, ſpeciem ſuam paullo ſupra æta- Bar. ad an. 1. §. 33. 3. Part. quæſt. 36. art. 6. ad 3.

C 4 tem,

(16) In Maxima Bibliotheca veterum Patrum tom. 19. pag. 494.

tem, vel infra transformaret. (17) Secundum ſolvit Auguſtinus, qui lib. 2. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. 5. §. 16. ubi multa collegit, quæ Matthæus prætermittit, & Lucas dicit, ſeu quæ Lucas prætermittit, & dicit Matthæus: *Hic proinde*, ait, *cognoſcendum eſt, quod deinceps ad cetera talia valeat, ne ſimiliter moveant, animumque conturbent, ſic unumquemque Evangeliſtam contexere narrationem ſuam, ut tamquam nihil prætermittentis ſeries digeſta videatur. Tacitis enim, quæ non vult dicere, ſic ea, quæ vult dicere, illis, quæ dicebat, adjungit, ut ipſa continuo ſequi videantur*. Matthæus igitur, omiſſa hiſtoria Purificationis, cum Magorum diſceſſu conjungit fugam in Ægyptum, & Lucas ſcribit, Virginem poſt Purificationem Nazarethum regreſſam, nullamque mentionem facit de fuga Nazaretho in Ægyptum. Uterque nimirum brevia narrandi ſecutus compendia, res quaſi eo ordine geſtas deſcribit. Tertium quoque nodum idem Auguſtinus extricavit. Ita enim loquitur cap. 11. ejuſdem libri §. 24. *Omitto dicere, quot. & quantis occupationibus regia cura diſtendi potuerit, & per plurimos dies ab illa intentione vel averti omnino, vel impediri... Illud dico, poſteaquam nihil Herodi Magi renuntiaverunt, eum credere potuiſſe, illos fallaci ſtellæ viſione deceptos, poſteaquam non invenerunt, quem natum putaverant, eru-*

(17) S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 7. pag. 66. *Quod ſi a biennio & infra Herodes pueros interfecit, non mireris. Siquidem conveniens in eumdem tyrannum pavor & furor pro abundantia cautionis, & licentia perſecutionis majus etiam tempus includit: ne quis profecto ejus ætatis, & fortaſſe is potiſſimum, propter quem alii interimuntur, effugiat.*

Melchior Canus lib. 11. de locis cap. 5. in reſponſione ad 5. ubi cauſſam noſtram tuetur: *Sed ais: Cur bimos interfecit, ſi non ſecundum tempus ſtellæ? Reſpondeo: Cur in omnibus finibus Bethleem, ſi in Bethleem juxta Prophetam natus eſt Chriſtus? Quemadmodum ergo ex propria malitia ampliavit locum, ſic ampliavit & tempus.*

erubuiſſe ad ſe reverti, atque ita eum, timore depulſo, ab inquirendo ac perſequendo puero quieviſſe. Deinde vulgatis rebus, quæ in Templo facta, dictaque fuerant, Herodes ſe a Magis ſenſit illuſum, ac deinde ad Chriſti mortem cupiens pervenire, multos infantes, ſicut Matthæus narrat, occidit. Atque his tribus rejectis, quartum ſequitur, quod non modo non eſt contra nos, ſed a nobis etiam. Nam Cap. II.
Matthæus ipſe ibidem de Magis loquens, ſemel 9. 19.
atque iterum utitur particula *Ecce* ad ſignificandam rem, quæ mox peracta eſt. *Qui cum audiſſent Regem, abierunt, & ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos:* & paucis interjectis: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto dicens; Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſrael.* Nemo, opinor, negabit, aut ſtellam Magis Hieroſolyma egreſſis Bethleemum ferentem viam ſtatim rurſus monſtraſſe, aut Angelum ſtatim a morte Herodis Joſepho in Ægypto apparuiſſe. Quidni igitur liceat affirmare, Joſephum, ſtatim ac Magi diſceſſerunt, ab Angelo admonitum, ut fugam in Ægyptum pararet? Neque vero particula *Ecce* referenda eſt tantum ad profectionem Magorum ex Oriente, non autem ad eorum adventum Hieroſolymam: etenim Matthæus utrumque conjungens, ad utrumque referendum eſſe oſtendit. *Cum natus eſſet Jeſus... Ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam.* Sed eſto, ad ſolum diſceſſum ex Oriente pertineat. Viſa igitur ſtella die ortus Domini nulla mora interpoſita Magi diſceſſerunt: commode igitur intra dies tredecim Bethleemum, quod ab Arabia iter dierum octo abeſt, pervenerunt. Do autem libenter, ut ad illud poſtremum veniam, Eccleſiam feſta Sanctorum, ordine temporum haud conſervato, interdum celebrare: at
ſimi-

ſimili modo etiam Chriſti ſolemnitates recolere, ſi eas excipias, quæ *Mobiles* dicuntur, non ita facile conceſſerim. Cum enim ipſorum adverſariorum aſſenſu, recta temporis ratione ſervata, Chriſto concepto diem 25. Martii, nato diem 25. Decembris, circumciſo diem primum Januarii, & baptizato diem ejuſdem menſis ſextum Eccleſia voverit ac ſacraverit: non video, cur poſtea negent, Chriſtum die ſexto Januarii a Magis adoratum, cum eo die Chriſti a Magis adorati memoriam eadem Eccleſia commemoret. Aut igitur hujus diſcrepantiæ cauſſam afferant, aut Magos poſtridie Nonas Januarii Bethleemum veniſſe, & Chriſtum adoraſſe, cum Eccleſia conſentiant.

13. *Quo in loco Magi Jeſum adorarunt?*

℟. *In humili tugurio, ſqualidoque præſæpio*, ut ait
Pag. 52. S. Chryſoſtomus hom. 6. in Matthæum. Sic Auguſtinus enarratione in Pſalm. 44. §. 3. *Magos ſtella direxit, adoratus eſt in præſepi, cibaria manſuetorum*. Sic Hieronymus epiſt. 17. & 18. ad
Pag. 130. & 134. Marcellam: *Ecce in hoc parvo terræ foràmine Cœlorum conditor natus eſt: hic involutus pannis, hic viſus a paſtoribus, hic demonſtratus a ſtella, hic adoratus a Magis*. Sic Eccleſia: *Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium*, Itaque ut ſcribit Baronius ad an. 1. §. 34. *jure redarguuntur, qui aliter ſenſerunt ea levi ratione permoti, quod Matthæus nullam de præſepi fecerit mentionem, ſed dixerit, eos* intraſſe domum, & inveniſſe puerum cum Maria matre ejus: *quaſi vero non ſit divinæ Scripturæ ſatis frequens phraſis, locum quemlibet, ad habitandum tamen accommodatum, quantumlibet exiguum, domum appellare: cum & nidum avium, domum quoque nominet, ut videre eſt in Pſalmo:* Herodii

do-

domus. *Unde Euthymius ſic optime*: Hic, *inquit*, In Matth. 2.
tugurium domum eppellat.

14. *Adorarunt ne tamquam Deum?*

℟. Id aperte tradunt Irenæus, Origenes, & Chryſoſtomus. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 10. ſcribit, *deductos a ſtella in domum Jacob ad Emmanuel per ea, quæ obtulerunt, munera oſtendiſſe, quis erat, qui adorabatur: Myrrham quidem, quod ipſe erat, qui pro mortali, humanoque genere moreretur & ſepeliretur: Aurum vero, quoniam Rex*, cujus Regni finis non eſt: *Thus vero, quoniam Deus, qui & notus in Judæa factus eſt, & manifeſtus eis, qui non quærebant eum*. Origenes lib. 1. contra Celſum §. 60. *Poſtquam didicerunt, ubi natus fuiſſet, ut regi aurum, ut morituro myrrham, ut Deo thus obtulerunt*. Chryſoſtomus in Matth. hom. 8. *Idcirco*, ait, *nihil ibi de ſenſibilibus iſtis grande conſpicitur, ſed anguſtum tugurium, ac vile præſepium, & inops mater, ut melius nuda Magorum philoſophia clareſceret; & ut diſcas, quia non tamquam homini tantum, ſed tamquam Deo auctori omnium ſupplicarint bonorum*. Id intelligi poteſt etiam ex Epiphanio hær. 30. §. 29. atque Hilario in Matthæum cap. 1. §. 5. S. Ambroſius quoque lib. 1. de Fide cap. 4. §. 31. idem ſentire ſe oſtendit his verbis: *Unum Deum Magi crediderunt, & aurum, thus, & myrrham ſupplices ad Chriſti cunabula detulerunt, auro Regem fatentes, ut Deum thure venerantes. Theſaurus enim regni, ſacrificium Dei, myrrha eſt ſepulturæ*. Adde, quod Eccleſia in feſto Epiphaniæ ita Deum precatur: *Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus, ſtella duce, revelaſti*: ac præterea utitur hymno Sedulii canentis ita de Magis: *Deum fatentur munere*. S. Hieronymus in Matth. cap. 2. celebrat pulcherri-

Pag. 375. tom. I.
Pag. 74.
Pag. 2.

rimum Juvenci Presbyteri verſiculum, quo munerum ſacramenta comprehendit:

Thus, Aurum, Myrrham, Regique, Hominique,
Deoque Dona ferunt.

Concinit memoratus Sedulius:

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi,
Thura dedere Deo, myrrham tribuere ſepulto. (18)

15. *Obtulerunt ne ſinguli munera ſingula, an ſinguli tria?*

℞. Abulenſis quæſt. 36. in cap. 2. Matth. vult, ſingulos tria obtuliſſe: *quia munera iſtorum Regum debebant eſſe ſolemnia, ſicut decebat ipſos Reges dare, & ſicut decebat dari ipſi Chriſto, quem tamquam Deum adorabant*. Salianus ad an. Mundi 4053. §. 27. Abulenſis ſententiam roborat teſtimonio S. Anſelmi in eumdem Matthæi locum, ubi non ſolum tradit, quid ſentiat, ſed cur etiam ſentiat. *Magis fatendum eſt*, inquit, *quod congruit myſterio, ſcilicet quod ſinguli tria: unuſquiſque enim Regem, & Deum, & paſſibilem eum crediderunt*. Eodem modo Paſchaſius Radbertus in Matth. lib. 2. pag. 395. *Hoc*, ait, *potius congruit in myſterio. Quia nemo Chriſtianus recte dicitur, niſi qui eum ubique Deum regnare fatetur, & pro ſalute generis Deum hominem factum, ſine ambiguo mortuum confitetur.*

16.

(18) Lib. 2. Operis Paſchalis ver. 95. pag. 1663.

In iis, quæ Concilium Epheſinum Oecumenicum III. anteceſſerunt, apud Labbeum tom. 3. Conc. pag. 119. eſt Theophili Epiſcopi locus hic: *Conſtat namque Magos, qui ad illum venerunt, eum ipſum, qui apparuerat, adoratione ſua ut Deum agnoviſſe*. Vide Abulenſem quæſt. 43. in Matth. cap. 2. & Honoratum a S. Maria tom. 2. Animadverſionum in Regulas & uſum Critices lib. 3. diſſertat. 4. art. 5. 6. & 7.

16. *Stella Magorum dux fuit ne una ex cæleſtibus ſtellis?*

℟. Minime vero : atque id conſtat inter doctiſſimos. Quid autem fuerit, quæritur. D. Thomas Part. 3. quæſt. 36. art. 7. rejectis tum iis, qui putant, eam fuiſſe Spiritum Sanctum, tum iis, qui volunt fuiſſe Angelum a Paſtoribus per ſpeciem hominis viſum, cenſet, fuiſſe *ſtellam de novo creatam non in Cœlo, ſed in aere vicino terræ, quæ ſecundum divinam voluntatem movebatur*, ut Magis iter oſtenderet, perinde, ut ego quidem arbitror, atque columna ignis noctu, & nubes interdiu Iſraelitas per deſertum deduxit. (19) Bar. ad an. 1. §. 35.

17.

(19) S. Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum cap. 5. *Non ex illis erat hæc ſtellis, quæ ab initio creaturæ itinerum ſuorum ordinem ſub Creatoris lege cuſtodiunt; ſed novo Virginis partu novum ſydus apparuit*. Et ſerm. 201. in Epiphania 3. alias de tempore 31. cap. 1. §. 1. *illa ſtella nec unquam antea inter ſidera apparuit, nec poſtea demonſtranda permanſit*.

Fridericus Spanhemius in *Dubiis Evangelicis* dub. 27. num. 8. pag. 297. it in ſententiam S. Auguſtini, ac D. Thomæ. *Omnibus expenſis, hæc ſententia tutiſſima videtur, hanc ſtellam fuiſſe corpus lucidiſſimum, ſed exiguæ molis, a Deo extraordinarie, non in Cælo æthereo, ſed aereo, ejuſque regione inferiore formatum, ſive per creationem immediatam, ſive per mediatam; & motu arbitrario pro Dei voluntate motum ad deſignationem eventus extraordinarii, & directionem itineris Magorum ad Domum & Dominum: quod, miniſterio illi præſtito, pro Creatoris voluntate diſparuit, ſive per annihilationem, ſi immediate creatum dicatur, ſive per reſolutionem in materiam, ex qua compactum erat, ſi creatione mediata productum ſtatuatur.... Ad hanc ſententiam accedunt inter alios Origenes, Auguſtinus, Damaſcenus, & Thomas, qui ait, fuiſſe* ſtellam de novo creatam non in Cœlo, ſed in aere vicino terræ, quæ ſecundum Divinam voluntatem movebatur.

Varias auctorum opiniones de ſtella hac refert Auguſtinus Calmet in Diſſertat. de Magis Chriſti adoratoribus pag. LVII. & LVIII. tom. 7. & Lambertinus de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 25. num. 2.

17. Per quam viam Magi ad ſuos redierunt?

℟. Eos, adorato Jeſu, acceptoque in ſomnis
Cap. II. 12. Bar. ad an. 1. §. 37. mandato, ne redirent ad Herodem, *per aliam viam reverſos eſſe in regionem ſuam*, dicit Matthæus. At quam viam tenuerint, omnino ſilet. Si Arnobio juniori, qui ſæculo Chriſti quinto vixit, credere libet, maritimo itinere ad ſuos redierunt. Namque ita creditum in Herodis aula, ſcribit in commentariis ad Pſal. 47. *Tempore, quo non eſt inventus Dominus, & infantes occiſi ſunt, etiam navigia regio ſunt juſſu vexata, quibus Magi, qui non redierant ad Regem, credebantur fugere potuiſſe.* (20)

CAP.

(20) In Bibliotheca Patrum tom. 8. pag. 262.

Chryſoſtomo in Matth. hom. 6. pag. 36. *videntur iſti* (Magi) *etiam in regione propria facti poſtea Civium ſuorum magiſtri.*

Auctor Operis imperfecti hom. 2. in Matth. pag. 776. Cum (Magi) *reverſi fuiſſent, manſerunt colentes & glorificantes Deum ſtudioſius magis, quam primum, & prædicarunt omnibus in genere ſuo, & multos erudierunt. Denique cum poſt reſurrectionem Domini Thomas Apoſtolus iſſet in provinciam illam, adjuncti ſunt ei, & baptizati ab eo, facti ſunt adjutores prædicationis illius.* Vide noſtram Hiſtoriam Apoſtolicam in Vita S. Thomæ Interrogatione 8.

Magorum memoria variis diebus celebratur, *Gaſparis* die primo Januarii, *Melchioris* die ſexto, *Balthaſſaris* die undecimo. Bollandus tom. 1. Jan. pag. 8.

Eorum ſacra corpora Conſtantinopolim e Perſia jampridem translata, & in Baſilica S. Sophiæ auguſtiſſimo apparatu collocata, inde ab Euſtorgio I. Epiſcopo Mediolanum delata, ibique ſexcentis, & ſeptuaginta annis in Baſilica Euſtorgiana religioſe aſſervata, demum Federico Ænobarbo Imperatore, Coloniam ab Reinoldo Archiepiſcopo aſportata, reconduntur. Galeſinius in Annot. ad Martyrologium S. Romanæ Eccleſiæ VIII. Idus Januarii, cujus verba affert etiam Bollandus ad eumdem diem pag. 313. num. 2. & pag. 664. num. 3. die XI. ejuſdem menſis Januarii hæc habet: *In Colonienſi Eccleſia commemoratio fit hoc die omnium trium Regum.*

CAP. IV.

De Chriſti Præſentatione in Templo; ejuſque fuga in Ægyptum.

1. *Quomodo præſentatio Chriſti in Templo peracta eſt?*

℟. Exactis quadraginta ab ortu Chriſti diebus,
parentes ejus Hyeroſolymam ſe contule- Luc. II.
runt, ut eum Domino ſecundum legem Moyſis 22.
ſiſterent, atque conſecrarent. (1) Templum in- Bar. ad
gredientibus occurrens Simeon juſtus, & pius ſe- an. 1. §.
nex accepit ex manibus Virginis in ulnas ſuas 38.
Dominum, quem viſurum ſe, antequam morere-
tur, Spiritus Sancti inſtinctu didicerat. Tanto
beneficio lætus gratias Deo egit, & prophetico
afflatus Spiritu Canticum *Nunc dimittis* cecinit:
deinde Joſepho, & Mariæ bene precatus eſt, mul-
ta de Maria, ejuſque Filio divinitus prædicens,
quæ narrantur a D. Luca.

2. *Simeon hic fuit ne Sacerdos, an Laicus?*

℟. Parum compertum habeo. Diſſentiunt enim
inter ſe auctores. Sanctus Methodius Tyri E-
piſcopus, qui exeunte ſæculo III floruit, homi-
lia in Feſto Purificationis Simeonem alloquens,
optimum Sacerdotum appellat. Eſt in eadem o-
pinione Sanctus Proclus Archiepiſcopus Conſtan- Bar. ad an. 1. §.
ti- 40.

(1) S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 7. pag. 63. *Idcirco non continuo ut natus eſt, in civitatem ſuam venit., ſed in Bethleem quadraginta eſt remoratus diebus, ut his, qui diligentius vellent de ipſo cuncta rimari, occaſionem inquiſitionis ingereret.*

tinopolitanus, qui anno 434. vivebat, extrema oratione 4. *in Natalem diem Domini*: eſt Sophronius Hieroſolymitanus, qui ſub initium ſæculi ſeptimi floruit, ode in *Hypapante*, & oratione *Encomiaſtica* in S. Joannem Baptiſtam: Leo item cognomento *Philoſophus* Imperator Conſtantinopolitanus, qui claruit anno 886. Oratione 4. in Deiparæ Purificationem. (2) Athanaſius quoque *De communi eſſentia Patris, Filii, & Spiritus Sancti* §. 36. Epiphanius *De vitis Prophetarum* cap. 24. & Cyrillus Hieroſolymitanus oratione in *Occurſum Domini* §. 21. (3) quæ quidem ſcripta ſi non Athanaſii, non Epiphanii, non Cyrilli ſint, ſunt certe auctoris antiqui. (4) Contra vero Theophylactus ſæculi XI. ſcriptor Enar-
Pag. 318. rat. in Lucam cap. 2. *Non erat Simeon Sacerdos*, inquit, *ſed homo Deum amans, & expectans quando veniat Christus conſolaturus Hebræos, & liberaturus a ſervitute peccati*. Quod ſentit etiam Euthymius, qui de eodem Simeone cap. 3. in quatuor Evangelia ita loquitur: *Spiritus Sanctus erat ſuper eum; Spiritus Sanctus Prophetiæ. Non erat autem Sacerdos, ut mihi interim videtur: alias enim & hoc omnino manifeſtaſſet Evangeliſta, tamquam magnam viri dignitatem*. (5) Utraque pars ſuos habet ſectatores ex recentioribus, ſuaque ſunt hinc atque hinc argumenta. (6)

3. *Nunc*

(2) Methodius tom. 3. Bibliothecæ Patrum pag. 271. Proclus tom. 6. 594. Sophronius apud Honoratum a S. Maria in Animadverſionibus ad Regulas & uſum Critices tom. 2. lib. 3. diſſertat. 5. art. 2. §. 1. pag. 341. Leo Imperator tom. 17. Bibliothecæ Patrum pag. 28.

(3) Athanaſius Operum tom. 2. vol. 2. pag. 20. Epiphanius tom. 2. pag. 150. Cyrillus Hieroſolymitanus pag. 366.

(4) Etiam pictores ſacerdotalibus indumentis ornatum effingunt.

(5) In Bibliotheca Patrum tom. 19. pag. 620.

(6) Cedrenus, qui medio ſæculo XI. floruit, in Compen-

3. *Nonne præter Simeonem, dum Chriſtus Deo in Templo offerretur, adſuit etiam Anna Prophetiſſa?*

℟. Adfuit ſane, & perinde ac Simeon, cœleſti lumine illuſtrata, Joſepho, & Mariæ Filium ſuum offerentibus ſuperveniens, eum eſſe jamdiu exoptatum Salvatorem a Deo promiſſum, ac omnium Dominum profeſſa eſt, atque palam omnibus fecit. Luc. II. 36.

4. *Quæ mulier erat Anna hæc?*

℟. *Vidua religioſiſſima*, ut ait S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 10. §. 19. *& aſceticam vitam agens* aſſiduas Deo preces faciebat, ac jejunium precibus ſociabat, in templo ita frequens, ut illam inde numquam diſceſſiſſe ſcribat S. Lucas Cap. II. 37. Ætatis erat admodum exactæ. Nuptui enim anno circiter duodecimo collocata, viro poſt annum ſeptimum vita defuncto, ad quartum & octogeſimum cum inſignis Bar. ad an. 1. §. 41.

D con-

pendio Hiſtoriarum tom. 7. Hiſtoriæ Byzantinæ pag. 148. editionis Venetæ: *Is Dei receptor Simeon Judæus unus erat de Septuaginta illis interpretibus, qui Ptolemæo Philadelpho Ægypti Regi Hebraicum vetus Teſtamentum in Græcum tranſtulerant ſermonem ante Chriſti adventum; ſicut Chryſoſtomus in ſuo de ſex diebus opere tradit*. Hoc Chryſoſtomi opus, quantum ego quidem ſcio, non exſtat, ut ex eo judicare poſſimus, num fuerit in opinione ea. Nihilominus cum ex eodem Chryſoſtomo hom. 5. in Matthæum pag. 46. tranſlatio illa facta ſit *ante centum, & aliquanto amplius Dominici adventus annos*, difficile creditu eſt, aliquem ex illis, qui ab Eleazaro Pontifice ex ſenioribus populi ſelecti fuerant, & ad Philadelphum miſſi, tamdiu ſupervixiſſe. Idque multo etiam magis incredibile ſit ſecundum recentes accuratiſſimos Chronologos, qui ajunt, ſeptuaginta interpretes anno ab Orbe Condito 3727. ante Æram Vulgarem 279. opus illud aggreſſos eſſe.

continentiæ laude pervenerat, *ut digna plane fuiſſe videatur*, inquit Ambroſius, *quæ Redemptorem omnium veniſſe nuntiaret*. (7) Idcirco autem, referente Auguſtino de Bono Viduitatis cap. 7. §. 10. *etiam ſine filiis, ſi tamen eos non habuit, ſecundas nuptias recuſavit, quia noverat jam tempus eſſe, quo Chriſto non officio pariendi, ſed ſtudio continendi, nec conjugalibus fœtandis viſceribus, ſed caſtificandis vidualibus moribus melius ſerviretur*. (8)

5. *Unde Joſephus in Ægyptum aufugit?*

℞. Nazaretho. Refert enim S. Lucas, Joſephum, & Mariam cum puero Jeſu, poſt peractum Hieroſolymis legitimum tum Præſentationis, tum Purgationis ritum, reverſos eſſe *in Galilæam in Civitatem ſuam Nazareth*. Itaque haud aſſentior iis, qui Bethleemo, aut Hieroſolymis diſcedentem Joſephum una cum Maria & puero

Cap. II. 39.

ro

(7) In Lucam cap. 2. §. 62. pag. 1301.

(8) S. Hieronymus epiſt. 9. ad Salvinam, pag. 79. *Anna diebus & noctibus verſabatur in Templo, & orationibus atque jejuniis theſaurum pudicitiæ conſervabat.... Salvatorem mundi prima ſuſcepit, ſacramentorum conſcia futurorum*. Et epiſt. 8. pag. 61. ad Demetriadem: *Annæ filiæ Phanuelis mirabatur ardorem, quæ orationibus atque jejuniis uſque ad ultimam ſenectutem in Templo Domino ſerviebat*.

S. Auguſtinus de bono viduitatis cap. 13. §. 16. *Meritum Annæ illius eo maxime commendatur, quia cum tam cito extuliſſet virum, per prolixam ætatem ſuam diu cum carne conflixit & vicit*.

Hujus Prophetiſſæ memoria in Martyrologio Romano colitur die 1. Septembris, Simeonis vero die 8. Octobris. Menologium Græcorum juſſu Baſilii Imp. conſcriptum die 3. Februarii: *Cum & de Chriſti morte, de Cruce, deque Dei Genitrice, quæ Filium cruci affixum viſura eſſet*, Simeon *prophetaſſet, Anna vero gratias egiſſet Deo, uterque fatalem vivendi ſummam explevit*.

ro Jeſu in Ægyptum aufugiſſe contendunt. (9)

6. In quem Ægypti locum ſe recepit?

℞. Hermopolim Thebaidis veniſſe Joſephum, prodit Rufinus lib. 2. de Vitis Patrum cap. 7. & Sozomenus lib. 5. cap. 21. Referente Burcardo in Deſcriptione Ægypti; *inter Heliopolim, & Babyloniam oſtenduntur loca, in quibus B. Virgo manſit cum puero Jeſu; & marito Joſeph, cum a facie Herodis fugiſſet ex Judæa.* (10) Alii aliter narrant: Si quis conjecturæ locus, Alexandriam Joſephus videtur ſe recepiſſe. Ibi enim propter Urbis magnitudinem facillime latere; propter florentiſſimam Synagogam pietatis officia obire; propter Judæorum multitudinem vel arte ſua, vel divitum liberalitate res ad uſum vitæ neceſſarias comparare potuit. (11)

D 2 7. *Quæ*

(9) S. Matthæus cap. II. 13. 14. mandatum Joſepho datum de fuga in Ægyptum recenſet ſtatim poſt diſceſſum Magorum, qui cum Bethleemi puerum Jeſum adoraverint, videtur Joſephus Bethleemo in Ægyptum aufugiſſe.

Sed D. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. 5. docet, ſacros Evangeliorum Scriptores res plerumque diverſo tempore & loco peractas eodem contextu, & continuatione ſermonis recitare; quamvis aliqua intermedio tempore geſta omittant, ut hoc loco Matthæus; qui cum diſceſſu Magorum conjungit Joſephi fugam in Ægyptum, omiſſa Virginis purificatæ, & Jeſu in Templo oblati hiſtoria, quam poſtea Lucas cap. II. 23. 39. diligenter expoſuit, ſubjiciens, ſanctiſſimos conjuges, *ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reverſos eſſe in Galilæam in Civitatem ſuam Nazareth.* Verba ipſa Auguſtini recitavi ſuperius cap. 3. Interrogatione 12. Vide Toletum in Lucam cap. 2. annotat. 64.

(10) Apud Henricum Caniſium Lectionum Antiquarum tom. 4. pag. 26.

(11) Maldonatus in Matthæum cap. II. 14. *In qua autem Urbe Ægypti manſerit, quidve ibi egerit, monendum lectorem judico, ut non ſolum in inquirendo minime curioſus, ſed*

7. *Quæ miracula ab Jeſu Ægyptum ingreſſo patrata dicuntur?*

Bar. ad an. 1. §. 43. 44.

℟. Cadentia ſimulacra, fugienteſque Dæmones memorant Euſebius lib. 6. Demonſtrationis Evangelicæ cap. 20. Origenes in diverſos hom. 3. Athanaſius Oratione de Incarnatione Verbi Dei §. 36. & Epiſtola ad Maximum Philoſophum §. 4. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 10. §. 19. In vitis Patrum per Roſvveydum editis ea ſæculo Chriſti quarto fuiſſe legitur Eccleſiæ traditio, Chriſtum in Thebaidem uſque una cum Maria & Joſepho veniſſe, eoque Templum Urbis Hermopolis ingrediente, omnia Idolorum ſimulacra labefacta, atque eliſa. (12) Omnes Idolorum Ægypti ſtatuas concuſſas, tradit Sozomenus lib. 5. cap. 21. addens inſuper, *arborem admodum proceram*, Perſeam *nomine*, *ad ſolum uſque inflexiſſe ſe*, & Jeſum Hermopolim ingredientem adoraſſe. (13)

8. *De miraculis iſtis quid ſentiendum?*

In 3. Part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 27. ſect. 1.

℟. Idem omnino, quod ſentit Franciſcus Suarez, quem ego auctorem vehementer ſequor in iis, quæ ad Chriſtum, ejuſque Matrem pertinent. Sentit autem, neque eſſe admodum veriſi- mi-

ſed etiam in credendo, ſi quid invenerit, cautus ſit. Multa enim de Chriſti in Ægypto miraculis, obſcuris vulgo auctoribus, circumferri video, quæ haud ſcio, an ex Alcorano Mahumeti manaverint, ubi eadem inter fabulas lego, & non decet Chriſtianos a Mahumeto ſpurciſſimo, & mendaciſſimo auctore Chriſti diſcere miracula.

(12) De Vitis Patrum lib. 2. auctore Rufino Aquilejenſi Presbytero cap. 7. pag. 460.

(13) Ad hæc miracula reſpexiſſe Prophetas Eſaiam cap. XIX. 1. & Jeremiam cap. XLIII. 13. putant Veteres.

mile, idolorum ſimulacra in tota Ægypto tunc corruiſſe, neque eſſe incredibile, corruiſſe in aliqua Civitate, in qua Chriſtus habitaverit: Euſebium vero, Athanaſium, Cyrillum affirmare, a Chriſto confracta eſſe Ægypti idola, quando Ægyptus divinis præceptis erudita ad Chriſtum converſa eſt, cujus converſionis initium fecerat pueri Jeſu in eam regionem introitus. Baronius quoque ad an. 1. §. 45. horum & aliorum Patrum teſtimonia ita accipienda eſſe monet, *non ut cuncta, quæ tunc erant in Ægypto, corruerint ſimulacra, ſed de his aliqua*. Idemque ad an. 389. §. 53. notat, Idololatriam eodem duntaxat anno in Ægypto penitus everſam. Jam Sozomenus loquens de arbore Chriſtum adorante, vulgi refert opinionem, cujuſmodi rebus credendis vulgus quam facile ſit, nemo ignorat.

9. *Quamdiu Joſeph in Ægypto commoratus eſt?*

℟. *Uſque ad obitum Herodis*, ut ait Matthæus. Cap. II. 15. Porro Herodes obiit anno Urbis Conditæ 750. ante Æram Vulgarem 4. Martio deſinente, aut ad ſummum Aprili ineunte, ut ex Joſepho colligit Comes Camillus de Silveſtris in ſua Chronologia. Part. 1. diſſertat. 3. pag. 95. Cum igitur Chriſtus, ut idem vir erudtiſſimus probat, natus ſit die 25. Decembris anno Urbis Conditæ 748. & anno inſequente IV. Nonas Februarii Joſephus cum conjuge, & puero, ut Legi Purificationis, ac Præſentationis in templo ſatisfaceret, Luc. II. 21. 39. Hieroſolymis fuerit; & poſtea Nazarethum petierit, atque inde fugam in Ægyptum ſuſceperit, illud conſequitur, ut Joſephus annum circiter unum cum familia in Ægypto permanſerit. (14)

(14) S. Epiphanius hær. 78. §. 10. annos duos in Ægy-

10. *Digreſſus Joſeph ex Ægypto quo ſe contulit?*

Matth. II. 22.23. ℟. Joſepho redeunti ex Ægypto conſilium fuit Judæam petere; ſed cum audiſſet, Archelaum Herodis filium Ethnarchæ nomine in regione illa regnare, timuit eo ſe conferre. Trepidanti adfuit Angelus, a quo in ſomnis admonitus contendit in Galilæam, quæ Herodi Antipæ Archelai fratri ceſſerat, atque Nazarethum repetens ibi delituit, ut Archelai furorem declinaret. (15)

11. *Quoniam Herodum in vita Chriſti ſæpe mentio occurrit, confer in pauca eorum hiſtoriam.*

℟. Sic habeto. Herodes Magnus filius Antipatri Idumæi Rex Judææ fuit per annos 37. Hoc regnante natus Joannes Baptiſta, natus Chriſtus Dominus, & profectus in Ægyptum: hoc jubente

gypto commoratam Sacram Familiam dicit, annos tres Nicephorus lib. I. cap. 14. annos quinque nonnulli Scripturarum interpretes. D. Thomas in Matthæum cap. 2. pag. 8. tom. 14. *Dicitur, quod ſeptem annos fuit ibi. Et habitavit in Civitate Heliopolim.* Vide Baronium ad an. Ch. 8. §. 13. Suarez in 3. Part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 17. ſect. 2. & Auguſtinum Calmet in Matthæum cap. II. 19.

(15) Baronius ad an. Ch. 9. §. 1. *Septima Januarii in Palæſtinam reductus, ac in Galilæam perductus Nazareth habitavit. Memorabilis fuit antiquitus in Eccleſia ea dies, quæ cum in Martyrologio Romano, tum in ceteris anniverſaria commemoratione recolitur.*

Bollandus die 7. Jan. pag. 355. *Celebratur in Martyrologiis Romano, Bedæ, Uſuardi, Adonis, Vvandelberti, Notkeri, Maurolyci, veteri Romano, Germanico, MS. Florario VII. Idus Januarii*, Pueri Jeſu relatio, *ſive* eductio ex Ægypto. *Alii XI. Januarii hanc relationem referunt. Quo die Notkerus:* Eductio Domini de Ægypto, quæ ſecundum alios VII. Idus Januarii, ſecundum quoſdam Nonis Januarii propter multorum dierum profectionem celebratur. *Conſentit Rabanus, & alii.*

te infantes occiſi . *Matth.* II. 1. 13. 16. *Luc.* I. 5. 51.

Herodis Magni filii Archelaus, Herodes Antipas, & Philippus regnum paternum juſſu Auguſti tripartito rexere . *Archelaus* natu maximus Ethnarcha Judææ, Samariæ, & Idumææ. Sub hoc Chriſtus rediit ex Ægypto . *Matth.* II. 22. Archelao anno Chriſti decimo ſecundo in exilium ab Auguſto Viennam Allobrogum miſſo, ejus ditionem Syriæ attributam adminiſtrarunt Procuratores ſeu Præſides Romani. Horum primus Coponius miſſus ab Auguſto, quintus Pontius Pilatus miſſus a Tiberio. (16) *Herodes Antipas* Tetrarcha Galilææ, & Peręæ. *Luc.* III. 1. Raptor Herodiadis uxoris Philippi fratris ſui, interfector Joannis Baptiſtæ. *Matth.* XIV. 4. 10. Procuratorem habuit Chuſam. *Luc.* VIII. 3. Inſidiator vitæ Chriſti, & vulpes dictus a Chriſto. *Luc.* XIII. 31. 32. Spretor, & irriſor Chriſti. *Luc.* XXIII. 11. Conſpiravit cum Pilato adverſus diſcipulos Chriſti. *Act.* IV. 27. Cum hoc educatus Manahen. *Act.* XIII. 1. *Philippus* Tetrarcha Ituręæ, & Trachonitidis regionis. *Luc.* III. 1. Maritus Herodiadis. *Matth.* XIV. 3. *Marc.* VI. 17. *Luc.* III. 19. (17)

Bar. ad an. 16. §. 1.

Nepotes Herodis Magni ex Ariſtobulo filio, quem is ſtrangulari juſſerat, *Herodes* Rex Chalcidis, *Agrippa* ſenior, & *Herodias*. *Agrippa*, qui & *Herodes*, occidit Jacobum *Majorem* cognomine, fratrem Joannis, Petrum Apoſtolorum Principem conjecit in carcerem, & percuſſus ab Angelo, & *conſumtus a vermibus expiravit*. *Act.* XII.

(16) Theophylactus in Matth. cap. 27. pag. 170. Pilatus *a Ponto erat, Romanis autem tributarius, & ab eis in Judæam Præſes miſſus.*

(17) *Ethnarcha* Ἐθνάρχης, eſt Princeps nationis: *Tetrarcha* Τετράρχης, eſt Princeps partis quartæ Regni alicujus, vel Regionis.

2. 4. 23. Hujus filius *Agrippa* junior, poſtremus Judæorum Rex, apud quem ex vinculis cauſſam dixit S. Paulus Gentium Apoſtolus. Ceterum Herodis ſtirpem intra annos centum defeciſſe, auctor eſt Joſephus lib. 18. Antiquit. Judaic. cap. 5. (18)

C A P. V.

De infantibus pro Chriſto ab Herode interfectis.

1. *Quandonam Herodes infantium cædem indixit?*

Bar. ad an. 1. §. 47. ℟. STatim atque cognovit, ſe illuſum a Magis, ſcilicet poſt dies quadraginta a Chriſto nato. Primum enim, cum illi magno ſilentio receſſiſſent, ſpe ſua fruſtratos putavit, eoque in patriam redeuntes Hieroſolymam non eſſe reverſos, ne vanitas itineris ludibrio eſſet. Poſtea de Chriſti nativitate certior factus ex iis, quæ contigerunt, dum in Templo offerretur, tum demum ſenſit, Magos ſibi verba dediſſe, & furore percitus infantium cædem indixit. (1) Ita docet S. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 11. §. 24.

2. Cu-

(18) Vide eumdem Joſephum Antiquit. Judaic. lib. 17. cap. 1. Petavium de Doctrina Temporum lib. 11. cap. 10. Toletum in Luc. cap. 1. annotat. 3. & Chriſt. Noldium de vita & geſtis Herodum. Exſtat in fine tomi 2. Operum Joſephi edit. Amſtelodamenſis anno 1726.

(1) Ex his verbis Matthæi cap. II. 20. *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri*: ita colligit S. Hieronymus in hunc locum pag. 3. *Ex hoc loco intelligimus, non ſolum Herodem, ſed & Sacerdotes & Scribas eodem tempore necem Domini fuiſſe meditatos.*

2. *Cujus loci infantes occidi juſſit?*

℞. Infantes omnes, qui Bethleemi, & intra fines ejus reperti ſunt. Eo autem imperavit, ut pueri etiam extra Bethleemum nati interficerentur (quamvis didiciſſet a Sacerdotibus, Chriſtum Bethleemi naſciturum) ne Chriſtus tam vaſtam cædem evaderet. Sed furioſum inceptum divinus puer, in Ægyptum juſſu Angeli a Joſepho una cum matre deductus, eluſit. Matt. II. 4. 8. 14. 16.

3. *Cujus ætatis?*

℞. Intra bimatum omnes occidi juſſit, quamvis ſciret, puerum Jeſum, quem morti dandum curabat, bimulum tunc eſſe non poſſe. *Siquidem*, ut ait Chryſoſtomus hom. 7. in Matthæum, *conveniens in eumdem tyrannum pavor & furor pro abundantia cautionis, & licentia perſecutionis majus etiam tempus includit, ne quis profecto ejus ætatis, & forte is potiſſimum, propter quem alii interimuntur, effugiat*. Quemadmodum igitur ex propria malitia ampliavit locum, ſic ampliavit & tempus. (2) Bar. ad an. 1. §. 32. Pag. 66.

4. *Quot interfecti ſunt?*

℞. Multos interfectos legas in precibus, quibus utitur Eccleſia eo die, quo horum infantium memoriam celebrat. Quot vero interfecti fuerint, quis valeat exacto affirmare numero, cum id nec Evan-

(2) D. Thomas 3. part. quæſt. 36. art. 6. ad 3. *Ideo non ſolum bimos pueros interfecit, ſed etiam infra, quia, ut Auguſtinus dicit in quodam ſermone Innocentium*, timebat, ne, puer, cui ſidera famulantur, ſpeciem paullo ſupra ætatem vel infra transformaret. V. Cap. 3. ad Interrogationem 12.

Evangelium, nec ullus tradat veterum Patrum? Audent tamen Græci in ſuo Menologio, & Æthiopes in ſua Liturgia concipere ſummas, & aſſerere, quatuordecim puerorum millia cæſa fuiſſe. (3) Quod non tam facile credideris. Quis enim ſibi perſuadeat, intra anguſtos Bethleemi fines tot pueros, omiſſis puellis, in quas ab Herode ſævitum non eſt, biennii ſpatio natos? Proinde recte Bollandus tam magnum infantium occiſorum numerum *ad ceteras Græcorum fabulas adjicit*. (4)

5. *Fuerunt ne Martyres?*

℟. Et *Eccleſia ab antiquo tempore* ut *martyres colit*, (5) & Patres ſanctiſſimi atque graviſſimi martyres fuiſſe teſtantur. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 18. Origenes hom. 3. in diverſos, Hilarius in Matthæum cap. 2. §. 6. S. Leo Magnus ſerm. 30. de Epiphania 1. cap. 3. S. Cyprianus, qui epiſt. 56. *Oſtenſum eſt*, inquit, *neminem eſſe a periculo perſecutionis immunem, quando & tales martyria fecerunt*. Similia ſunt apud S. Petrum Chryſologum ſerm. 153. *Sicut Virginitas corruptionis neſcia contulit honorem matri, ſic infantia paſſionis ignara martyrii palmas rapuit, & coronas*. In quam ſententiam ſcriptum reliquit etiam D. Auguſtinus tum agens contra Pelagianos, tum in ſermonibus, quos de eiſdem Innocentibus habuit. (6)

Bar. ad an. 1. §. 52.

6. *Non-*

(3) Apud Tillemontium annotat. 13. in Chriſtum Dominum pag. 432. tom. 1.

(4) Tom. 1. Maji pag. LVII. col. 1. & pag. LIX. col. 2.

(5) Lambertinus de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 14. num. 3. & lib. 3. cap. 15. num. 4.

(6) Idem S. Auguſtinus De Symbolo ſerm. 3. ad Catechumenos cap. 4. §. 4. *Moriuntur parvuli pro Chriſto neſcientes, parentes plangunt martyres morientes..... Præſtitit eis Chri-*

6. Nonne quidam etiam Joannem ad necem quæſitum exiſtimant?

℟. Utique exiſtimant, neque temere. Utuntur enim auctore Petro Alexandrino in Canonibus Eccleſiaſticis a ſexta Synodo Œcumenica prolatis atque receptis. Ejus ſunt verba hæc: *Cum quibus* (pueris Bethleemiticis Herodes) *& alium prius natum infantem cum interfecturus quæſiviſſet, & non inveniſſet, patrem ejus Zachariam interfecit inter Templum & Altare, cum effugiſſet filius cum matre Eliſabeth.* (7) Quin vera Petrus narraverit,

Chriſtus ut pro Chriſto morerentur, præſtitit, ut ſuo ſanguine ab originali peccato diluerentur. Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. §. 68. *Non fruſtra etiam infantes illos, qui, cum Dominus Jeſus Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honorem Martyrum receptos commendat Eccleſia.*

S. Bernardus ſerm. in Nativitate Sanctorum Innocentium §. 1. & 2. pag. 794. tom. 3. *Habemus in Beato Stephano martyrii ſimul & opus & voluntatem: habemus ſolam voluntatem in Beato Joanne; ſolum in Beatis Innocentibus opus. Biberunt omnes hi calicem ſalutaris, aut corpore ſimul & ſpiritu, aut ſolo ſpiritu, aut corpore ſolo... An vero de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Chriſto trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto non credit inter adoptionis filios numerari.*

Vincentius Bellovacenſis lib. 6. Spec. Hiſt. cap. 83. *Innocentes quidem martyres dicuntur laxato vocabulo, non quia teſtes Chriſti, ſed quia pro Chriſto occiſi.* Vide D. Thomam 2. 2. quæſt. 124. art. 1. ad 1. Baronium comment. in Martyrologium Romanum ad diem V. Kal. Jan. Binghami Origines ſive Antiquitates Eccleſiaſticas lib. 20. cap. 7. §. 12. & Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam in vita Joannis Evangeliſtæ ad interrogationem *Nonne fuit martyr?* pag. 193.

Georgius Codinus de Originibus Conſtantinopolitanis pag. 45. edit. Venetæ: *Idem Imperator* (Juſtinus II. Conſtantinopoli) *Eccleſiam S. Jacobi extruxit, ubi ſuis in conditoriis aſſervantur reliquiæ Sanctorum Innocentium, & Prophetæ Zachariæ, & Jacobi fratris Chriſti.*

(7) Extremo canone 13. apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 967. & apud Harduinum pag. 234.

rit, dubitationem aliquibus id affert, quod Joannes Herodis edicto non includeretur, utpote extra Bethleemum ejuſque fines in Urbe Hebron natus. Mihi Baronium ſequi placet, qui ad an. 1. §. 53. ſcribit, Herodem vehementer exagitatum ſuſpicione nati Regis Judæorum, cum reſciviſſet admiranda illa, quæ in conceptione, & ortu Joannis contigerant, exiſtimaſſe, eum eſſe Chriſtum, ſicut & Judæi poſtea exiſtimarunt, ideoque etiam Joannem necari juſſiſſe, ut ſe omni ſuſpicione liberaret. (8)

7. *Nonne alii inter bimos pueros ab Herode occiſos etiam filium ejus referunt?*

℟. Referunt quidem, ſed falluntur Macrobii loco perperam intellecto. Ita ille de Auguſto loquitur lib. 2. Satur. cap. 4. *Cum audiſſet inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait: Melius eſt Herodis porcum eſſe, (9) quam filium.* Spectat, opinor, Macrobius verbis his ad Antipatrum Herodis filium ætatis jam confirmatæ, quem pater factæ in ſe conjurationis reum in carcerem detrudi, ac demum occidi mandaverat. (10) Nullus enim tunc videtur eſſe potuiſſe Herodi bimus filius, viro annum vitæ ſeptuageſimum

(8) Nicephorus Calliſtus lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 14. *Filius Zachariæ Joannes .... una cum matre Eliſabetha in ſpelunca quadam ad regionem montanam ſalvus conſervabatur, fortaſſe Herodis ſanguinariam effugiens manum.*

(9) *Quod ſcilicet qui filios occideret, abſtineret a nece porcorum, utpote Judæus. Judæi enim a nominatione etiam ipſa porcorum abſtinere ſolebant, qui eos, ut teſtatur Joſephus de bello Judaico lib. 5. cap. 1. nefanda animalia appellare conſueverunt.* Baronius ad an. Ch. 1. §. 50.

(10) Cum morbo gravi & mortifero affectus in lecto jaceret, ex quo poſt diem quintum deceſſit, teſte Joſepho lib. 17. Antiquit. Judaic. cap. 8.

mum agenti: qui ſi fuit, utpote Hieroſolymis, non Bethleemi natus, cum iis, qui occidendi erant *in Bethleem, & finibus ejus*, tolli non debuit. Macrobius igitur in bimis pueris ab Herode interfectis etiam Antipatrum numerat, quia ſimul hunc, ſimul illos eadem de cauſſa Herodes morti dedit, nempe ut regnum ſibi retineret. (11) Matth. I. 16.

C A P. V I.

De ratione & inſtituto vitæ Chriſti uſque ad annum ætatis ejus trigeſimum.

1. *Quid de vita Chriſti uſque ad annum ejus trigeſimum narrant Evangeliſtæ?*

℟. Lucas unus narrat hæc admodum pauca: Eum annos duodecim natum cum parentibus Nazaretho Hieroſolymam quotannis die ſolemni Paſchæ ire ſolitis veniſſe, & clam illis in Urbe remanſiſſe. (1) Per triduum ſolicite quæſitum, Cap. II. 41. Bar. ad an. 12. §. 1. ad 6.

(11) Vide Caſaubonum exercitat. 2. ad Annales Eccleſiaſticos Baronii. §. 16. ac Tillemontium annotat. 13. ad vitam Chriſti.

(1) S. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 10. §. 23. *An & hoc aliquis dicit: Quomodo ergo, ſicut Lucas* cap. II. 41. *narrat*, ibant parentes ejus per omnes annos *pueritiæ Chriſti* in Hieruſalem, *ſi Archelai timore illuc prohibebantur accedere? Hoc mihi diſſolvere non eſſet difficile, nec ſi aliquis Evangeliſtarum expreſſiſſet, quamdiu ibi regnaret Archelaus. Fieri enim poterat, ut per diem feſtum inter tam ingentem turbam latenter aſcenderent, mox reverſuri, ubi tamen aliis diebus habitare metuerent: ut nec ſolemnitate prætermiſſa eſſent irreligioſi, nec continua manſione conſpicui. Cum vero etiam de regno Archelai quam fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iſte quoque intellectus patet, ut quod Lucas dicit*, per omnes annos *eos aſcendere ſolitos in Hieruſalem, tunc accipiamus factitatum, cum jam non timere-*

tum, tandem in Templo cum Legis doctoribus, qui prudentiam ejus & reſponſa admirabantur, diſputantem inventum. Mariæ Matri, & Joſepho Patri captum ex ea re dolorem teſtantibus quaſi increpantem dixiſſe: *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* (2) Poſtea reverſum cum illis Nazarethum, eiſdem obſequentiſſime paruiſſe; (3) & ſapientia, ætate,

retur Archelaus. Quod ſi Archelai regnum aliquanto diuturnius ulla præter Evangelium prodit hiſtoria, cui fides habenda videatur, illud, quod ſupra dixi, ſuffecerit, quod ita timebant parentes pueri habitationem in Hieruſalem, ut tamen propter Dei timorem feſtivitatem ſolemnem non prætermitterent, in qua latere facillime poſſent: neque enim incredibile eſt captatis temporibus opportunis vel dierum, vel horarum accedere homines ad ea loca, in quibus eſſe formidant.

Beda in Lucam cap. 2. pag. 246. *Quæret aliquis, quomodo Dei Filius tanta parentum cura nutritus, his abeuntibus potuit obliviſcendo relinqui: Cui reſpondendum, quia filiis Iſrael moris fuerit; ut temporibus feſtis vel Hieroſolymam confluentes; vel ad propria redeuntes ſeorſim viri, ſeorſim autem feminæ choros ducentes incederent, infanteſque vel pueri cum quolibet parente indifferenter ire potuerint: Ideoque Beatam Mariam, vel Joſeph viciſſim putaſſe, puerum Jeſum, quem ſe comitari non cernebant, cum altero parente reverſum.*

Credunt nonnulli, puerum Jeſum in Templum una cum parentibus ſuis ire ſtatim cœpiſſe, ac per ætatem ambulare potuit: alii vero iviſſe nunc primum ad Paſcha celebrandum. Et quidem Hebræorum pueri duntaxat poſt annum ætatis duodecimum vocabantur *filii præcepti*. Vide Grotium, & Auguſtinum Calmet in Luc. cap. II. 42.

Synopſis Criticorum in Matth. cap. 9. pag. 264. *Chriſtus tres patrias habuit, Bethleem, ubi natus; Nazareth, ubi educatus; Capharnaum, in qua verſari ſolitus, poſtquam, relicta Nazareth, eo commigravit, & quam frequenter miraculis veluti adoptavit in patriam.*

(2) Hæ ſunt primæ voces, quas profert Chriſtus apud Evangeliſtas.

(3) S. Ambroſius in Luc. cap. 2. §. 65. pag. 1302. *Non utique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubjectio eſt.* S. Hieronymus epiſt. 47. cap. 1. pag. 229. *Dominus Jeſus Chriſtus ſubjectus erat parentibus ſuis, venerabatur matrem, cujus ipſe erat pa-*

te, ac gratia apud Deum, & homines profeciſſe. (4) Nihil præterea ab ejus reverſione ex Ægypto uſque ad baptiſmum, hoc eſt ab anno ætatis ejus altero ad trigeſimum memorant Evangeliſtæ.

2. *Quid ſancti Patres, & ſacrarum Scripturarum interpretes?*

℟. Ex his aliqui totum illud, de quo modo commemoravi, temporis intervallum in ſolitario ſecretoque loco continuam rerum divinarum contemplationi, precibuſque & jejuniis operam dediſſe arbitrantur. Alii vero & plurimam privatæ vitæ partem in contemplationibus ac precationibus conſumſiſſe; & convictu humano ac ſocietate non omnino abſtinuiſſe, conſentiunt, addentes, illum Parentibus in rebus domeſticis præſto fuiſſe, ac præſertim Joſepho in arte fabrili. Et quidem Judæi, qui externum vitæ ejus inſtitum, utpote verſantis apud ſe, ignorare non poterant, eum non modo *Fabri filium*, ut eſt in Evan- Cap. XIII. 55. Cap. VI. 3.

pater, colebat nutritium, quem nutriverat, geſtatumque ſe meminerat alterius utero, alterius brachiis. Unde & in cruce pendens commendat parentem diſcipulo, quam numquam ante crucem dimiſerat.

(4) S. Bernardus hom. 2. ſuper MISSUS EST, §. 10. pag. 746. vol. 1. *Quod de ſapientia & gratia hic dictum eſt, non ſecundum quod erat, ſed ſecundum quod apparebat, intelligendum eſt: non quia videlicet aliquid ei novum accederet, quod ante non haberet, ſed quod accidere videretur, quando volebat ipſe, ubi videretur... & quando volebat, & quibus volebat, ſapiens apparebat; quando, & quibus volebat ſapientior; quando, & quibus volebat ſapientiſſimus: quamquam in ſe numquam eſſet niſi ſapientiſſimus.*

D. Thomas 3. part. quæſt. 7. art. 12. ad 3. *Chriſtus proficiebat ſapientia & gratia, ſicut & ætate: quia ſecundum proceſſum ætatis perfectiora opera faciebat, ut ſe verum hominem demonſtraret, & in his, quæ ſunt ad Deum, & in his, quæ ſunt ad homines.*

Evangelio Matthæi, ſed etiam *Fabrum*, ut eſt
in Evangelio D. Marci, appellabant, ut ambi-
gendum, non ſit, quin Jeſus fabrilia tractave-
Pag. 316. rit. (5) Id, quod S. Juſtinus in Dialogo cum
Tryphone Judæo expreſſit his verbis: *Et cum ad
Joannem veniſſet Jeſus, & Joſephi fabri lignarii fi-
lius haberetur, informis videlicet apparens, faber-
que adeo & ipſe putaretur eſſe: fabrilia namque,
cum in hominibus eſſet, faciebat opera, aratra, &
juga conficiens, per hæc & juſtitiæ docens ſigna, &*
Ad an. 12. §. 7. *vitam non otioſam*. (6) Hinc *fortaſſe*, inquit Ba-
ro-

(5) D. Auguſtinus de Conſenſu Evangeliſtarum lib. 2. cap. 42. §. 90. *Et Marcus quidem eadem pæne commemorat hic omnia, quæ Matthæus, niſi quod Dominum fabrum, & Mariæ filium dicit a civibus ſuis dictum, ſicut Matthæus fabri filium. Nec mirandum eſt, cum utrumque dici potuerit: eo enim & fabrum credebant, quo fabri filium.*

Cajetanus ad memoratum locum D. Marci: *Apud Matthæum dicitur* fabri filius, *apud Marcum vero* faber *cum articulo, ſcilicet* ille faber, *ut intelligamus, utrumque eſſe dictum, & quod erat faber, perſonaque certa fabrilis artis ſignificatur per articulum. Hinc autem habemus, unde ſatisfiat curioſis quærentibus, quid fecerit Jeſus uſque ad trigeſimum annum. Vacabat enim exercitio fabrili. Et hoc valde congruit teſtimonio humano, quod non vacavit litteris, non ſcientiis, non doctrinæ legis.*

S. Brigitta in Regula Salvatoris cap. 2. *Omne tempus ſuum tribus diſtinxit temporibus; unum, quo laudavit Deum ore ſuo; aliud, quo manibus ſuis ei ſerviebat; tertium, quo corporis infirmitati compatiens neceſſaria tribuit ei juxta modum.* Vide etiam cap. 58. libri 6. Revelationum.

(6) S. Baſilius Conſtitutionum Monaſticarum cap. 4. §. 6. pag. 549. tom. 2. *In prima quidem ætate ſubditus parentibus, omnem laborem corporalem leni ac obedienti animo cum ipſis ſuſtinuit. Cum enim homines illi eſſent juſti quidem & pii, ſed pauperes, & rebus ad vivendum neceſſariis non admodum inſtructi: cujus rei teſtis eſt præſepe, quod venerando partui inſervivit; erant, ut veriſimile eſt, laboribus corporis aſſiduis dediti, ſic ut hac ratione res neceſſarias ſibi ipſis compararent. Jeſus autem, ut ait Scriptura, his ſubjectus, labo-
reſ-*

ronius, *quod* tractant fabrilia fabri, *ſub jugi, & aratri ſymbolicis verbis Evangelium propoſuit, cum dixit:* Tollite jugum meum ſuper vos: *item de aratro:* Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei.

3. *Quid alii?*

℟. Alii alia commenti ſunt. Sexcentas fabulas congeſſit antiquus, ſed hæreticus auctor libri *de infantia Salvatoris*, quem ad apocrypha amandavit Gelaſius ſummus Pontifex in Concilio Romano anno 494. celebrato. Ridicula quædam de puero Jeſu ſcholas litterarum cauſſa frequentante fabulati ſunt etiam hæretici illi, quos coarguit S. Irenæus lib. 1. adverſus Hæreſes cap. 17. quoſque mendaces oſtendit illa de Chriſto vox Judæorum admirantium apud Joannem: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* (7) Miracula neſcio quæ ab eodem puero Jeſu edita jactarunt alii, quos refellit Chryſoſtomus homilia 16. in Joannem per hæc verba: *Conſtat, ſigna illa, & miracula, quæ in Chriſti pueritia feruntur, vera non eſſe. Nam ſi a puero miracula facere cœpiſſet, non ſane eum Joannes ignoraſſet, nec reliqua multitudo indiguiſſet magiſtro, qui ipſum manifeſtaret. Nunc autem, inquit Joannes, propter hoc veni, ut manifeſtetur in Iſrael.*

Bar. ad an. 12. §. 6. & 7.

Cap. VII. 15.

Pag. 89.

E Re-

reſque una cum ipſis perferendo, obedientiam ſuam prorſus declaravit.

Parentes Jeſu tum Bethleemi, tum Nazarethi *poſſeſſionem, & proventum aliquem habuiſſe*, conjectura eſt Nicephori lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 13.

(7) S. Auguſtinus in Joan. Tract. 29. §. 2. *Et unde admiratio? Quia multi noverant, ubi natus, quemadmodum fuerit educatus: numquam eum viderant litteras diſcentem, audiebant autem de Lege diſputantem, Legis teſtimonia proferentem, quæ nemo poſſet proferre, niſi legiſſet, nemo legere, niſi litteras didiciſſet: & ideo mirabantur.*

Recentiores vero hæretici, eum mendicaſſe, & oſtiatim quæſiviſſe alimenta vitæ, dixerunt, qui ſatis, opinor, confutantur auctoritate S. Hiero-
Pag. 151. nymi Epiſtola 22. cap. 17. ſcribentis, Jeſum *uſque ad triginta annos parentum paupertate contentum fuiſſe*. (8)

C A P. VII.

De Baptiſmo Chriſti.

1. *Quo anno Chriſtus baptizatus eſt?*

Luc. III. 1. 2. 3. 21. ℞. ANno *quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris* Joannes Dei juſſu profectus e deſerto in regionem Jordani adjacentem, prædicandi, & baptizandi munere fungi cœpit, cumque *baptizaretur omnis populus*, etiam Jeſum in Jordane baptizavit. Anno igitur decimo quinto Tiberii Jeſus baptizatus eſt, initio Imperii ejus ducto non ab Auguſti morte, ſed ab eo tempore, quo Senatus Romanus, referente Paterculo l. 2. cap. 121. decrevit, *ut æquum ei jus in omnibus provinciis, exercitibuſque eſſet, quam erat ipſi Auguſto*, ab anno videlicet Urbis Conditæ 764. (1) Ex quo effici-

(8) Vide Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 17. ſect. 3. & D. Thomam ipſum 3. part. quæſt. 43. art. 3.

(1) Pagius ad annum 32. §. 7. *Lucam de anno XV. Imperii Proconſularis Tiberii, non vero de anno XV. Imperii ejus Auguſtei intelligendum, antiqui docuerunt*. Porro Imperium Tiberii Proconſulare cœpit anno Urbis Conditæ 764. Chriſti 16. Æræ Vulgaris 11. quo Tiberius, ut tradunt Paterculus laudatus, Suetonius in Tiberio cap. 21. Tacitus lib. 1. Annalium cap. 3. ab Auguſto aſſumtus eſt collega Imperii, & conſors Tribunitiæ poteſtatis: Imperium autem Tiberii *Auguſteum* cœpit a morte Auguſti, qui anno Urbis Con-

ficitur, Chriſtum Dominum baptizatum fuiſſe anno U. C. 779. Conſulibus Cn. Cornelio Lentulo Gætulico, & C. Calviſio Sabino, qui annus reſpondet anno Chriſti 31. Æræ Vulgaris 26. in quam ſententiam multa diſſerit Comes Camillus de Silveſtris in ſua Chronologia. Part. 1. diſſert. 3. pag. 120.

2. *Quo anno ætatis baptizatus eſt?*

℞. *Incipiens quaſi annorum triginta*, ut ait Lucas. Cum autem vox *quaſi*, ſeu ὡσεὶ, quæ in Cap. III. 23. Græco textu habetur, ſit indefinita, & anno undetrigeſimo expleto perinde, ac trigeſimo primo inchoato accommodari poſſit, & trigeſimo non omnino repugnet, hinc triplex exſtitit de anno, quo Chriſtus baptizatus eſt, veterum Patrum ſententia. Alii enim eum baptizatum eſſe volunt anno ætatis trigeſimo ineunte, alii exeunte, & alii completo ſub ipſum initium trigeſimi primi, quibus ego magis aſſentior. Natus enim, ut noſtra fert opinio, VIII. Kal. Januarii anno Urbis Conditæ 748. Conſulibus Lælio Balbo, & C. Antiſtio Vetere, VIII. Kal. ejuſdem menſis anno 778. trigeſimum ætatis annum explevit, & anno inſequente 779. VIII. Idus Januarias baptizatus eſt, cum jam annos triginta, & dies tredecim haberet. Sed illud eſt certum, annos circiter triginta natum baptiſmum ſuſcepiſſe. (2)

E 2 3. *Quo*

Conditæ 767. Chriſti 19. Æræ Vulgaris 14. ante diem XIV. Kal. Septembres ceſſit e vita. Pro Imperio Proconſulari Tiberii fuſe diſputant Graveſon de Myſteriis & annis Chriſti Diſſertat. 10. & Honoratus a S. Maria tom. 3. Animadverſionum in Regulas & uſum Critices, Diſſertat. 1. art. 9.

(2) S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone pag. 315. ſcribit, Chriſtum natum fuiſſe *annos plus minus triginta, cum Joannes adventus ejus præco proceſſit*. S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 10. pag. 90. *Cujus rei gratia poſt triginta annos Jeſus venit ad baptiſma?*

S. Au-

3. *Quo die baptizatus?*

Bar. ad an. 31. §. 18. ℞. Octavo Idus Januarias. Nam & eo die baptiſmi ejus memoriam a primis uſque ſæculis colit Eccleſia, eoque die baptizatum tradunt ſancti Patres, uno excepto Epiphanio, qui Hær. 51. §. 28. ad VIII. Idus Novembres Chriſti baptiſmum refert. (3) Porro Auctor Chronici Alexan-

S. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 28. §. 42. Dominum *annorum fere triginta baptizatum eſſe, retinemus auctoritate Evangelica*. Et lib. 15. de Trinit. cap. 26. §. 46. *Abſurdiſſimum eſt, ut credamus, eum, cum jam triginta eſſet annorum (ejus enim ætatis a Joanne baptizatus eſt) accepiſſe Spiritum*.

D. Bernardus ſerm. 1. de Epiphania §. 6. *Cum jam Chriſtus triginta annorum tempus exegiſſet in carne, inter populares turbas ad baptiſmum Joannis advenit*. Vide Baronium in Apparatu ad Annales §. 106. & in Annalibus ad an. Ch. 31. §. 17.

(3) Baronius ad an. 31. §. 18. *Quod vero ad menſem & diem, quibus baptizatus eſt Chriſtus, ſpectat, id factum eſſe ſexta Januarii, ex communi & antiqua traditione Euſebius Pamphili ad Marinum ſcribens teſtatur: confirmat hoc ipſum Hieronymus, ac denique omnes Scriptores Eccleſiaſtici, uno duntaxat excepto Epiphanio*.

S. Chryſoſtomus tom. 1. hom. 24. de baptiſmo Chriſti, quæ habita creditur ipſo die Epiphaniæ, pag. 278. *Hæc dies eſt, qua baptizatus eſt, & aquarum naturam ſanctificavit. Idcirco etiam in hac Solemnitate ſub mediam noctem omnes, cum aquati fuerint, domum latices referunt, ac recondunt, & per integrum annum conſervant, utpote quod hodierna die ſanctificatæ ſint aquæ; ſitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, ſed integro anno, atque adeo biennio, & triennio ſæpe, quæ hodie fuit hauſta, incorrupta, & recens permanet, ac poſt tantum temporis cum iis, quæ fuerint e fontibus eductæ, certat*.

Thomaſſinus de dierum Feſtorum celebratione lib. 2. cap. 7. §. 9. teſtatur, hanc conſuetudinem etiamnum ſervari ab omnibus Orientis Chriſtianis, quamvis ſecta inter ſe diſſidentibus.

Pagius ad an. Ch. 29. §. 7. *Juvabit obſervare, Orientales Ec-*

xandrini opinatur, diem VIII. Idus Januarii tum incidiſſe in diem Hebdomadæ quintum, alii in ſextum, alii in Dominicum. (4)

4. *Quo in loco?*

℟. *In Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Longe tamen diverſa eſt Bethania hæc ab illa, quæ Marthæ & Magdalenæ caſtellum erat. Nam illa & Hieroſolymis propius aberat, ut eſt in Evangelio Joannis, & cis Jordanem ſita erat: hæc vero, quæ dicebatur etiam *Bethabara, ubi Joannes baptizabat, trans Jordanem.* Joan. 1. 28.

 (5)

Eccleſias quaſdam ſingulis annis Epiphaniorum die baptiſmum Chriſti renovare, aquamque, in quam ſtatua Chriſti pueri trina immerſione immittitur, incorruptam conſervari. Docet hoc Leo Allatius dicens, fuiſſe Romæ qui eam de induſtria ſervatam, poſt annos triginta incorruptam repererit. Joſephus Giorgerinus Archiepiſcopus Samos in inſula Archipelagi, cum anno 1676. eadem Epiphaniorum die in hac Aquenſi Civitate verſaretur, in noſtra Eccleſia aquam conſecravit, & in ea Eccleſiæ Græcæ ritu pueri Jeſu ſtatuam ter immerſit, Baptiſmi Chriſti ceremoniam ſolemniter renovando, cujus aquæ phiala plena conſervata per multos annos incorrupta permanſit, ac forte diutius conſervata fuiſſet, ſi phialam illam frangi non contigiſſet.

Miraculum aquarum à D. Chryſoſtomo memoratum admittunt etiam hæretici Proteſtantes, Caſaubonus exercitat. 13. §. 10. & Guilielmus Cave in Hiſtoria Litteraria diſſertat. 2. de libris & officiis Græcorum pag. 179.

Theodorus Lector, qui anno circiter 520. ſcribebat, & editus eſt a Valeſio cum hiſtoria Theodoreti pag. 549. Theodorus, inquam, Lector lib. 2. Hiſt. Eccl. pag. 566. ait, *Petrum Fullonem inſtituiſſe, ut invocatio ſuper aquas die Feſto Theophaniorum fieret ſub veſperam:* cum antea fieret nocte media.

(4) Chronicon Paſchale, ſeu Alexandrinum pag. 168. & 180. editionis Venetæ, & in Bibliotheca Patrum tom. 12. pag. 928. & 931. *Natus eſt Dominus quinto & viceſimo die menſis Choiac, hoc eſt Decembris, hora ſeptima noctis. Tinctus a Joanne in Jordane XI. Tybe, hoc eſt 6. Januarii hora X. diei.*

(5) Utroque autem nomine & *Bethaniam* & *Bethabaram* vocatam crediderim, quod ad trajectum Jordanis collocata eſſet. Utraque certe vox hebraice unum ſonare videtur. Etenim *Bethabara* locum tranſitus, & *Bethania* locum navium ſignificat, quod illic paratæ ſemper eſſent naviculæ, quibus viatores Jordanem trajicerent. (6)

5. *Quo modo baptizatus eſt?*

℞. Immerſus in Jordanem, eodem prorſus modo, quo alii a Joanne baptizabantur. Indicat id S. Matthæus, qui ait, *Jeſum baptizatum confeſtim aſcendiſſe de aqua*. Et quidem ut genus hoc baptiſmi diu a primis temporibus in Eccleſia obſervatum eſſe, conſtat: ita illud e contrario, quod nunc adminiſtratur aquæ effuſione, nec uſurpatum vulgo, nec comprobatum fuiſſe ante ſæ-

Cap. III. 16.

(5) Suidas in Lexico, verbo βηθανία, *Bethania* pag. 432. tom. 1.

S. Chryſoſtomus in Joannem hom. 16. pag. 86. *Propterea inquit*, hæc in Bethania facta ſunt. *Quædam autem exemplaria veriora videntur, in quibus* Bethabara *ſcriptum eſt. Bethania enim non trans Jordanem, neque in deſerto erat, ſed non longe ab Hieroſolymis.*

S. Thomas in Joannem cap. 1. Lect. 13. pag. 12. *Dicendum ſecundum Origenem, & Chryſoſtomum, quod non debet dici* Bethania, *ſed* Bethabara, *quæ eſt quædam villa ultra Jordanem; & hoc, quod dicit* Bethania, *corruptum eſt vitio Scriptorum. Sed quia tam libri Græci, quam Latini habent* Bethania, *ideo dicendum eſt aliter; quod eſt duplex* Bethania, *una quæ eſt prope Hieruſalem in latere montis Oliveti, alia trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.*

(6) Gregorius Turonenſis de gloria martyrum lib. 1. cap. 17. refert, locum, ubi baptizatus eſt Chriſtus Dominus, abeſſe quinque millibus paſſuum ab eo loco, ubi Jordanis *mari commixtus mortuo nomen amittit*. Vide Baronium ad an. Ch. 31. §. 19.

ſæculum Chriſti XIV. certo ſcimus. (7) Quare pictorum errorem convincas, qui Joannem Baptiſtam in Salvatoris caput aquam concha infundentem exhibent.

6. Qua de cauſſa voluit a Joanne baptizari?

℞. *Triplicem ob cauſſam Salvator a Joanne accepit baptiſmum*, ait D. Hieronymus in Matth. cap. Pag. 3.
3. *Primum ut, quia homo natus erat, omnem juſtitiam, & humilitatem Legis impleret. Secundo ut baptiſmate ſuo Joannis baptiſma comprobaret. Tertio ut Jordanis aquas ſanctificans per deſcenſionem columbæ, Spiritus Sancti in lavacro credentium monſtraret adventum*. Quartam cauſſam adjicit S. Auguſtinus in Joan. tract. 5. §. 3. *ut cognoſcerent ſervi ſui, quanta alacritate deberent currere ad baptiſmum Domini, quando ipſe non dedignatus eſt ſuſcipere baptiſmum ſervi*.

7. Quænam miracula ſecuta ſunt baptiſmum Chriſti?

℞. Hæc videlicet, quæ ab Evangeliſtis Matthæo, Marco, & Luca narrantur; Cœlos apertos eſſe, Spiritum Sanctum in columbæ ſpecie deſcendiſſe, (8) vocemque æterni Patris de Cœlo au-

Cap. III. 16. 17. Cap. I. 10. Cap. III. 21. 22.

(7) S. Thomas, qui anno 1274. obiit, 3. part. quæſt. 66. art. 7. *Quamvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet communior uſus*; & art. 8. *Communiter obſervatur in baptiſmo trina immerſio, & ideo graviter peccaret aliter baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans*.

Idem ſupra art. 2. *Quando Chriſtus eſt baptizatus, tunc vere Baptiſmus inſtitutus fuit, quantum ad ipſum Sacramentum. Sed neceſſitas utendi hoc Sacramento indicta fuit hominibus poſt paſſionem & reſurrectionem*.

(8) Columbam hanc fuiſſe verum animal, contendit D. Thomas 3. part. quæſt. 39. art. 7. Sed hoc probabilius, fuiſ-

ſe.

auditam dicentis, Jeſum eſſe dilectum filium ſuum, in quo ſibi valde placeret. (9) Miracula autem hæc idcirco edita ſunt, teſte D. Chryſo-
Pag. 111. ſtomo hom. 12. in Matthæum, *ne apud plurimos* opi-

ſe tantummodo columbæ ſpeciem. Matthæus III. 16. *ſicut columbam*: Marcus I. 10. *Tamquam columbam*: Lucas III. 22. *Corporali ſpecie ſicut columbæ*; Joannes I. 32. *Quaſi columbam*.

S. Ambroſius de Sacramentis lib. 1. cap. 5. §. 17. *Spiritus ſanctus non in veritate columbæ, ſed in ſpecie columbæ deſcendit de Cœlo.*

S. Auguſtinus epiſt. 169. cap. 3. §. 10. *Non igitur eſt opus quærere, quomodo apparuerit columbæ ſpecies corporalis, ſicut non quærimus, quomodo ſonuerint voces articulati corporis. Si enim potuit anima non eſſe media, ubi vox, non quaſi vox dicitur facta, quanto magis potuit, ubi dicitur* tamquam columba, *hoc verbo ſignificata ſola ſpecie corporali oculis reddita, non natura viventis animantis expreſſa?*

Multa in hanc rem diſputat Toletus in Joan. cap. 1. annotat. 70. Synopſis Criticorum in Matthæum cap. 3. pag. 93. & Auguſtinus Calmet in Diſſertatione de Baptiſmo præpoſita Evangelio D. Marci art. 3. pag. 292.

Fuiſſe, qui diceret, *columbam ad unitatem perſonæ Spiritui Sancto fuiſſe conjunctam, ut ex illa & Deo (quia Spiritus Sanctus Deus eſt) una Spiritus Sancti perſona conſtaret*, refert, & refellit S. Auguſtinus tractatu 99. in Joannem, §. 2.

S. Hieronymus adverſus Luciferianos cap. 3. pag. 423. *Ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſtatim ut caput extulit de fluento, Spiritum Sanctum accepit; non quod umquam ſine Spiritu Sancto fuerit, quippe qui de Spiritu Sancto in carne natus eſt, ſed ut illud nobis monſtraretur, verum eſſe baptiſma, quo Spiritus Sanctus adveniat.*

(9) Hieronymus, ſeu alius auctor comment. in Pſal. 76. pag. 93. *Eo tempore, quando Deus locutus eſt*: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, *facta eſt vox tonitrui rotæ ſimilis.*

Chryſoſtomus in Matth. hom. 57. pag. 504. *Triplex dilectio eſt, quia filius, quia dilectus, quia bene in ipſo ſibi complacuit.*

S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone pag. 315. utique ex vetere Eccleſiæ fama: *Cum Jeſus in undam deſcendiſſet, ignis in Jordane accenſus eſt.*

opinio firmaretur illorum, qui arbitrabantur, Chriſtum eſſe unum e vulgo.

8. *Quemquam ne Chriſtus baptizavit?*

℟. Locus iſte totus quæſitus breviter, diſputatuſque eſt ab Auguſtino Epiſt. 265. §. 5. his verbis: *Utrumque de Domino ſcriptum eſt, & quia* baptizabat plures, quam Joannes, *& quia* ipſe non baptizabat, ſed diſcipuli ejus, *ut intelligeremus, & ipſum quidem baptizaſſe præſentia majeſtatis, non tamen ipſum baptizaſſe manibus ſuis. Ipſius enim erat baptiſmi Sacramentum, ad diſcipulos autem baptizandi miniſterium pertinebat. Tunc ergo quando dicit Joannes Evangeliſta in Evangelio ſuo:* Poſt hæc exiit Jeſus, & Diſcipuli ejus in Judæam terram, & illic morabatur cum eis, & baptizabat: *tunc paullo poſt de illo loquens ait:* Ut ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi, quod Jeſus plures diſcipulos faceret, & baptizaret plures, quam Joannes: quamquam Jeſus ipſe non baptizaret, ſed diſcipuli ejus, reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam. (10) *Tunc ergo quando ab Hieroſolymis exiit cum diſcipulis ſuis* in Judæam terram: & illic morabatur cum eis, baptizabat *non per ſe ipſum, ſed per diſcipulos ſuos, quos intelligimus jam fuiſſe baptizatos ſive baptiſmo Joannis, ſive, quod magis credibile eſt, baptiſmo Chriſti. Neque enim miniſterium baptizandi defugeret, ut haberet baptizatos ſervos, per quos ceteros baptizaret, qui non defugit memorabilis illius humilitatis miniſterium, quando eis lavit pedes: & petenti Petro, ut non tantum pedes, verum etiam manus, & caput ei lavaret, reſpondit:* Qui lotus eſt (per

[Margin: Joan. IV. 1. 2. — Cap. III. 22. — Cap. IV. 1. 2. 3. — Cap. XIII. 10.]

(10) Sic Apoſtoli cum Gentibus prædicabant, perpaucos baptizabant. Paulus epiſt. 1. ad Cor. cap. I. 17. *Non enim miſit me Deus baptizare, ſed evangelizare.*

De baptiſmo cap. 12. (per baptiſmum) non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus: *ubi intelligitur, quod jam Petrus baptizatus fuerat*. (11) *Quod utique*, ſubdit Tertullianus, *non tincto*, hoc eſt non baptizato, *non omnino dixiſſet*.

9. Quo die colitur memoria baptiſmi a Chriſto ſuſcepti?

℞. Octavo Idus Januarii, qui dies *Epiphaniæ* Do-

(11) Et quidem baptiſmo inſtituto a Chriſto Domino, ut eſt in ejuſdem Auguſtini epiſt. 44. cap. 5. §. 10. *Numquid fas erat, ut baptiſmo Joannis baptizaret ſponſus, id eſt baptiſmo amici, vel ſervi?*

Idem Auguſtinus in Joan. tract. 5. §. 6. *Quoniam ergo acceperat Joannes baptiſmum, qui proprie Joannis diceretur: Dominus autem Jeſus Chriſtus noluit baptiſmum ſuum* (hoc eſt poteſtatem inſtituendi baptiſmi ſui) *alicui dare, non ut nemo baptizaretur baptiſmo Domini, ſed ut ſemper ipſe Dominus baptizaret: id actum eſt, ut & per miniſtros Dominus baptizaret, id eſt ut quos miniſtri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi. Aliud eſt enim baptizare per miniſterium, aliud baptizare per poteſtatem. Baptiſma enim tale eſt, qualis eſt ille, in cujus poteſtate datur, non qualis eſt ille, per cujus miniſterium datur*. Et tract. 15. §. 3. *Fortaſſis hoc moveat, cur dictum ſit:* Baptizabat Jeſus plures, quam Joannes: *& poſteaquam dictum eſt* Baptizabat, *ſubjectum eſt* Quamquam Jeſus non baptizabat, ſed diſcipuli ejus. *Quid ergo? falſum dictum erat, & correctum eſt, cum additum eſt:* Quamquam Jeſus non baptizabat, ſed diſcipuli ejus? *An utrumque verum eſt, quia* & *Jeſus baptizabat, & non baptizabat? Baptizabat enim, quia ipſe mundabat: non baptizabat, quia non ipſe tingebat. Præbebant diſcipuli miniſterium corporis, præbebat ille adjutorium majeſtatis. Quando enim ceſſaret a baptizando, quamdiu non ceſſat a mundando?*

S. Thomas 3. part. quæſt. 84. art. 7. ad 4. *Sed nec etiam active uſus eſt ſuo miniſterio, quia ipſe non baptizabat communiter, ſed diſcipuli ejus, ut dicitur Joan. 4. Quamvis credendum ſit, quod diſcipulos ſuos baptizaverit, ut Auguſtinus dicit ad Seleucianam* epiſt. cit. 165. §. 4. Vide Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam de Apoſt. in univerſ. Interrogatione 10.

Domini ac *Theophania* idcirco nuncupatur. S. Hieronymus in Ezechiel. cap. I. *Quintam*, ait, *diem menſis adjungit, ut ſignificet baptiſma, in quo aperti ſunt Chriſto cœli, & Epiphaniorum dies huc uſque venerabilis eſt: non ut quidam putant, Natalis in carne: tunc enim abſconditus eſt, & non apparuit. Quod huic tempori congruit, quando dictum eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Eſt in eadem ſententia Chryſoſtomus hom. 24. de baptiſmo Chriſti: *Qui fit, ut non ea dies, qua natus eſt*, Epiphania, *& apparitio appelletur, ſed ea, qua batizatus eſt? .... Quia nimirum non omnibus manifeſtus eſt redditus, cum partu eſt editus, ſed cum eſt baptizatus: nam ad hunc uſque diem vulgo erat ignotus*. His adde S. Maximum Taurinenſem, & S. Petrum Chryſologum, qui non modo baptiſmum Chriſti, ſed etiam myſteria alia eo die coli ab Eccleſia, confirmant. Chryſologi verba ſunt hæc ex ſermone 157. *Chriſtus diverſo tempore, uno eodemque die Magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce trino teſtimonio noſcitur, fitque de trina oſtenſione Chriſti Epiphaniæ una & ſacrata ſolemnitas*. Maximus vero hom. 11. de Epiphania Domini: *In hac*, inquit, *celebritate, ſicut relatu paternæ Traditionis inſtruimur, multiplici nobis eſt feſtivitate lætandum. Ferunt enim hodie Chriſtum Dominum noſtrum vel ſtella duce a gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias aquam in vinum vertiſſe, vel ſuſcepto a Joanne baptiſmo conſecraſſe fluenta Jordanis. Sed quid potiſſimum præſenti hoc factum ſit die, noverit ille, qui fecit*. (12)

Pag. 331.

Matth. III. 17.

Pag. 278. tom. I.

CAP.

(12) S. Maximus tom. 6. Bibl. Patr. pag. 8. S. Petrus Chryſologus tom. 7. pag. 964. & 965.

S. Bernardus ſerm. 2. in Epiphania Domini §. 1. pag. 806. *Tres apparitiones Domini legimus, una quidem die, ſed non uno tempore factas*.

Au-

C A P. VIII.

De jejunio, & tentatione Chriſti.

1. *Quamdiu jejunavit?*

Matth. IV. 1. 2. Marc. I. 12. 13. Luc. IV. 1. 2.

℟. POſt ſuſceptum a Joanne baptiſmum Sancto afflatus Spiritu ſeceſſit in deſertum, atque ibi dies ipſos quadraginta ab omni prorſus cibo abſtinens jejunavit, iiſque tranſactis eſuriit. (1) Dicitur autem exactis illis diebus eſuriiſſe, hoc eſt, cum totum illud tempus appetitum cibi coercuiſſet, ſtatuiſſetque jejunii ſui finem quadraginta dies, tandem cibum capere voluiſſe: quam occaſionem arripiens Diabolus obtulit ei lapides in panem vertendos. Hæc enim eſt vis Latini verbi *eſurio*, & Græci πεινάω, ut non tam ſenſum

Auctor ſermonis 136. alias de tempore 29. qui eſt in Appendice apud Auguſtinum §. 1. dicit, eodem die celebrari etiam miraculum, quo Chriſtus *de quinque panibus quinque millia hominum ſatiavit*.

De iis ipſis præterea quatuor celebrandis morem hodie adhuc Eccleſia Mediolanenſis retinet, Petrus Galeſinus in annotat. ad Martyrologium S. Romanæ Eccleſiæ octavo Idus Januarii pag. 12.

Quia miraculum aquæ in vinum converſæ patratum eſt in domo, in qua nuptiæ celebratæ ſunt, idcirco feſtum hoc voce Hebraico-Græca dicitur etiam *Bethphania*, id eſt *apparitio in domo*.

(1) D. Thomas 3. part. quæſt. 41. art. 3. ad 1. *Ideo Chriſtus ſtatim poſt baptiſmum auſteritatem vitæ aſſumſit, ut doceret, poſt carnem edomitam oportere alios ad prædicationis officium tranſire, ſecundum illud Apoſtoli I. Cor. cap. 9.* Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.

ſum famis, quam cibi capiendi voluntatem ſignificent. (2)

2. Ab hoc Chriſti jejunio oritur ne ſolemne jejunium Quadrageſimæ?

℟. Hoc vero S. Auguſtinus, & S. Hieronymus docuerunt. Hieronymi hæc ſunt ex commentario in Eſaiam cap. 58. *Dominus quadraginta diebus in ſolitudine jejunavit, ut nobis ſolemnes jejuniorum dies relinqueret.* Auguſtinus epiſt. 55. cap. 15. 28. ita ſcribit: *Quadrageſima ſane jejuniorum habet auctoritatem & in veteribus libris ex jejunio Moyſis, & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit.* Auctor ſermonis 23. in Appendice apud S. Ambroſium §. 1. *Quadrageſimam nobis Dominus ſuo jejunio conſecravit.* Pag. 190. Pag. 420.

3. *Quænam, & quotuplex fuit tentatio Chriſti?*

℟. Triplex fuit: prima ad gulam pertinens, ad ſuperbiam ſecunda, tertia ad avaritiam. (3) Pri-

(2) Multi ex Sanctis Patribus opinantur, ipſum per quadraginta illos dies haud eſuriiſſe. In his, ut omittam ceteros, eſt S. Petrus Chryſologus ſerm. 11. *Poſtea*, ut ait Matthæus, *eſuriit. Hoc*, inquit, *non eſt infirmitatis ſignum, ſed inſigne virtutis, quia cum dicit*: Poſtea eſuriit, *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus probat in illo eſuriem non fuiſſe.* Plura in hanc ſententiam Franciſcus Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. quæſt. 41. diſputat. 29. ſect. 2.

(3) Vide D. Thomam 3. part. quæſt. 41. art. 4. D. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 13. §. 17. ait, Chriſtum Diabolo *ſe ipſum quoque tentandum præbuiſſe, ut ad ſuperandas etiam tentationes ejus mediator eſſet, non ſolum per adjutorium, verum etiam per exemplum.*

Beda in Luc. cap. 4. pag. 261. tom. 5. *Notandum, quod tribus ſolum tentatoris fraudibus expoſitis, omnem tentationem dicit* (Lucas) *eſſe conſummatam. Quia videlicet his omnium* vi-

Primam paſſus eſt in deſerto, ſecundam in pinnaculo Templi Hieroſolymitani, tertiam in monte excelſo. Singulas deſcribit recto ordine Matthæus, inverſo duas poſtremas S. Lucas: quod tamen Evangelicæ veritati minime obeſt. Nihil enim refert, quo ordine narrentur, cum *omnia facta eſſe manifeſtum ſit*, ut ait S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. 16. §. 33. (4)

Cap. IV. 3. 5. 8. Cap. IV. 3. 5. 9.

4. *Vere ne in pinnaculum Templi, & montem excelſum a Diabolo translatus eſt?*

℟. Ita plane. Tradunt enim id Matthæus, & Lucas verbis iis, quæ hiſtoricum, & proprium ſenſum non excludunt: ac propterea in pinnas Templi, & montis faſtigium a Diabolo per aerem re ipſa delatum fuiſſe, docent D. Thomas 3. part. quæſt. 41. art. 4. ad 7. & Cajetanus ſuis in Matthæum commentariis, ubi contrariam ſententiam *figmentum* vocat.

Bar. ad an. 31. §. 20.

5. *Ubi ſitum erat deſertum, & mons, in quo Chriſtus tentatus eſt?*

℟. Si fides habenda eſt Adricomio, ita ille ſcribit: *Quarentana deſertum inter Hieruſalem, & Jeri-*

In deſcriptione Terræ Sanctæ Pag. 19. num. 97. & 98.

vitiorum origines amplectuntur & fontes, Joanne atteſtante qui ait: Quia omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.

(4) Beda in Marcum cap. 5. pag. 97. tom. 5. *Tentatur ſolitarius a Diabolo, ut nobis inſinuet, quod omnes, qui volunt pie vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur, & quod* per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Tentatur quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ut indicet, quod quamdiu hic viventes Domino ſervimus, ſive proſpera blandiantur (quod ad dies pertinet) ſeu nos adverſa feriant (quod noctis figuræ congruit) ſemper ambulantibus in lege Domini adſit adverſarius, qui iter noſtrum tentando impedire non ceſſat.*

richo incipit juxta Anathot , & extenditur ſupra Galgala uſque ad deſertum Thecuæ , & Engaddi juxta mare mortuum . Hic commoratus eſt S. Joannes Baptiſta . Ibi venientem ad ſe , ut baptizaretur , Chriſtum digito demonſtravit dicens : Ecce Agnus Dei . *In hoc Chriſtus jejunavit quadraginta diebus , & noctibus agens & habitans cum beſtiis .* In eodem deſerto juxta Jordanem ejuſdem nominis eſt *Quarentana , mons altus , & aſcenſu difficilis , in quo tentatus primum eſt Dominus à Satana .*
Idem Adricomius : *Mons diaboli diſtat duobus mil-* Pag. 18. num. 90.
liaribus a Quarentana . Eſt a latere Bethel & Hai auſtrali : in eum deductus fuit a Satana Chriſtus , cum oſtenderet , & adpromitteret illi omnia regna mundi , ſi procidens adoraret ſe . Ricardus Montacutius part. 2. Originum Eccl. putat , deſertum , in quo a Diabolo tentari voluit Chriſtus Dominus , idem eſſe deſertum , in quo Iſraelitæ per annos quadraginta peregrinati ſunt tentantes Deum , & murmurantes adverſus ſanctam ejus diſpenſationem . Maldonatus vero exiſtimat , fuiſ- In
ſe deſertum , *ubi Joannes Baptiſta vitam egerat .* Matth.
Utcumque res ſit , hujuſmodi certe non eſt , quæ Cap. IV. 1.
conjectura explicari poſſit .

CAP.

Digitized by Google

C A P. IX.

De ratione victus, & veſtitus Chriſti poſt baptiſmum.

1. *Qualis erat victus Chriſti?*

Cap. XI. 18. 19. ℞. COmmunem fuiſſe, apparet ex verbis ejus apud Matthæum: *Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax, & potator vini.* His enim ſignificatur, ſicut Joannem nec cibum ſumſiſſe, nec potum communem ceteris: ita Chriſtum e contrario & manducaſſe, & bibiſſe pro gentis inſtituto, & more. Itaque de Chriſto dictum eſt a Chryſoſtomo hom. 38. in Matthæum: *Illam autem aliam vivendi viam, quæ jejunio claros efficit, Joanni omnino poſtea dimiſit: ipſe vero publicanorum, atque peccatorum menſas elegit, ut publicanos, & peccatores ſalvaret.* Similiter ait S. Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum cap. 31. *Unde ergo* (Joannes) *dictus eſt non manducans, neque bibens, niſi quia illo victu, quo Judæi utebantur, ille non uteretur? Hoc ergo Dominus niſi uteretur, non in ejus comparatione manducans, bibenſque diceretur.* (1)

Pag. 362.

2. *Qualis erat veſtitus?*

℞. Ut victus Chriſti, ſic veſtitus ejus communis, & vulgaris fuit, nec pretioſus ſcilicet, nec vilis omnino. Pretioſus enim molles decet, & Cap. XI. 8. *qui mollibus veſtiuntur*, ut ait Chriſtus ipſe apud Matthæum, *in domibus* Regum *ſunt:* vilis autem adeo

(1) Vide D. Thomam 3. part. quæſt. 40. art. 2.

adeo non moviſſet militum, qui eum crucifixerunt, cupiditatem, ut ejus veſtes ſorte partirentur inter ſe, quod omnes Evangeliſtæ tradiderunt. (2)

3. Quot erant ejus veſtes?

℞. *Quot fuerint veſtimenta, nullus Evangeliſtarum ſignificavit. Ideo quidam fuiſſe dixerunt quinque, quatuor quidem quatuor militibus diviſa, quintum vero tunicam inconſutilem. Videtur autem incredibile dictum, eo quod indecens Salvatori fuiſſet: nemo enim, ne aliorum quidem hominum tot veſtibus induitur. Conjectantes ergo dicimus, nec procul fortaſſe ab eo, quod congruum eſt, tria fuiſſe univerſa: unum quidem fuiſſe tunicam corpori applicatam in modum ſubuculæ; dico ſane tunicam hanc inconſutilem: alterum autem, quo ſuper primum ve-*

ſtie-

(2) S. Chryſoſtomus hom. 83. in Joan. pag. 429. *Nonne ſolus ſemper cum duodecim diſcipulis ambulabat, & vilibus utebatur cibis, veſtibus, domo?* Idem hom. 84. in eumdem Joan. pag. 433. *In Palæſtina ex duobus pannis veſtes contexunt, quod ſignificans Joannes inquit* deſuper contextam: *quod mihi dicere videtur, ut veſtimentorum vilitatem oſtenderet. Nam quemadmodum in aliis omnibus, ita in habitu vilem ſpeciem præſeferebat.*

S. Thomas Opuſculo contra impugnantes religionem 19. extremo cap. 8. *Non eſt credibile, quod Dominus Jeſus Chriſtus pretioſis veſtibus indueretur, qui Joannem commendabilem oſtendit, quod non erat mollibus indutus, alioquin Phariſæi, qui exteriorem ſanctitatem oſtentabant, ſicut de eo dicebant, quod erat vorax & potator vini, & publicanorum amator: ita de eo dixiſſent, quod eſſet mollibus indutus. Milites etiam, qui ei illudebant, non eum veſte purpurea induiſſent in ſignum regiæ dignitatis, ſi tunica inconſutilis auro & ſerico contexta fuiſſet: ſed quod tunicam ejus milites dividere noluerunt, hoc non fuit propter pretioſitatem veſtis, ſed propter numerum, quia quatuor partibus ſuperfuerat, quas milites de veſtibus Chriſti fecerunt: & ſi diviſa fuiſſet, omnino fuiſſet inutilis, in quo manifeſte apparet, quod non erat de pretioſa materia.*

ſtiebatur : & tertium exterius indumentum . (3) *Hanc vero tunicam e traditione Patrum accepimus opus fuiſſe Dei Matris a ſuperioribus partibus contextam , veluti ſunt apud nos capitis , aut pedum hyemalia operimenta* . (4) Neque propterea Chriſtus fecit contra præceptum datum Apoſtolis, ne
Cap. X. 10. *duas tunicas haberent* , ut ait Matthæus , ſeu *ne*
Cap. VI. 9. *induerentur duabus tunicis* , ut Marcus loquitur . Præcepit enim ibi , ne haberent binas veſtes e-
Bar. ad an. 34. §. 163. juſdem generis, quarum modo unam , modo alteram induerent: non autem præcepit, ne haberent binas, vel plures veſtes ad uſum præſentem
In Matth. cap. 10. pag. 16. vitæ neceſſarias. *In duabus tunicis*, ait Hieronymus , *videtur mihi duplex oſtendere veſtimentum : non quod in locis Scythiæ, & glaciali nive rigentibus una quis tunica debeat eſſe contentus : ſed quod in tunica veſtimentum intelligamus , ne alio veſtiti aliud nobis futurorum timore ſervemus* . (5)

4. *Cu-*

(3) Octavius Ferrarius de Re Veſtiaria part. 1. lib. 3. cap. 3. *Non ita valido argumento Caſaubonus exercitat.* 16. §. 84. *Euthymii opinionem refutat, qui tradit , Chriſtum Dominum geſtaſſe pallium, tunicam , & tunicam inconſutilem, ex eo quod qui duas tunicas geſtabant , interiorem lineam habebant , exteriorem laneam , & tamen inconſutilis lanea erat. Nam quidquid ſit de duabus tunicis , de quibus non eſt hic locus, nullus, aut rarus linearum uſus apud Hebræos, quemadmodum apud Romanos, præcipue in Chriſto Domino , & Apoſtolis, qui nullam hujuſmodi in cultu mollitiem agnoverunt* .

(4) Euthymius Comment. in Evangelium Matthæi cap. 67. tom. 19. Bibl. Patrum pag. 588.

(5) Idem Hieronymus epiſt. 150. quæſt. 1. pag. 800. *Unde inquit Dominus:* (Luc. III. 11.) Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. *Quid ſi Scythiæ frigora ſint, & alpinæ nives, quæ non duabus & tribus tunicis , ſed vix pecudum pellibus repelluntur? Quidquid ergo corpori noſtro ſufficere poteſt, & humanæ ſuccurrere imbecillitati , quos nudos natura profudit, hoc una appellanda eſt tunica, & quidquid in præſentibus alimentis neceſſarium, hoc unius diei victus appellatur* .

S. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 30. §. 75.

4. *Cujuſmodi erat veſtis ejus inconſutilis?*

℞. Res eſt obſcura; multiſque eruditorum divinationibus tentata. S. Chryſoſtomus in Joannem hom. 84. ac Theophylactus in eumdem cap. 19. compoſitam putant ex partibus duabus. Theophylacti verba hæc ſunt: *Palæſtini duos pannos committendo contexunt veſtes pro ſutura utentes contextu: manifeſtans Joannes; quod talis fuerit tunicula; dixit; quod a ſummo per totum fuerit contexta; hoc eſt ab initio & ſuperne uſque ad infima.* Salmaſius in commentario ad Vopiſcum arbitratur; fuiſſe contextam acu; ac interulæ ſimilem: ſed quod non eſſet *de eo genere tunicarum; quæ fibulis ſtringerentur ex utraque parte*, idcirco dictam ab Joanne ἄρραφον *inconſutilem*, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸν, *& deſuper contextam*; quod *in ſuperioribus partibus fibulæ locum magis haberent; quibus ſtricta tenebatur, & ſedebat in humeris; &* ὑφαντὸν δι' ὅλου, *contextam per totum*, quod *nulla ſui parte ſciſſuram haberet*. Ferrarius de Re Veſtiaria part. 1. lib. 3. cap. 16. poſtquam confutavit Salmaſium, quod veſtem *inconſutilem* aſſereret eſſe conſutam; *cum vulgo credit; tunicam illam* inconſutilem *vere fuiſſe inconſutam; id eſt ſarcinatoris acu minime, nullaque in parte conſutam; ſed ad inſtar tibialium, quæ apud nos ſerica, aut lanea tota ſimul texuntur non quidem pectine, & in tela; ſed per acus longiores reticulatim conficiuntur: & ideo dici* ἄνωθεν deſuper, *id eſt ſurſum verſus contextam, &* per totum, *id*

Pag. 433.
Pag. 824. & 825.

In Aureliano cap. 46.

§. 75. *Calceamenta cum dicit Matthæus in via non eſſe portanda, curam prohibet, qua ideo portanda cogitantur, ne deſint. Hoc & de duabus tunicis intelligendum eſt; ne quiſquam eorum præter eam, quam eſſet indutus; aliam portandam putaret, ſolicitus ne opus eſſet, cum ex illa poteſtate poſſet accipere.*

eſt in orbem, & totam ſimul, ſine ulla ſciſſura, quæ acu committenda eſſet. Braunius de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum lib. 1. cap. 16. contendit, neque commiſſam fuiſſe, ut Chryſoſtomus, neque conſutam, ut Salmaſius, neque *per acus longiores* elaboratam, ut Ferrarius, ſed textoris opera confectam. Hujus generis tunicas vocari *tunicas rectas*. Nam apud Plinium lib. 8. cap. 48. legi, Cajam Ceciliam Tarquinii Priſci Regis uxorem primam omnium *texuiſſe tunicam rectam*, & ab S. Iſidoro lib. 19. Orig. cap. 22. rectam veſtem dici, quam *ſurſum verſum, ſtanteſque texunt*. Talem fuiſſe tunicam ſummi Sacerdotis, quam Moyſes Exodi cap. XXXIX. 25. *opere textili* confectam tradit, nulla videlicet ſutoris acu conſutam, tegentem corpus totum, & ſuperne apertam capiti exerendo. (*6*)

5. *Erat ne pretioſa?*

℞. Non credo. Id enim alienum eſt a moribus atque inſtituto Chriſti, qui, ut obſervat Baronius ad an. 34. §. 117. *Joannis prædicans ſanctitatem dixerat*: Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Quare Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 74. ita ſcribit ad Cratonem: *Quis autem veſtis illius vilitatem ignorat? ut qua Galilæorum pauperes utantur, apud quos etiam maxime hujuſmodi veſtis genus fieri ſolet arte quadam, ut pectoralia, retractim conſutum*. Idem plane dixit ante
Pag. 433. Iſidorum Chryſoſtomus in Joan. hom. 84. Ait enim,

(*6*) Ferunt, tunicam *inconſutilem* eamdem fuiſſe, qua primum Maria Virgo Chriſtum puerum induerat, & cum illo creviſſe ſine detrimento, non ſecus ac veſtes Hebræorum in deſerto. *Nunc religioſe Treviris aſſervatur, ut prodit Brovverus in Annal. Trevirenſ. lib. 15. ubi de ea plura*. Pagius ad an. 593. §. 6. Vide Auguſtinum Calmet in Joan. XIX. 23.

enim, videri ſibi Joannem veſtem illam *deſuper contextam* appellaſſe; *ut veſtimentorum vilitatem oſtenderet. Nam quemadmodum in aliis omnibus, ita in habitu vilem ſpeciem præſeferebat* Chriſtus Dominus. (7)

6. Putas ne, Chriſtum Dominum calceis uſum eſſe?

℞. Dubium id eſt, controverſumque inter ſanctos Patres. Negat S. Hieronymus epiſt. 22. cap. Pag. 144.
8. *Et Moyſes, & Jeſus Nave nudis in ſanctam terram pedibus jubentur incedere: & diſcipuli ſine* Matth.
calceamentorum onere, & vinculis pellium ad præ- X. 10.
dicationem novi Evangelii deſtinantur: & milites, veſtimentis Jeſu ſorte diviſis, caligas non habuere, quas tollerent: nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat ſervis. At prohibitionem hanc temporariam fuiſſe, vult S. Chryſoſtomus hom. 9. in Pauli epiſtolam ad Philippenſes, & S. Auguſtinns lib. 22. contra Fauſtum cap. 77. (8) Itaque Auguſtinus calceis uſum eſſe Chriſtum, affirmat ſerm. 101. cap. 6. §. 7. *De his calceamentis, quibus calceati ambulamus, conſolatur me idem ipſe Dominus meus. Si enim ipſe calceatus non eſſet, non de illo Joannes diceret:* Non ſum dignus ſol- Luc. III.
vere corrigiam calceamentorum ejus. Tale quo- 16.
que eſt illud S. Antonini 3. Part. hiſt. tit. 23.

(7) Fuiſſe pretioſam eo credidit Bulengerus, quod milites eam dividere noluerint. Idcirco autem potius a militibus diviſa non fuit, quia hujus generis veſtes in modum retis confectæ, ſi dividantur, nulli uſui eſſe poſſunt.

(8) Verba Chryſoſtomi pag. 1273. *Præcepta illa*, ne videlicet Apoſtoli poſſiderent aurum, argentum, duas tunicas, calceamenta, & alia hujuſmodi, *ad tempus erant, & non perpetua. Neque id ex conjectura, ſed ex divinis Scripturis dico: quomodo? Narrat Lucas* (cap XXII. 25.) *dixiſſe Chriſtum diſcipulis*: Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & zona, & calceamenris, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. *Ergo poſthac vobis comparate.*

cap. 1. §. 1. *Chriſtum calceatum videre poſſumus in eo, quod Baptiſta ait: Cujus non ſum dignus* &c. Tale item illud S. Clementis Alexandrini Pag. 206. lib. 2. Pædagogi extremo cap. 11. *Tenuis ac ſimplicis calceaturæ teſtis ſufficit Joannes, qui dicebat, ſe* non eſſe dignum ſolvere corrigiam calceorum Domini. *Non enim curioſos aut ſuperfluos is habebat calceos, qui veræ Philoſophiæ typum Hebræis oſtendebat*. Horum ſententiam probabiliorem judicarunt viri doctiſſimi Janſenius cap. 55. Concordiæ, Cajetanus in Luc. cap. 3. Toletus in Joan. cap. 1. annotat. 65. Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 28. ſect. 3. Pererius in Joan. cap. I. diſputat. 45. Joannes Stephanus Menochius lib. 2. de vita Chriſti cap. 2. §. 12. & Balduinus de Calceo antiquo cap. 26. ubi rem totam paucis exponit, & adverſariorum argumenta diſſolvit. (9)

7. *Quid ſentis de paupertate Chriſti?*

℞. Eum pauperem quidem fuiſſe, non tamen adeo pauperem, ut aliquid commune cum Apoſtolis non haberet. Hoc aperte indicavit Joannes cap. XIII. 29. verbis illis: *Quidam putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixiſſet ei Jeſus: Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut egenis ut aliquid daret*. Ex quibus ita colligit S. Auguſtinus: *Habebat ergo & Dominus loculos, & a Fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta*. Et alio

(9) Paſchaſius Radbertus ſcriptor ſæculi IX. in Matth. lib. 6. Bibl. Patr. tom. 14. pag. 495. *Adhuc hodie ſandalia Domini Romæ habentur, quibus pedes tecti & intecti monſtrantur, id eſt, ut nec nudi deorſum ad terram ſint, nec cooperti deſuper*. Vide Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam de Apoſtol. in univerſ. Interrogat. 43.

alio loco: *Videmus & ipſum Dominum habuiſſe loculos, quo ea, quæ dabantur, mittebantur, ut ſervari poſſent ad uſus pro tempore neceſſarios.* (10) Adde illud Gregorii Nazianzeni oratione 16. *Quin me movet Chriſti crumena, quæ nos ad pauperes alendos exhortatur.* Hoc idem traditum atque adeo definitum eſt à Joanne XXII. in Extravag. *Cum inter nonnullos*: & *Quia quorumdam* de Verborum Significatione. (11) Pag. 264.

8. *Fuit ne umquam tanta ejus paupertas, ut mendicare coactus fuerit?*

℟. Doctiſſimis, ſapientiſſimiſque placuit, aut cauſſa itineris, aut occaſione alia opus fuiſſe Chriſto Domino mendicare: cum, ut notat D. Hieronymus in ſuis ad Matthæum commentariis, *tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulatus ſit, ut in Urbe maxima* (Hieroſolyma) *nullum hoſpitium, nullam invenerit manſionem, ſed in agro parvulo apud Lazarum ſororeſque ejus habitaret, eorum quippe vicus Bethania eſt.* (12) *Ex quo patet*, ut obſervat S. Thomas opuſculo 19. contra impugnantes religionem, cap. 7. *quod Chriſtus ita pauper erat, quod hoſpitium conducere non poſſet:* Cap. 21. pag. 44.

(10) In Joannem tract. 62. §. 5. & de mendacio cap. 15. §. 29.

(11) Vide Bellarminum lib. 4. de Rom. Pont. cap. 14. & Raynaldum ad an. 1323. §. 38. uſque ad 71.

(12) S. Joannes cap. XI. 18. *Erat autem Bethania juxta Hieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim: quæ*, ut ait Chryſoſtomus in Joan. hom. 61. pag. 318. *circiter duo millia paſſuum efficiunt.*

Hieronymus in Matth. cap. 17. pag. 36. *Tantæ Dominus fuit paupertatis, ut unde tributa pro ſe & Apoſtolo redderet, non habuerit. Quod ſi quis objicere voluerit: Et quomodo Judas in loculis portabat pecuniam? Reſpondebimus, rem pauperum in uſus ſuos convertere nefas putavit, nobiſque idem tribuit exemplum.*

ſed ab aliis hoſpitium petebat. Quod certe erat genus quoddam mendicitatis. (13)

CAP. X.

De miraculis Chriſti.

1. *Quando cœpit miracula perpetrare?*

℞. FUerunt, qui putarent, Chriſtum ſtatim a puero miracula perpetrare cœpiſſe. At eos refellit S. Joannes Chryſoſtomus hom. 16. in
Pag. 89. Evangelium Joannis. Hæc enim ipſius verba ſunt. *Conſtat, ſigna illa, & miracula, quæ in Chriſti pueritia feruntur, vera non eſſe. Nam ſi a pueris miracula facere cœpiſſet, non ſane eum Joannes ignoraſſet, nec reliqua multitudo indiguiſſet magiſtro, qui ipſum manifeſtaret.* Itaque hom. 22. affirmat,
Pag. 117. *poſt baptiſma Chriſtum miracula facere cœpiſſe, ante nullum.*

2. *Quodnam eſt primum Chriſti miraculum?*

℞. Converſio aquæ in vinum ab eo facta, dum intereſſet nuptiis in Cana Galilææ Oppido celebratis. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus*, ait Joannes, *& manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.* (1) Fuit olim nonnul-

Bar. ad an. 31. §. 32. Cap. II. 11.

(13) Qui ajunt, Chriſtum Dominum aliquando mendicaſſe, ii magis probantur etiam Franciſco Suarez in 3. part. D. Thom. tom. 2. diſputat. 28. ſect. 2.

(1) S. Epiphanius hær. 51. §. 30. *In cujus rei fidem hodieque pluribus in locis idem, quod olim factum eſt, prodigium inſtauratur. Cujuſmodi ad Cibyram Cariæ oppidum fons eſt, qui eadem illa hora, qua miniſtri aquam hauſerunt, ac Salvator dixit:* Date Architriclino, *in vinum vertitur. Idem*

nullorum opinio, quam refert Chryſoſtomus hom. 22. in Joan. *non fuiſſe hoc initium ſignorum omnium, ſed eorum, quæ in Cana Galilææ facta ſunt*. (2) Sed opinio hæc refragatur & Evangeliſtæ, qui generatim dicit, miraculum aquæ in vinum mutatæ fuiſſe *initium ſignorum* Chriſti, & ſanctis Patribus hoc omnium primum aſſerentibus. Nam Tertullianus quidem in libro de baptiſmo cap. 9. hæc habet: *Prima rudimenta poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias aqua auſpicatur*. Epiphanius vero, ut alios omittam, Hær. 51. §. 16. *Tertio poſtea die*, inquit, *nuptiæ factæ ſunt in Ca-* Pag. 116.

dem & in Geraſenò potavimus, qui in Martyrio eſt. Plerique vero idem & de Nilo Ægypti fluvio confirmant. Caſaubonus, qui, cum de miraculis agitur, laborare non poteſt ſuſpicione nimiæ credulitatis, Exercitat. 13. §. 22. *Opinio Epiphanii ſuper vinoſis fontibus prorſus eſt admirabilis. Non enim dubitamus, virum ſanctiſſimum ea retuliſſe in litteras, quæ ſibi certa fide eſſent comperta*.

(2) Idem Chryſoſtomus mox ſubjicit: *Ego non contendo hoc, illud affirmo, poſt baptiſmum Chriſtum miracula facere cœpiſſe, ante nullum. Hoc, ſive illud primum fuerit poſt baptiſma, non admodum quæſitu neceſſarium ducimus*. Idemque hom. 20. in Joannem pag. 107. & 108. *Si ante miracula feciſſet, non indiguiſſet Iſrael, qui ipſum manifeſtaret. Vir enim factus miraculorum multitudine non modo Judæis, ſed & Syris, & longinquiora incolentibus cognitus eſt tribus annis duntaxat: imo ne tribus quidem indiguit, ſed quam primum nomen ejus in omnes diffuſum eſt. Qui igitur tam brevi miraculis claruit, longe magis a prima infantia ſi ea feciſſet: fuiſſet enim majori admirationi, utpote puer, quam vir, neque tamdiu in obſcuro latuiſſet: ſed nihil a pueris operatus eſt. Unum autem duntaxat Lucas* cap. II. 42. 46. *teſtatur; quod annorum duodecim ſediſſet in Templo medius doctorum, & audiens, & interrogans, fuiſſetque ſummæ omnibus admirationi. Nec immerito a teneris annis Jeſus a miraculis abſtinuit. Arbitrati enim eſſent, ſe præſtigia videre. Nam ſi annorum acceſſu, & ætate maturo multi id ſuſpicati ſunt, quid de puero credidiſſent?*

Cana Galilææ , poſt biduum illud , idque primum prodigiorum omnium exſtitit . (3)

3. *Quo die patratum eſt hoc miraculum?*

℞. Viſum eſt Epiphanio Hær. 51. §. 20. 28. 29. Chriſtum miraculum hoc patraſſe die ſexto Januarii, *tertio*, *quam prædicare cœperat*. Et quidem non aberraret a vero, ſi Chriſtus, ut eidem placet, die ſexto Novembris baptizatus fuiſſet. Sed cum Patres alii, atque adeo Eccleſia ipſa VIII. Idus Januarias baptizatum dicant, exiſtimandum eſt, aut ſub exitum Februarii, aut Martio ineunte aquam in vinum mutaſſe, poſt duos fere menſes, quam baptizatus fuerat. (4) Quod mirifice congruit cum hiſtoria Evangelii: quandoquidem Chriſtus, auctore Joanne Evangeliſta Cap. II. 12. 13. poſt perpetratum miraculum hoc dies aliquot commoratus eſt Capharnaum, atque inde Hieroſolymam ad celebrandum Paſcha profectus.

4. *Nonne Eccleſia eodem die ſexto Januarii & baptiſmi Chriſti, & mutatæ ab eo in vinum aquæ memoriam celebrat?*

℞. Celebrat profecto, non tamen ea de cauſſa, ut ſignificet, eodem die Chriſtum & baptizatum fuiſſe, & aquam in vinum mutaſſe: ſed quia voluit recolere Epiphaniam, hoc eſt manifeſtationem Chriſti memoria trium miraculorum, quibus ſe Chriſtus mundo manifeſtavit. Magis enim

(3) Vide D. Thomam 3. part. quæſt. 36. art. 4. ad 3. & quæſt. 43. art. 3. & Lambertinum de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 2. num. 4.

(4) Sententia hæc placet etiam Pererio in Joan. cap. 2. diſputat. 2. n. 9.

Digitized by Google

enim ſtella duce ab Oriente deductis, manifeſtatus eſt gentibus: baptiſmate a Joanne ſuſcepto, in quo Patris ejus vox de Cælo audita, *Hic eſt filius meus dilectus*, manifeſtatus eſt Judæis; & aqua in vinum converſa Diſcipulis. Eccleſia igitur VIII. Idus Januarias generatim & univerſe celebrat manifeſtationem Chriſti tribus miraculis factam, licet duo illa tantum, non item tertium eo die contigerit. Nam quod canit Eccleſia: *Hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias*, idem eſt, ac ſi diceret: *Hodie ejus rei memoria agitur*, ut ait Baronius ad an. 31. §. 34. (5) Matth. III. 17.

5. *Cujus erant iſtæ nuptiæ?*

℟. Fuiſſe Joannis Evangeliſtæ, exiſtimarunt aliqui decepti præfatione falſi Auguſtini in ejuſdem Joannis Evangelium, qui propterea communi conſenſu rejiciuntur. (6) Itaque Baronio videtur potius aſſentiendum eſſe Nicephoro Lib. 8. cap. 30. affirmanti, ſponſum in his nuptiis fuiſſe Si- Bar. ad an. 31. §. 30. & 31.

(5) Idem Baronius eodem loco: *Minime aſſentimur illis, qui dictum miraculum ſequenti anno ea ipſa die, qua baptizatus eſt Dominus, factum eſſe dixerunt: quod etiam quaſi auctoritate Eccleſiæ, quæ una cum Magorum adventu, & Chriſti baptiſmo idem quoque miraculum de aqua in vinum mutata recolit, firmare nituntur. Sane cum eadem hæc tria ad oſtenſionem Chriſti virtutis facta dicantur, non una eademque die ſingulis quibuſque annis ſunt peracta: ſed ipſorum tantum memoriam eadem die ab Eccleſia recenſeri ſolitam, teſtantur antiqui Patres.*

Pererius in Joannem cap. 2. diſputat. 2. n. 8. *Illud* hodie *non refertur ad tempus rei geſtæ, quaſi ſenſus ſit, eo die tria illa myſteria eſſe facta; ſed refertur ad commemorationem & celebrationem eorum trium myſteriorum eo die fieri ſolitam, ut ſit eorum verborum hic ſenſus: Hodie colitur & celebratur commemoratio iſtorum trium myſteriorum.*

(6) Vide Pererium in Joan. cap. 2. diſputat. 3. Calmetum in eumdem Joannis locum pag. 637. tom. 7. & Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam in Joanne, Interrogat. 2.

Simonem Cananæum, qui unus ex duodenario Apoſtolorum numero *Zelotes* dictus eſt. (7) Sed illud magis crediderim, quod idem Baronius paul-
§. 29. lo ante generatim dixerat, *veriſimili conjectura traditum, ejuſmodi nuptias fuiſſe alicujus, qui Chriſto eſſet aliqua cognatione conjunctus*. Nam ſponſum illum nominatim proferre, ſacris litteris & antiquis Patribus tacentibus, divinare eſt. Hunc
Joan. II. 3. 5. 8. porro ſponſum fuiſſe pauperem, colligere inde licet, quod vinum in ejus nuptiis defecit: non fuiſſe hujuſmodi videtur oſtendere multitudo miniſtrorum, & Architriclini præſentia. (8)

6. Ullus ne ex ſanctis Patribus collegit Chriſti miracula ab Evangeliſtis memorata?

℟. Unus, quod ſciam, collegit S. Gregorius Nazianzenus, & quidem verſibus elegiacis ea, quæ narrantur a Matthæo, & Luca, heroicis autem ea, de quibus Marcus, & Joannes meminerunt.

(7) Si minus in hoc, in quo probatur a viro ſummo Baronio, in eo certe rejiciendus Nicephorus, in quo refragatur Evangelio. Nam, miraculo aquæ a Chriſto in vinum mutatæ non admiſſo, ſubjungit, *ex occultis, incertiſque botris vinum factum*.

(8) S. Gaudentius ſerm. 9. pag. 28ç? *Nuptiæ apud Judæos cum fierent, unus (quantum traditione comperimus) dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitime gubernaret, pudoriſque curam gereret conjugalis: ſimul etiam conviviorum apparatui miniſtros, atque ordinem diſponeret, & pro hoc officio Architriclinus, id eſt triclinii præpoſitus dicebatur.*

Caſaubonus Exercitat. 13. ad Annales Baronii §. 19. pag. 244. ait, *Gaudentium confundere Architriclinum cum præfecto morum*, ad quem ſpectabat cavere, ne convivæ bibendo excederent. Quod ſi verum eſt, non unus tantum, ſed duo erant Canæ nuptiis Præfecti, ideoque magis conſtat, nuptias illas non fuiſſe viri pauperis, & vinum defeciſſe non ex inopia ſponſi, ſed divino conſilio, ut idonea Chriſto daretur occaſio mirabili aquæ in vinum converſione manifeſtandi ſeipſum.

runt. Verſus iſtos, utpote qui etiam in latinum translati & clari ſunt & ſatis boni, libet in medium afferre, atque illuſtrare.

7. Affer igitur eos, quibus colligit Nazianzenus miracula Chriſti ſecundum Matthæum.

℟. *Hæc, quæ mortali Chriſtus cum carne patravit,* Carm. 39. pag. 101. tom. 2.
Matthæus ſacræ prodidit hiſtoriæ.
Depulit informem primum de corpore lepram:
Atque tulit famulo Centurionis opem. Cap. VIII. 3. 13. 15. 26. 32.
Inde, ſocru Petri violenta febre levata,
Ventos, & fluctus comprimit æquoreos. (9)
Dæmonas in porcos Geraſenis mittit in arvis: (10)

Su-

(9) S. Hieronymus in Matth. cap. 8. pag. 11. quartum Chriſti miraculum editum dicit in iis, *qui oblati ſunt ei a Dæmonio vexati*. Ita enim numerat ſeptem prima Chriſti miracula: *Notandum, quod hic* (leproſus) *primus ſpecialiter curatus ſit: ſecundo puer Centurionis: tertio ſocrus Petri febriens in Capharnaum: quarto loco, qui oblati ſunt ei a Dæmonio vexati, quorum ſpiritus verbo ejiciebat, quando omnes male habentes curavit.... Quintum ſignum fecit, quando aſcendens navem de Capharnaum ventis imperavit & mari. Sextum quando in regione Geraſenorum dedit poteſtatem dæmonibus in porcos. Septimum quando ingrediens Civitatem ſuam paralyticum ſecundum curavit in lectulo. Primus enim paralyticus eſt puer Centurionis.*

(10) Duo porcorum millia ſpiritu præcluſo obſtrictis faucibus tunc periiſſe, teſtatur D. Marcus cap. V. 13. Ob id Geraſeni veriti, ne pergeret Chriſtus ægros & energumenos curare porcorum, gregumque ſuorum clade, eum rogarunt, ut diſcederet. Luc. VIII. 37.

Omnia Chriſti miracula, ſi hoc excipias, & ficum aridam factam, benefica fuerunt. Nimirum *Legis ſeveritati conveniebant ſigna terribilia, Servatoris perſonæ ſigna benefica*, ut ait Grotius in Matth. XII. 28. pag. 456. Criticorum Sacrorum.

Miraculis Chriſti ſimilia fuerunt miracula Apoſtolorum, iis exceptis, quæ narrantur *Actor.* V. 10. XIII. 11. & 1. *ad Cor.* V. 3. & 1. ad *Timoth.* I. 20.

Cap. IX. 6. 22. 25. 29. 32. *Suſtulit & lectum, qui reſolutus erat.* (11)
Profluvium ſiſtit mira virtute cruentum: (12)
Et redit ad lucem principe nata viro. (13)
Lucem reſtituit cæcis, Satanaque fugato
Mutus inaſſuetos edidit ore ſonos: (14)
Cap. XII. 13. 22. *Solvitur extemplo gravibus manus arida vinclis:*
Et preſſo a Satana voxque ſonuſque redit. (15)
Cap. XIV. 20. 21. 25. *Bis ſenos cophinos, & millia quinque virorum* (16)
Ex-

(11) Paralyticum hunc ſecundum curavit in lectulo (primus enim paralyticus eſt puer Centurionis) ingrediens *Civitatem ſuam*, non Bethleemum, aut Nazarethum, ut aliqui opinati ſunt; ſed Capharnaum metropolim Galilææ, ad ſeptemtrionalem oram lacus Geneſareth collocatam, ut docet S. Chryſoſtomus hom. 30. in Matthæum, pag. 289. Vide annot. 8. ad cap. XI. de Prædicatione Chriſti.

(12) Chryſoſtomus in Matthæum hom. 32. pag. 304. *Quod autem ad mulieris honorem atque gloriam, emendationem quoque aliorum, non ad ambitionem iſta fecerit, inde patet, quod abſque hoc ſigno non minus ipſe mirabilis eſſet futurus, cum nivales imbres miraculorum multitudo ſuperaret.* De muliere Hæmorrhoiſſa differemus infra cap. 18.

(13) *Cui nomen Jairus, & ipſe princeps Synagogæ erat*, ut addit Lucas cap. VIII. 41. Synagogæ enim præficiebantur ii, qui, licet Sacerdotes non eſſent, ſpectatæ tamen erant probitatis. Omnes dicebantur *Archiſynagogi*, ſeu *Principes Synagogæ*, quemadmodum legitur in Actis XIII. 15. ſed unus in primis, qui inter omnes emineret eruditione, ut eſt apud Lucam cap. XIII. 14. cujus munus erat Legem interpretari, & preces concipere. Talis fuit Jairus princeps Synagogæ Capharnaenſis. Vide Grotium in Matth. cap. IX. 18. tom. 6. Critic. ſacrorum pag. 350.

(14) Beda in Lucam cap. 48. pag. 338. tom. 5. *Dæmoniacus iſte apud Matthæum* cap. IX. 32. & 33. *non ſolum mutus, ſed & cæcus fuiſſe narratur, curatuſque dicitur a Domino ita ut loqueretur, & videret. Tria ergo ſigna ſimul in uno homine perpetrata ſunt. Cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus a Dæmone liberatur.*

(15) S. Hieronymus in hunc Matthæi locum pag. 21. *Tria ſigna ſimul in uno homine perpetrata ſunt: Cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus a Dæmone liberatur.*

(16) Præter mulieres, & pueros. Duodecim autem cophinos repertos fuiſſe in Templo duodecim Apoſtolorum, quod

Explevit quinis panibus appoſitis.
Hinc pedes aſſequitur, res numquam audita, carinam:
Et cedit pedibus vis truculenta maris.
Solvitur hoſte malo Cananæa matre creata, Cap. XV. 28. 34. 37. 38.
Mater ut obnixas miſit ab ore preces.
Panibus ex ſeptem turbis ſeptena redundat
Sporta, quaterque fames mille fugata viris.
Divinam formam aſſumit, Soliſque videtur Cap. XVII. 2. 14. 17.
Lumine diſcipulis clarior ipſe ſuis. (17)

In-

quod Conſtantinopoli ædificavit Conſtantinus Magnus, narrat ex Cedreno Cornelius a Lapide in Matthæum cap. XIV. 20. pag. 296.

(17) S. Hieronymus epiſt. 61. adverſus errores Joannis Hieroſolymitani cap. 10. pag. 461. *Dominus noſter in monte transfiguratus eſt in gloria, non ut manus, ac pedes, ceteraque membra perderet, & ſubito in rotunditate vel Solis, vel ſphæræ volveretur; ſed eadem membra Solis fulgore rutilantia Apoſtolorum oculos perſtringerent: unde & veſtimenta ejus mutata ſunt in candorem, non in aerem, ne forte & veſtes ejus aſſeras ſpirituales.* Et facies ejus, *inquit*, fulgebat ſicut Sol. *Ubi autem facies nominatur, exiſtimo, quod & cetera membra conſpecta ſint.* Idem in Matth. cap. 17. pag. 34. *Qualis futurus eſt tempore judicandi, talis apparuit Apoſtolis.*

Et Beda in Matth. cap. 17. pag. 53. tom. 5. Transfiguratus eſt ante eos, *Non ſubſtantiam veræ carnis amittendo, ſed gloriam futuræ reſurrectionis ſuæ, vel noſtræ oſtendendo: quia qualis tunc Apoſtolis apparuit, talis poſt judicium omnibus electis apparebit. In ipſo autem judicandi tempore bonis, & malis in forma ſervi videbitur, ut ipſum judicem intelligere valeant perverſi, quem antea reſpuebant.*

D. Thomas 3. part. quæſt. 45. art. 2. *Quod a principio conceptionis Chriſti, gloria animæ non redundaret ad corpus, ex quadam diſpenſatione divina factum eſt, ut in corpore paſſibili noſtræ redemtionis expleret myſteria.*

Noctu contigiſſe Domini Transfigurationem, affirmat Lucas Brugenſis ex verbis illis, quæ ſunt in Lucæ Evangelio cap. IX. 32 *Petrus vero, & qui cum illo erant, gravati erant ſomno: & evigilantes viderunt majeſtatem ejus.* Cui ſententiæ ſuffragari verba illa verſiculi 37. *Factum eſt in die ſe-*

Inde piis precibus flexus lacrymiſque parentis
Lunæ actum morbo liberat horribili.
Cap. XX. *His ita patratis Jerichuntia mœnia linquit,*
30. 34. *Et binis aperit lumina clauſa viris.*
Cap. *Mox etiam cæcis affuſa luce medetur:*
XXI. 12. *Et claudis pedibus fert miſeratus opem.*
14. 19. *Sed prius a ſacra commercia depulit æde,*
Quæſtuſque impuros, ſacrilegamque manum.
Bethania Solymas pergens areſcere ficum
Imperat, hanc omni fruge carere videns.
Cap. *Denique dum Lumen moritur, caligo coorta eſt,*
XXVII. *In partes velum ſcinditur atque duas.*
45. 51. 52. *Concutitur tellus, ſcinduntur ſaxa dolore:*
Et linquit tumulos excita turba ſuos.

His

ſequenti, docet Auguſtinus Calmet ad memoratum locum Evangelii D. Lucæ.

Contigiſſe autem in monte Thabor, ſcribit S. Hieronymus epiſt. 27. cap. 6. pag. 178. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 12. §. 16. & alii veteres Patres: recentiores aliqui in monte Olivarum, aut Libano. Caſaubonus Exercitat. 15. §. 18. *Montem, in quo facta eſt Chriſti transformatio, fuiſſe montem Thabor, certum eſt, & ſine cauſſa de eo quidam dubitant, in his Maldonatus. Eſt enim vetuſtiſſima in Eccleſia Traditio, mutationem illam in eo monte factam eſſe.* Vide Eſtium in Epiſt. II. Petri cap. I. 18. & Auguſtinum Calmet in Matth. cap. XVII. 1. & in Marcum cap. IX. 1.

S. Hieronymus in Oſeam cap. 5. pag. 47. *Eſt Thabor mons in Galilæa ſitus in campeſtribus, rotundus atque ſublimis, & ex omni parte finitur æqualiter.* Idem extrema epiſt. 17. pag. 131. vocat *Itabyrium*.

Durandus in Rationali Divin. Offic. lib. 7. cap. 22. *Sequitur de Feſto Transfigurationis Domini, quod eſt in die B. Sixti, non quia tali die Transfiguratio facta ſit, ſed quia tunc ab Apoſtolis, qui ſecum fuerunt in monte, fuit manifeſtata, & publicata, & prædicata. Præceperat enim Dominus, ne alicui dicerent, donec a mortuis reſurrexiſſet. Illi autem uſque ad hanc diem ſuper hoc tacuerunt. Transfigurationem enim conſtat factam fuiſſe circa principium veris, eo ſcilicet die, quo dicitur Evangelium de Transfiguratione, ſcilicet ſecunda hebdomada Quadrageſimæ.* Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 26. num. 8.

Hic vero, ut primum lux tertia fulſit in orbe,
Surrexit, tumulo proſiliitque ſuo.
Diſcipuliſque ſuis Galilææ rurſus in ora
Spectandum ſeſe non ſemel exhibuit.

8. Ede nunc eos verſus, quibus colligit Nazianzenus miracula Chriſti ſecundum Marcum.

℟. *Marcus at Auſoniæ Chriſti miracula genti* Carm.44.
Hæc memorat Petri nixus ſermone, fideque. (18) pag. 103.
Viribus ejicitur Chriſti cum Dæmone febris, tom. 2. Cap. I.
Lepra cadit, paralyſis abit, manus arida tenſa eſt, 31. 40.
Et furor æquoreus cum tempeſtate quieſcit. II. 10.
Victa fugit Legio. (19) *Siccatur vena cruenta.* III. 5. IV.
Tum Jairi natam mediis e faucibus Orci 39. Cap. V. 9.
Extrahit, & luci reddit caroque parenti. 22. 25.
Poſt pelagi rabiem vinxit, ſævaſque per undas Cap. VI.
Incedit ſiccis pedibus. Tum deinde fugato 48. VII.
Dæmone, ſanatur mulier Phœniſſa, deditque 26. 32.
Sidoniis grande hoc facinus, Tyriiſque prophanis,
Hinc ſurdo & muto linguamque aureſque recludit.
Septenis rurſus turbas explevit inanes Cap.
Panibus, & cæco cariſſima lumina reddit: VIII. 6.
Auguſtoque ſuo radios e corpore mittit, (20) 22. IX. 2. 16.

G *Et*

(18) Utpote diſcipulus ejus. Neque ex eo, quod ait Nazianzenus, Marcum ſcripſiſſe Italorum commodo, ſequitur, ipſum, quod rentur aliqui, Latine ſcripſiſſe, non Græce. Nam alioquin illud etiam dicendum eſſet, omnibus linguis ſcripſiſſe Joannem, qui ex eodem Nazianzeno Evangelium ſuum compoſuit uſui futurum mortalibus omnibus. Vide Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam in Matthæo, annotatione 9. & in Marco, Interrogat. 5.

(19) Legio nomen eſt militiæ Romanorum, qui tempore Chriſti Judææ dominabantur. *Una Legio apud veteres ſex millibus complebatur hominum*, ut ait Hieronymus in Matth. cap. 26. pag. 60. quicum ſentit Vegetius de re militari lib. 2. cap. 2. Alii aliter cenſent.

(20) S. Leo ſerm. 94. de Transfiguratione cap. 3. *In*

qua

Et Satana ejecto depellit vincula linguæ.
Cap. X. 46. XI. 13. 21. *Bartimiuſque etiam cæcus Jerichuntis ab urbe*
Amiſſam lucem recipit, fructuque carentem
Omnipotens ficum Chriſtus ſterileſcere juſſit,
Tum juxta Templum cæcis claudiſque medetur. (21)

9. Expone jam quibus verſibus complectitur miracula Chriſti ſecundum Lucam.

Carm. 42. pag. 102. tom. 2. Cap. IV. 33. 38. V. 12. 18. ℞. *Bis ſeptena refert Lucas miracula Chriſti*
Egregium Pauli tutus ob auxilium. (22)
Et febris, & Dæmon, paralyſis, lepraque Chriſto
Ceſſit, & eſt propere mortua tenſa manus.
Centurionis ad hæc famulum jam morte propinqua
Roborat, & natum reſtituit viduæ.
Poſt illam, egregium pedibus quæ infuderat unguen (23)
Abluit,

qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, ut de cordibus diſcipulorum crucis ſcandalum tolleretur: nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas paſſionis, quibus revelata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis. Sed non minore providentia ſpes ſanctæ Eccleſiæ fundabatur, ut totum corpus Chriſti agnoſceret, quali eſſet commutatione donandum, ut ejus ſibi honoris conſortium membra promitterent, qui in capite præfulſiſſet.

(21) Refert id quidem Matthæus cap. XXI. 14. at apud Marcum nulla hujus rei mentio reperitur.

(22) Fuit enim Apoſtolorum, præcipue autem Pauli diſcipulus, quem etiam filium ejus ſpiritualem vocat D. Hieronymus in Eſaiam cap. 65. pag. 221. Vide noſtram Hiſtoriam Apoſtolicam in D. Luca pag. 337.

(23) *Stans*, ut ait Lucas, cap. VII. 38. *retro ſecus pedes ejus* tamquam ſervus. Nam conſueverunt olim ſervi ad pedes dominorum cœnandi cauſſa diſcumbentium ſtare excepturi eorum juſſa. Significat id Seneca de Beneficiis lib. 3. cap. 27. Martialis lib. 3. epigram. 23. Accumbebat autem ad menſam Chriſtus veterum more ſuper lectulo tricliniari aliquantum a terra elevato, facie atque capite ad convivas verſo, & pedibus extrinſecus porrectis, iiſdemque nudis omnino. Depoſuerat enim ſoleas, & quævis alia calceamenta

Abluit, offenſas ſuſtulit atque graves.
Ventorum rabiem ſedat, fluctuſque minaces: Cap. VIII. 24. 30.41.43.
Cogitur & Legio vertere terga fugæ.
Sanguineum ſiſtit fluxum, Jairoque parente
Prognatam mortis faucibus ille rapit:
Hinc homines magno nutrit bonus agmine quinque Cap. IX. 13.29.38. XI. 14. XIII. 11.
Panibus & geminis piſcibus appoſitis.
Emicat auguſto rutilans e corpore fulgor, (24)

G 2 Et

ta juxta conſuetudinem. Vide Balduinum de Calceo antiquo cap. 11. & 26. Julium Nigronum de Caliga cap. 2. §. 34.

Eadem mulier ſerviliter ſe demiſit etiam, cum pedes Chriſti, quos lacrymis rigaverat, capillis derterſit, imo eo demiſſius ſe geſſit, quam ſervi, quod illi, referente Petronio Satyr. extremo cap. 27. editionis Burmanni, ſolerent aliquando capillis manus dominorum abſtergere: abſterſit hæc etiam pedes.

Utrum mulier hæc, quam D Lucas *peccatricem* appellat, & ad pedes Chriſti cœnantis in domo Phariſæi ſtetiſſe narrat, eadem ſit ac Maria Magdalena; itemque eadem ac Maria Lazari & Marthæ ſoror, quæſtio eſt perantiqua & perobſcura, de qua nondum liquet; nec umquam liquebit. Alii arbitrantur, eſſe tres mulieres omnino diverſas, alii duas, alteram Mariam Magdalenam, alteram Mariam Marthæ & Lazari ſororem; nam mulierem peccatricem eamdem eſſe volunt, ac Mariam Magdalenam: alii demum unam tantum. Hanc ſententiam ponit S. Gregorius Magnus in hom. 25. & 33. in Evangelia, hanc poſt ipſum Latini Patres & Scriptores plerique propugnarunt, Latina Eccleſia divino precum Officio inſeruit, & Pariſienſes Theologi anno 1521. V. Idus Novembres defendendam eſſe ſanxerunt tamquam *Evangelio Chriſti, & Eccleſiæ Catholicæ ritui conſentaneam*. Videndus Baronius ad an. 32. §. 17. Michael Maudit diſſertat. XI. in Evangelia, Bollandus ad diem 22. Julii pag. 187. Natalis Alexander in Mantiſſa ad diſſertat. 27. ſæc. 1. & Auguſtinus Calmet diſſertat. in tres Marias, præpoſita Evangelio D. Lucæ, pag. 403.

(24) Unus Lucas cit. cap. IX. 31. indicat, ſermonem habitum in Chriſti Transfiguratione pertinuiſſe ad *exceſſum ejus, quem completurus erat in Hieruſalem, in Cruce videlicet, ac paſſione*, ut explicat S. Chryſoſtomus hom. 62. in Matth. pag. 501.

S. Cy-

Et Satanam a puero cogit inire fugam:
Ac jubet obſeſſa muti decedere lingua;
Afflictumque caput femina prona levat.
Cap. XIV. 2. *Hydropis gravidum pellit de carne tumorem,*
XVII. 12. *Leproſiſque decem diſcutit ipſe luem.*
XVIII. 31. *Dum quoque vicinam tendit Jerichuntis ad Urbem,*
Quaſitam cæco fert miſeratus opem.
XXIII. 33. 34. *Denique, more novo quæ tum ſunt edita, Chriſtum*
XXIV. 6. *Cum duræ affixit perfida turba cruci.*
25. 39. *Utque etiam ad lucem devicta morte reſurgens*
Diſcipulis patuit non ſemel ipſe ſuis.

10. Prome tandem eos verſus, quibus continentur Chriſti miracula ſecundum Joannem.

Carm. 41. ℞. *Joannes Chriſti miracula pauca recenſet:* (25)
pag. 102. *At, quæ divino mortalibus edidit ore,*
tom. 2. Cap. II. *Plurima verba refert. Primum mirabile Cana*
9. IV. 46. *Vendicat, ex liquidis cum vinum expromitur undis.*
V. 8. *Di-*

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 12. §. 16. pag. 170. *Ipſi* (Moyſes, & Elias) *transfigurato præſentes facti in monte Thabor dicebant diſcipulis exitum, quem completurus erat in Hieruſalem.*

Euthymius in Evangelium Matthæi cap. 34. in Bibl. Patrum tom. 19. pag. 547. *Quædam exemplaria non* ἔξοδον, *ideſt exceſſum, ſed* δόξαν, *id eſt Gloriam habent: nam gloria quoque appellatur Crux ipſa.*

(25) S. Chryſoſtomus in Joan. hom. 86. pag. 445. Multa & alia ſigna, *inquit*, fecit Jeſus: *Nam cum pauciora, quam alii, hic meminiſſet Evangeliſta, dicit, neque alios omnes omnia collegiſſe, ſed tantum quæ ad faciendam auditoribus fidem erant neceſſaria.* Nam ſi omnia, *inquit*, ſcriberentur, nec ipſum arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros. *Unde conſtat, non ambitionis, ſed tantum utilitatis gratia ſcripſiſſe: ſiquidem qui plura omiſerunt, quomodo ad ambitionem ſcripſerunt? Sed cur non omnia tranſegerunt? Maxime propter eorum multitudinem: præterea & illud conſiderarunt, quod qui his non crediderit, neque pluribus credet: qui vero hæc acceperit, non indigebit pluribus ad fidem aſſequendam.*

Dixit & extemplo curatur regia proles. (26)
Dixit & ille torum tulit haud ſanatus ab undis. (27)
Panibus hinc quinis ſatiat laudabile vulgus; Cap. VI.
Atque per iratos figit veſtigia fluctus. (28) 9. 19. 20. IX. 1.
Diſcipuloſque ſuos fulcit, ſalvoſque tuetur.
Poſt vero hunc curat, qui matris cæcus ab alvo
Exierat, ſimul ac cæno conſperſit ocellos.
Quarto a morte die devicta morte reſurgit Cap. XI.
Lazarus. (29) *Ipſe etiam pro noſtro crimine Chri*- 17. XIX. 30. XX.
ſtus 9. 14. 19.

 26. XXI. 1.

(26) Vide annotationem 6. ad cap. III. de Magis.

(27) *Neque tantum ſanavit, ſed ut lectum auferat, jubet, ut miraculum crederetur, & nemo falſum, & ſimulatum opinaretur. Niſi enim firmis & robuſtis membris id ferre non potuiſſet. Servat hunc morem ſæpenumero Chriſtus, ut majorem in modum impudentibus ſilentium imponat. Siquidem in quinque panum miraculo, ne quid ſuſpicionis oriretur, non tantum miraculum fecit, ſed voluit, ut multæ fragmentorum reliquiæ ſupereſſent*. (Matth. XIV. 20. XV. 37.) *& mundato lepro*ſo, Vade, *ait*, oſtende te Sacerdoti. (Matth. VIII. 4.) *Simul ut miraculo certam fidem faceret, & calumniantium ipſum legem Dei prævaricare impudentia ora comprimeret: idem in nuptiis fecit. Non enim vinum ſimpliciter oſtendit, ſed ferri architriclino imperavit*. (Joan. II. 8.) *Et cum mortuum ſuſcitavit*: Date, *inquit*, ei manducare, *ut certius reſurrectionis ſignum præberet*. (Luc. VIII. 55.) & S. Chryſoſtomus hom. 36. in Joannem pag. 186.

(28) Auctor Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos apud Juſtinum pag. 491. *Non corporis in ſpiritum mutatione ambulavit Dominus ſuper mare: ſed divina ſua poteſtate impervium ad ambulandum pervium fecit, non ſuo ſolum, ſed etiam Petri corpori*.

S. Hieronymus in Matth. cap. 14. pag. 29. modum utrumque proponit: *Tu præcipe, & illico ſolidabuntur undæ; leve fiet corpus, quod per ſe grave eſt*.

(29) Epiphanius hær. 63. §. 34. *Illud inter Traditiones reperimus, triginta tum annos natum fuiſſe Lazarum, cum a mortuis excitatus eſt. Aque idem ille poſtea triginta aliis annis vixit*. Chryſoſtomus in Joan. hom. 65. pag. 339. *Multa ſi*-

gna

Interit, & vivis rediens ad lumina vitæ
Sæpe ſuos inter fidos verſatur amicos. (30)

11. *Quibus Chriſtus ſalutem corporis, iiſdem ne ſalutem animæ impertivit?*

3. Part. quæſt. 44. art. 3. ad 3. ℞. Habe Doctoris Angelici reſponſum. *Chriſtus miracula faciebat virtute divina:* Dei autem perfecta ſunt opera, *ut dicitur Deuter.* cap. XXXII. 4. *Non eſt autem aliquid perfectum, ſi finem non conſequatur: finis autem exterioris curationis per Chriſtum factæ eſt curatio animæ: & ideo non conveniebat Chriſto, ut alicujus corpus curaret, niſi ejus curaret animam: unde ſuper illud Joan. 7.* Totum hominem ſanum fecit in Sabbato: *dicit Auguſtinus* Tract. 30. in Joan. *quod* curatus eſt, ut ſanus eſſet

gna fecerat Jeſus, ſed nullum ita eos (Judæos) *efferavit. Hoc enim natura admirabilius erat, & poſt multa factum.*

Theophylactus in Joan. cap. 12. pag. 736. *Vide conſequentiam paſſionis. Suſcitavit Lazarum, miraculo hoc maximo omnium ad finem reſervato, propterea multi confluebant & credebant, credentibus multis major naſcebatur invidia.*

Euthymius in Joan. cap. 11. tom. 19. Bibl. Patr. pag. 702. *O maximum ac duplum miraculum! Non ſolum qui jam olebat, reſurrexit, ſed etiam qui obvinctus erat, exivit a monumento.* S. Baſilius hom. de gratiarum actione §. 5. pag. 29. tom. 2. *Jam mortuus revocabatur ad vitam, jam alligatus ambulabat. Ineſt miraculum in miraculo.*

A Chriſto Domino tres mortuos ad vitam revocatos, hoc eſt Archiſynagogi filiam, Viduæ filium, & Lazarum *quatriduanum*, animadvertit S. Irenæus lib. 5. adver. hæreſes cap. 13. S. Auguſtinus plures, quam tres. *Tres mortuos*, ait ſerm. 98. cap. 3. §. 3. *invenimus a Domino reſuſcitatos viſibiliter, millia inviſibiliter. Quot autem mortuos viſibiliter ſuſcitaverit, quis novit? Non enim omnia, quæ fecit, ſcripta ſunt: Joannes hoc dicit:* Multa alia fecit Jeſus, quæ ſi ſcripta eſſent; arbitror totum mundum non poſſe libros capere. *Multi ergo ſunt alii ſine dubio ſuſcitati.*

(30) Miracula Chriſti præcipua, ſeu geſta ejus diviniora narrat etiam Euſebius lib. 3. demonſtrat. Evangelicæ cap. 4. pag. 107.

ſet in corpore, & credidit, ut ſanus eſſet in anima. (31)

12. *Quodnam fuit maximum miraculorum Chriſti?*

℞. D. Hieronymo dubium non eſt, quin maximum, & præclariſſimum omnium miraculorum Chriſti fuerit ejectio vendentium & ementium, itemque nummulariorum e Templo. (32) Sunt Matth. XXI. 12.

(31) Idem Doctor Angelicus ſubjicit e veſtigio: *Specialiter autem paralytico dicitur:* dimittuntur tibi peccata, *quia ut Hieronymus dicit ſuper Matthæum:* datur ex hoc nobis intelligentia, propter peccata pleraſque evenire corporum debilitates. Et ideo forſitan prius dimittuntur peccata, ut, cauſſis debilitatis ablatis, ſanitas reſtituatur. *Unde & Joan. V. dicitur:* Jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Ubi dicit Chryſoſtomus hom.* 37. *in Joan.* Diſcimus, quod ex peccatis nata erat ei ægritudo. *Quamvis autem, ut Chryſoſtomus dicit ſuper Matth. hom.* 30. quanto anima eſt potior corpore, tantum peccatum dimittere majus ſit, quam corpus ſanare: quia tamen illud non eſt manifeſtum, facit minus, ut demonſtret majus, & non manifeſtum.

Maldonatus in Matth. cap. IX. 2. pag. 222. *De pleriſque, non communiter de omnibus ita credendum. Nam Malchum illum ſervum Pontificis, cui Petrus auriculam abſciderat, a Chriſto ſanatum legimus, juſtificatum non credimus.* Joan. XVIII. 10. *Non enim fide ſua, ſed Chriſti benignitate, qui nolebat arundinem quaſſatam confringere, ſanatus eſt. Ceteros vero, qui fide curati ſunt, non ſola, ſed eadem tamen fide, quę corpore ſanati ſunt, animo etiam credimus eſſe ſanatos.*

(32) Hoc eſt ex atrio Templi, quod Atrium *Gentium* appellabatur, & omnibus patebat. Facinus autem hoc mirabile edidit Chriſtus die Lunæ poſt Dominicam Palmarum, decimo menſis Niſan, primo & viceſimo Martii, quarto ante mortem.

S. Chryſoſtomus hom. 22. in Joan. pag. 117. docet ementes, & vendentes bis a Chriſto ejectos e Templo: *Semel in operum ſuorum initio,* ut Joannes cap. II. 14. narrat; iterum *paſſionis tempore appropinquante: quare vehementiori caſtigatione uſus latronum ſpeluncam appellavit,* quemadmodum

hæc verba ejus ex commentario in Evangelium
Pag. 44. Matthæi cap. 21. *Plerique arbitrantur, maximum eſſe ſignorum, quod Lazarus ſuſcitatus eſt, quod cæcus ex utero lumen acceperit, quod ad Jordanem vox audita ſit Patris, quod transfiguratus in monte gloriam oſtend rit triumphantis. Mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod unus homo, & illo tempore contemtibilis, & in tantum vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis, & Phariſæis contra ſe ſævientibus, & videntibus lucra deſtrui ſua, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, menſaſque ſubvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam & ſidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majeſtas lucebat in facie.* (33)

CAP.

Matthæus cap. XXI. 12. Marcus XI. 15. Lucas XIX. 45. memorant. Eamdem ſententiam poſuit Chryſoſtomus hom. 68. in Matthæum pag. 588.

(33) D. Thomas 3. part. quæſt. 44. art. 3. ſtatim poſt recitata verba D. Hieronymi: *Et Origenes dicit ſuper Joan. tract. 11. hoc eſſe majus miraculum eo, quo aqua converſa eſt in vinum, eo quod* illic inanimata ſubſiſtit materia, hic vero tot millium hominum domantur ingenia. *Et ſuper illud Joan.* 18. Abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram, *dicit Auguſtinus Tract.* 112. *in Joan.* Vox una tantam turbam odiis ferocem, armiſque terribilem ſine telo ullo percuſſit, repulit, ſtravit. Deus enim latebat in carne. *Et ad idem pertinet quod dicitur Luc.* 4. *quod* Jeſus tranſiens per medium illorum ibat. *Ubi dicit Chryſoſtomus* (*hom.* 47. *in Joan.*) *quod* ſtare in medio inſidiantium, & non apprehendi, divinitatis eminentiam oſtendebat. *Et quod dicitur Joan.* 8. Jeſus abſcondit ſe, & exivit de Templo: *Ubi Theophylactus dicit:* Non abſcondit ſe in angulo templi quaſi timens, vel poſt murum, aut columnam divertens; ſed divina poteſtate ſe inviſibilem inſidiantibus conſtituens per medium illorum exivit. Ex *quibus omnibus patet, quod Chriſtus quando voluit, virtute divina, animas hominum immutavit, non ſolum juſtificando & ſapientiam infundendo, quod pertinet ad miraculorum finem, ſed etiam exterius alliciendo, vel terrendo, vel ſtupefaciendo, quod pertinet ad ipſa miracula.*

CAP. XI.

De Prædicatione Chriſti.

1. *Quandonam Chriſtus prædicare cœpit?*

℟. CHriſtus Dominus prædicare cœpit doctrinam ſuam anno ætatis 31. poſtquam Joannes Baptiſta juſſu Herodis Antipæ conjectus eſt in carcerem. S. Marcus cap. I. 14. *Poſtquam autem traditus eſt Joannes, venit Jeſus in Galilæam prædicans Evangelium Regni Dei.* S. Matthæus cap. IV. 12. 17. *Cum autem audiſſet Jeſus, quod Joannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam, & relicta Civitate Nazareth venit & habitavit in Capharnaum: Exinde cœpit Jeſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cælorum.* S. Chryſoſtomus hom. 14. in Matthæum: Exinde *quando ſignificat? Ex quo ſcilicet tempore Joannes in carcere incluſus eſt. Cur autem non ab initio ſtatim eis prædicavit?* inter ceteras hanc quoque rationem affert: *Propterea nec prædicat, antequam Joannes, nec mirabilia operatus eſt, quoadusque ille incideret in vincula, ne hac exiſtente cauſſa magna pars populi ſcinderetur. Idcirco nec aliquando ſignum fecit Joannes, ut ex hoc quoque multitudinem traderet Chriſto, quæ ad eum ſignorum admiratione confluerent.* S. Hieronymus in commentario ad recitatum locum D. Matthæi: *Joanne tradito, recte ipſe incipit prædicare, deſinente Lege, conſequenter oritur Evangelium.* (1) Cum autem dicitur

[Margin: Bar. ad an. 31. §. 44. — Pag. 128. — Pag. 5.]

(1) Florentinius in Martyrologium Hieronymianum die 1. Maji pag. 476. ex vetuſtis Martyrologiis obſervat, *Eccleſiam Occidentalem ſolemni memoria ejuſdem Prædicationis ini-*

tur Chriſtus, *Joanne tradito* in cuſtodiam, prædicare cœpiſſe, intelligi volumus, ipſum tunc prædicare cœpiſſe publice. Nam privatim paullo ante docuerat diſcipulos, qui ipſum ſecuti fuerant, & eos, quos per diſcipulos baptizaverat in Judæa, Nicodemum, & Samaritanos, qui, ut ait Joannes Evangeliſta, *crediderunt in eum propter ſermonem ejus*. (2)

Joan. I. II. III. IV. 14.

2. *Ubi prædicavit?*

Luc. XXIII. 5.

℟. *Per univerſam Judæam incipiens a Galilæa*, (3) ubi educatus fuerat in Urbe Nazareth, ad quam poſt ſuſceptum a Joanne baptiſmum, actumque in deſerto quadraginta dierum jejunium rediit, ut eſt in Evangelio D. Lucæ. Sed cum Nazareni doctrinam ejus aſpernarentur, ac reſpuerent, *deſcendit in Capharnaum Civitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis*. *Exinde*, referente S. Matthæo, *circumibat totam Galilæam*. Porro Chriſtum Dominum ex Judæa non exceſſiſſe docendo, nec

Cap. IV. 16. 31.

Cap. IV. 17. 23.

initium antiquitus recoluiſſe, non diſſimili ratione ab ea, quæ initium ſignorum in Cana Galilææ ſub Epiphaniorum nomine celebrabat. Conſonant Notkerus & Vvandelbertus: his verbis ille: Kal. Maji Pauſatio Hieremiæ Prophetæ. Initium prædicationis Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Alter hoc carmine*:

Majas prima ſacrat Chriſti doctrina Kalendas.

(2) D. Thomas in Matth. c. 4. pag. 13. *Vel* exinde, *id eſt poſt incarcerationem Joannis, incepit publice prædicare. Prius enim occulte & quibuſdam, Joan.* 1. *ſcilicet Petro, Andreæ, Philippo, & Natanael: ſed hic publice. Noluit autem primo prædicare publice, ut daret locum prædicationi Joannis: aliter nihil valuiſſet, ſicut lumen ſtellarum offuſcatur per lumen ſolis*. Idem docet Salianus in Annalibus Eccleſiaſticis Veteris Teſtamenti ad annum Mundi 4084. §. 1. & Melchior Canus lib. 11. cap. 5. in reſponſione ad 6. Vide Actorum Apoſtolicorum cap. I. 22. & X. 37.

(3) Univerſæ Judææ nomine intelligitur Herodis regnum in tres Tetrarchias diviſum, ut ſupra dixi poſtremo capite quarto.

nec Gentibus Evangelium prædicaſſe, ſignificant verba ejus apud Matthæum: *Non ſum miſſus, ni- ſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael:* quorum verborum hæc eſt D. Auguſtini interpretatio tract. 47. in Joan. §. 4. *Quid eſt ergo*, Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael, *niſi quia præſentiam ſuam corporalem non exhibuit niſi populo Iſrael? Ad gentes non perrexit ipſe, ſed miſit: ad populum vero Iſrael & miſit, & venit ipſe*. (4) Conceſſit quidem Chriſtus in partes Tyri, & Sidonis, non tamen ut ibi prædicaret. (5) Nihilominus venientes ad ſe Gentiles in Galilæa, & Judæa docens admiſit, quemadmodum intelligi poteſt ex Matth. cap. IV. 25. Marc. cap III. 7. 8. & Luc. cap. VI. 17. 18. *Quemadmodum enim*, ut ait S. Chryſoſtomus hom. 53. in Matth. *rerum conſequentia poſtulabat, ne ad Gentes primum proficiſceretur, ſic non erat humanitatis ultro venientes repellere*. (6)

Cap. XV. 21. 24.

Pag. 446.

3. *Quam*

(4) S. Hieronymus in Matth. cap. 15. pag. 31. docet, idcirco Dominum ne verbum quidem Cananææ mulieri *a finibus Tyri, & Sidonis egreſſæ* reſpondiſſe, *ne ipſe ſententiæ ſuæ videretur eſſe contrarius, per quam juſſerat* (Matth. X. 5.) in viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis. *Nolebat occaſionem calumniantibus dare, perfectamque ſalutem gentium paſſionis & reſurrectionis tempori ſervabat*.

(5) S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 53. pag. 466. *Si quiſpiam dixerit: Et quonam modo, cum diſcipulis injunxerit dicens*: In viam gentium ne abieritis, *ille ipſe abiit? Primum illud adducemus, quia non tenebatur ipſe, quæ diſcipulis ſervanda præcepit, omnino ſervare: Deinde quia non ut prædicaturus illuc acceſſit, quod denotavit Marcus dicens* (Marc. 7. 24.) quoniam & occultavit ſe ipſum, & non latuit. Theophylactus in Matth. cap. 15. pag. 88. *Quare diſcipulos prohibuit ire in viam Gentium, ipſe autem in Tyrum, & Sidonem Gentilium civitates ivit? Diſce igitur, quod non ut prædicaturus ivit illuc, quia, ut Marcus dicit*, & occultavit ſe.

(6) Idem S. Chryſoſtomus in Joan. hom. 30. pag. 159.

Si

3. *Quam præſertim Urbem tempore prædicationis incoluit?*

Matth. IV. 13. ℟. Capharnaum urbem maritimam ad ſeptemtrionalem oram maris Galilææ, & Tiberiadis, ſeu lacus Geneſareth collocatam eo in loco, ubi Jordanis influit in mare; (7) quæ Urbs, ut ait S. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 25. §. 58. *ita excellebat in Galilæa, ut tamquam metropolis haberetur*. Conſtat autem, Dominum

Cap. IX. 1. adeo frequenter in ea commoratum, ut Matthæus illam appellarit Civitatem ejus. (8) Quod autem illic potius, quam in aliis Galilææ urbibus diutiſſime habitaverit, ea ratio afferri ſolet, quia *frequentior illuc eſſet acceſſus hominum*, inquit

Ad an. 31. §. 56. Baronius, *cum tam hi, qui Tranſamnanam habitarent regionem, quam ceteri e longinquo mercaturæ cauſſa eo confluerent*.

4. Un-

Si qui accedebant, non prohibebat. Iſtud enim diſcipulis dixerat: In civitatem Samaritanorum ne intraveritis, *non tamen ut ultro accedentes repellerent. Id enim quam indigniſſimum erat ejus humanitate*.

(7) Bernardus Lamy, & Auguſtinus Calmet Urbem hanc ponunt ad ripam lacus occidentalem.

(8) S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 30. pag. 289. *Propriam hic civitatem ejus Capharnaum appellavit. Bethleem enim ipſum tulit, Nazareth educavit, ſed Capharnaum perpetuum ipſius erat habitaculum*, unde ſemel tantum reverſum eſſe in patriam ſuam Nazareth; ibique magna omnium admiratione in Synagoga docuiſſe, tradiderunt Matthæus cap. XIII. 54. & Lucas cap. IV. 16. Vide extremam annotationem 1. ad cap. VI. pag. 67.

Theophylactus in Marcum cap. XIV. 14. pag. 270. & 271. *Manifeſtum eſt, Chriſtum non habuiſſe proprium diverſorium, nec diſcipulos habuiſſe domum propriam. Nam ſi habuiſſent, illic eum ſuſcepiſſent. Mittit autem duos e diſcipulis ſuis Petrum & Joannem, ſicut & Lucas inquit, ad hominem ignotum, oſtendens illis, quod poſſet non pati. Qui enim mentem hominis ignoti conciliare ſibi poterat, ut ſe exciperet, quid non feciſſet in aliis?*

4. *Unde prædicationem ſuam auſpicatus eſt?*

℞. *Inde*, inquit auctor Operis imperfecti, in Matth. hom. 6. *prædicationis ſuæ ſumſit initium, quod prædicare conſuetus erat Joannes:* Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cælorum: *non ut conculcet Joannis doctrinam, ſed ut magis confirmet.* Eadem ſententia S. Chryſoſtomus hom. 14. in eumdem Matthæum: *Cumque cœpiſſet, illud prædicavit in primis, quod certe docuerat & Joannes. Et necdum interim de ſe aliquid memorat, ſed prædicationem, quam prædicaverat ille, confirmat.* Idcirco autem initio prædicationis ſuæ ſtatim pœnitentiam indixit, quia, ut eſt in Evangelio Matthæi cap. IX. 13. *Non venerat vocare juſtos, ſed peccatores: Ut ſcilicet nullus magnus ſuperbiret, nullus infirmus deſperaret*, quemadmodum docet S. Auguſtinus ſerm. 200. cap. 3. §. 4. Pag. 799. Matth. III. 2. Pag. 129.

5. *Quibus diebus, & quibus in locis prædicavit?*

℞. Sabbatis ſæpiſſime prædicavit *in Templo, quo omnes Judæi conveniebant*, (9) & in Synagogis, quæ erant in urbibus, & vicis frequentioribus. (10) Neque mirum eſt, Chriſto permiſſum fuiſſe in Matth. IV. 23. Marc. I. 21. Luc. IV. 15. 31.

(9) Matth. cap. XXVI. 55. *Quotidie apud vos ſedebam docens in Templo.* Joann. XVIII. 20. *Ego ſemper docui in Synagoga & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt.*

(10) *Sed quandoque Chriſtus ſolitaria loca quærebat, turbas declinans:* ait D. Thomas 3. part. quæſt. 40. art. 1. *Unde Remigius dicit ſuper Matthæum:* Tria refugia legitur Dominus habuiſſe, navim, montem, & deſertum, ad quorum alterum, quotieſcumque a turbis comprimebatur, conſcendebat..... *Et ideo ut daret exemplum prædicatoribus, quod non ſemper ſe darent in publicum, ideo quandoque Dominus ſe a turbis retraxit. Quod quidem legitur feciſſe propter tria. Quandoque quidem propter corporalem quietem: unde*

in Synagogis ad populum verba facere. Nam conſueviſſe honorem hujuſmodi ab Synagogæ Principibus deferri viris gravibus & eruditis, apparet
Cap. ex Actis Apoſtolorum. Id quod animadvertit e-
XIII. 15. tiam Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem cap.
& XVII. 7. *Sed etſi paſſim Synagoga adiretur, non tamen ad*
2. *docendum, niſi ab optime cognito, & explorato, & probato jam pridem in hoc ipſum, vel aliunde commendato cum hoc munere*, (11) Quis autem cum Chriſto in docendi munere comparandus?

6. Ele-

de Marc. 6. dicitur, quod Dominus dixit diſcipulis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum: Erant enim qui veniebant & redibant, multi, & nec ſpatium manducandi habebant. *Quandoque vero cauſſa orationis: Unde dicitur Luc. 6.* Factum eſt in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. *Ubi ait Ambroſius*, quod ad præcepta virtutum ſuo nos informat exemplo. *Quandoque vero ut doceret favorem humanum vitare: Unde ſuper illud Matth. 5.* Videns Jeſus turbas aſcendit in montem: *dicit Chryſoſtomus*: Per hoc quod non in civitate, & foro, ſed in monte, & ſolitudine fecit, erudivit nos, nihil ad oſtentationem facere, & tumultibus abſcedere, & maxime cum de neceſſariis diſputare oportet.

Suidas in Lexico verbo Ἰησοῦς, *Jeſus*: *Invenimus*, Joſephum, *qui excidium Hieroſolymitanum deſcripſit, in commentariis ſuis de bello Judaico aperte dicere, Jeſum in Templo cum Sacerdotibus ſacra feciſſe*. Verum, ut annotavit Ludolphus Kuſterus, hodie in libris de bello Judaico nihil tale legitur de Chriſto Jeſu. Mentio quidem fit nonnullorum Sacerdotum, quibus nomen Jeſus fuit, ſed ii a Salvatore noſtro longe diverſi fuerunt.

(11) Manſit hic mos aliquandiu in Eccleſia, ut Epiſcoporum conceſſu viri docti etiam laici ſacras ad plebem conciones haberent. Probat id Origenis, & aliorum exemplo Euſebius lib. 6. cap. 19. At S. Leo epiſt. 92. alias 62. cap. 6. ſcribit Maximo Antiocheno cavendum eſſe, *ut præter eos, qui ſunt Domini Sacerdotes, nullus ſibi docendi & prædicandi jus audeat vindicare, ſive ille monachus, ſive ſit laicus, qui alicujus ſcientiæ nomine glorietur*. Vide Baronium ad annum 230. §. 3. ad an. 453. §. 30.

6. Elegit ne aliquos doctrinæ ſuæ teſtes, & prædicationis adjutores?

℞. *Prædicante Domino noſtro Jeſu Chriſto Evangelium Regni, & diverſos per totam Galilæam curante languores, in omnem ſe Syriam virtutum ejus fama diffuderat, & multæ ex univerſa Judæa turbæ ad cæleſtem medicum confluebant.* (12) Ut his conſuleret anno prædicationis altero, ætatis ſuæ 32. poſt fuſas per noctem totam ad Deum preces mane ex multis diſcipulis ſibi adjutores elegit duodecim Apoſtolos, qui duodecim fundamenta Eccleſiæ appellantur in Litteris Sacris; (13) & anno inſequente duos & ſeptuaginta diſcipulos: hos binos ad prædicandum miſit, illos retinuit apud ſe, tum ut eſſent teſtes vitæ ſuæ, ſibique præſto eſſent; tum ut ab ſeſe diſcerent rationem Evangelii prædicandi, & orbem totum tali modo ſubigendi. Decreverat enim illos poſt mortem & reſurrectionem ſuam tamquam legatos ad nationes omnes mittere, facta eiſdem poteſtate ægros ſanandi, Dæmones expellendi, & miracula quantumvis ingentia perpetrandi. Hinc *miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roboravit religionem, quam non ſolum hæreticorum ineptiſſima novitas fraudibus agens, ſed nec gentium quidem veternoſus error violenter adverſans aliqua ex parte convelleret.* (14)

Matth. IV. 23. 24.

Matth. X. 1. Marc. III. 13. Luc. VI. 13. X. 1. Apocal. XXI. 14.

7. Tra-

(12) S. Leo ferm. 95. cap. 1. pag. 181. tom. 1.

(13) S. Ambroſius in Luc. lib. 5. cap. 6. pag. 83. *Chriſtus miſſurus Apoſtolos, oravit prius, & ſolus oravit. Nec uſquam alibi, ſi non fallor, oraſſe cum Apoſtolis reperitur: ubique ſolus obſecrat.*

(14) S. Auguſtinus in libro de utilitate credendi, extremo cap. 14. §. 32.

Eu-

7. *Tradidit ne diſcipulis aliquam orandi formulam?*

Matth. VI. 9. ℟. Utique. Rogatus enim ab uno ex illis: *Domine, doce nos orare, ſicut docuit & Joannes diſci-*
Luc. XI. 1. *pulos ſuos*, præſcripſit eis divinam illam orandi
Bar. ad an. 32. §. 14. formulam, quæ a Tertulliano *Breviarium totius Evangelii*, a S. Cypriano *Cœleſtis doctrinæ compendium*, ab omnibus *Oratio Dominica* nuncupatur,
De Orat. cap. 2. præſtantiſſima, & perfectiſſima omnium precatio-
De Orat. Dominica pag. 417. num. *Nam*, ut ait S. Auguſtinus epiſt. 130. cap. 12. §. 22. *qualibet verba dicamus, quæ affectus orantis vel præcedendo format, ut clareat, vel conſequendo attendit, ut creſcat; nihil aliud dicimus, quam quod in iſta Dominica oratione poſitum eſt, ſi recte & conſequenter oramus:.... Unde liberum eſt aliis, atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere, ſed non debet eſſe liberum alia dicere.* (15) Nec ſolum orandi formulam diſcipulis tradidit, ſed

Euſebius lib. 3. Demonſtrat. Evang. cap. 4. pag. 109. *Iiſdem cum præcepta quoque de rebus agendis tradidiſſet, eoſdem apud omnes gentes ſupremæ religionis doctores declaravit.* Plura de Apoſtolis, & aliqua de duobus & ſeptuaginta diſcipulis legi poſſunt in noſtra Hiſtoria Apoſtolica.

(15) S. Cyprianus de Orat. Dominica pag. 415. *Quæ poteſt eſſe magis ſpiritalis oratio, quam quæ a Chriſto nobis data eſt, a quo nobis & Spiritus Sanctus miſſus eſt? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui eſt veritas, de ejus ore prolata eſt?.... Agnoſcat Pater filii ſui verba, cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipſe ſit & in voce. Et cum ipſum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis noſtris, quando peccatores pro delictis noſtris petimus, advocati noſtri verba promamus. Nam cum dicat, quia* quodcumque petierimus a Patre in nomine ejus, dabit nobis, *quanto efficacius impetramus, quod petimus in Chriſti nomine, ſi petamus ipſius oratione?*

S. Petrus Chryſologus ſerm. 70. *Orandi thema, materiam petendi, ſupplicandi normam pauciſſimis in verbis ipſe tibi, qui tibi eſt exorandus, indulſit; ut ex hoc tu petendi ſumas ſen-*

ſed ipſe ad precandum documento fuit & exemplo : quandoquidem in oratione ita frequenter verſabatur, ut in ea etiam pernoctaret. (16) Luc. VI. 12.

8. *Præter diſcipulos etiam ne feminæ ſecutæ ſunt Chriſtum prædicantem?*

℞. Secutæ ſunt *multæ* , *quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. In earum numero fuerunt Maria Magdalena , ex qua Chriſtus ſeptem Dæmonia ejecerat ; Maria mater Jacobi , & Joſeph, quam materteram Chriſti , ac ſororem Mariæ Vir- Matth. XXVII. 16. Luc. VIII. 2. 3. Pag. 65.

H gi-

ſenſum, intellectum poſtulandi capias, menſuram capias impetrandi.

S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 71. §. 19. *De quotidianis brevibus levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio ſatisfacit. Eorum eſt enim dicere*, Pater noſter, qui es in Cælis, *qui jam Patri tali regenerati ſunt* ex aqua & Spiritu . *Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata*. Vide D. Thomam 1. 2. quæſt. 74. art. 8. 6. & 2. 2. quæſt. 83. art. 9.

(16) S. Ambroſius in Lucam cap. 6. §. 43. pag. 1366. *Species tibi datur, forma præſcribitur , quam debeas æmulari. Quid enim te pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat? Quid te facere convenit , cum vis aliquod pietatis officium adoriri, quando Chriſtus miſſurus Apoſtolos, oravit prius, & ſolus oravit? Nec uſquam alibi, ſi non fallor, oraſſe cum Apoſtolis reperitur: ubique ſolus obſecrat.*

Pouget tom. 2. Inſtitut. Catholic. ſect. 2. cap. 1. §. 2. pag. 521. *Non agebat quidquam , non ſuſcipiebat quidquam niſi præmiſſa oratione. Oravit in Templo*. Luc. XIX. 47. *Oravit in deſerto*. Marc. I. 35. Luc. V. 16. *Oravit in montibus*. Matth. XIV. 23. Luc. VI. 12. *Oravit privatis in domibus* . Matth. XIX. 13. Luc. XI. 1. *Oravit ante diſcipulorum electionem*. Luc. VI. 12. *Oravit ante quælibet miracula*. Matth. XIV. 19. Joan. VI. 11. *Oravit poſt Baptiſmum, oravit ante Transfigurationem*. Luc. III. 21. IX. 28. *Oravit in horto*. Matth. XXVI. 36. 39. 42. 44. *Ubi , quando non oravit?*

Idem in annotat. *Non veriſimile eſt, Chriſtum , qui ante* cœpit facere, *quam docere, ut ait* Luc. Act. I. 1. *numquam clauſo cubiculi oſtio oraſſe, cum* Matth. VI. 6. *id expreſſe diſcipulis ſuis præceperit.*

ginis facit S. Hieronymus in Matth. cap. 27. mater filiorum Zebedæi, quæ Salome dicitur a
Cap. XV. 40. S. Marco; Joanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis; & Suſanna. Nempe, ut ait idem S. Hie-
Bar. ad an. 32. §. 31. ronymus, *conſuetudinis Judaicæ fuit (nec ducebatur in culpam more gentis antiquo) ut mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent*. (17)

9. Paſſus ne eſt adverſarios tempore prædicationis?

Bar. ad an. 31. §. 78. ℟. Anno primo, quem *acceptabilem* fore prædixerat Eſaias cap. LXI. 2. prædicavit approbantibus univerſis, nemine Judæorum, aut Gentilium, aut Samaritanorum repugnante; imo omnibus prædicantem audientibus perlibenter. (18) At ſecundo

(17) Idem Doctor maximus eodem loco: *Miniſtrabant Domino de ſubſtantia ſua, ut meteret earum carnalia, cujus illæ metebant ſpiritualia. Non quod indigeret cibis Dominus creaturarum, ſed ut typum oſtenderet magiſtrorum: quod victu, atque veſtitu ex diſcipulis deberent eſſe contenti.*

(18) Hunc fortaſſe annum intelligunt Clemens Alexandrinus, & Origenes, cum aſſerunt, Chriſtum unius tantum anni ſpatio prædicaſſe. Clemens lib. 1. Strom. pag. 340. *Erat Jeſus veniens ad baptiſma quaſi triginta annorum. Et quod anno ſolo oporteret eum prædicare, hoc quoque ſic ſcriptum eſt:* Annum acceptabilem Domini prædicatum miſit me. Origenes hom. 32. in Lucam pag. 242. *Juxta ſimplicem intelligentiam ajunt, uno anno Salvatorem in Judæa Evangelium prædicaſſe, & hoc eſſe, quod dicitur*: Prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et lib. 4. de principiis §. 5. pag. 160. *Annum, & menſes aliquot docuit.* Legenda annotatio poſtrema cap. XVI.

Idem S. Clemens lib. VI. Strom. pag. 637. *Prædicavit Dominus iis quoque, qui erant apud inferos.* Id, quod docuerunt etiam alii ex antiquis Patribus ſecuti verba illa D. Petri epiſt. I. cap. III. 19. *Et his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit.* Horum Patrum teſtimonia ſatis multa legere licet in Spenceri annotationibus ad Origenis lib. 2. contra Celſum pag. 85. edit. Cantabrig. & apud

do prædicationis anno quam plurimos habuit obtrectatores. Ita narrat S. Epiphanius hær. 20. §. 2. & hær. 51. §. 25. Anno autem tertio quos, Pag. 48. & quam graves adverſarios & calumniatores paſ- Pag. 447. ſus ſit; nemo ignorat. Nam Judæi tam pertinaciter infenſi Chriſto fuerunt, tamque crudeliter inimici, ut Pontium Pilatum, qui Tiberii Cæſaris juſſu Judæorum provinciam tunc adminiſtrabat, ad mortem illi inferendam; qua calumniis, qua minis, qua clamoribus vel invitum adegerint.

10. *Quales fuerunt ejus ſermones; & quis omnium præſtantiſſimus?*

℟. Βραχεῖς δὲ σύντομοι παρ' αὐτοῦ λόγοι γεγόνασιν: *Breves & conciſi ab eo ſermones fiebant*, ait S. Justinus Apologia I. §. 14. pag. 52. (19) Præſtantiſſimus omnium eſt ille; quem initio prædicationis habuit in monte docendi cauſſa diſcipulos ſuos, ſicut legimus in Evangelio Matthæi cap. 5. 6. & 7. (20) Hunc enim *ſi quis pie, ſobrieque conſide-* Bar. ad an. 32. §. 10.

pud Cotelerium in Hermæ Paſtorem lib. 3. ſimilitudine 9. §. 16. apud Bellarminum lib. 4. De Chriſto cap. 13. D. Thomas 3. part. quæſt. 52. art. 2. ad 3. *Ipſa prædicatio nihil aliud intelligi poteſt, quam manifeſtatio divinitatis ejus, quæ manifeſtata eſt infernalibus per virtuoſum deſcenſum Chriſti ad inferos*. Lege S. Auguſtini epiſtolam 164. alias 99.

(19) Arnobius lib. 1. adverſus Gentes pag. 27. *Unus fuit è nobis, qui, cum unam emitteret vocem, ab diverſis populis, & diſſona oratione loquentibus familiaribus verborum ſonis, & ſuo cuique utens exiſtimabatur eloquio*. Quod ſi ita eſt, quomodo potuit Melchior Inchofer in Hiſtoria Sacræ Latinitatis pag. 230. affirmare non eſſe dubitandum, quin Dominus Latine interrogatus a Pilato Latine reſponderit?

S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 48. pag. 429. *Nonnunquam condeſcendens ipſis craſſius, ut ita dixerim, nonnunquam, ut res petit, ſublimius loquitur*.

(20) Nonnulli, referente D. Hieronymo in Matthæum cap. 5. pag. 5. putant, hunc fuiſſe montem Oliveti prope Hie-

ſideraverit, *puto*, *quod inveniet in eo*, *quantum ad mores optimos pertinet*, *perfectum vitæ Chriſtianæ modum*. *Nam ſic ipſe ſermo concluditur*, *ut appareat*, *omnibus præceptis*, *quibus Chriſtiana vita informatur*, *eſſe perfectum*, ut loquirur S. Auguſtinus. (21)

11. *Quamdiu prædicavit?*

℞. Varia admodum & inter ſe diſcrepantia de tempore prædicationis Chriſti veteres tradiderunt, ut legitur in Annalibus Baronii ad an. 34. §. 144. Eos maxime probari video, qui dicunt, Chriſtum Dominum tres circiter annos in cæleſtem doctrinam evulgandam inſumſiſſe. Eſt in horum numero S. Ignatius Martyr in epiſt. ad Trallianos ſcribens, Chriſtum *per triennium prædicaſſe Evangelium*. Eſt etiam Euſebius, qui ita

Pag. 400. ſcribit lib. 8. Demonſtrationis Evangelicæ: *Proditum eſt memoriæ*, *omne doctrinæ eruditioniſque miraculorum tempus trium annorum*, *& ſemis fuiſſe: quod quidem eſt hebdomadis unius dimidium*. Et lib. 1. Hiſt. Eccl. extremo cap. 10. aſſerit, *univerſum prædicationis Dominicæ tempus non totos quatuor annos complecti*. Suffragatur eidem ſententiæ Au-

Bibl. Patr. tom. 12. pag. 929. ctor Chronici Alexandrini his verbis: *Jeſus Chriſtus Dei filius*, *cum tribus annis*, *& ſeptuaginta ſex diebus poſt baptiſmum diſcipulis ſuis ſalutaria & divina præcepta vivendi tradidiſſet*, *& vaticinia*

Hieroſolymam: ipſe tamen magis credit, fuiſſe Thaborem, vel alium montem excelſum in Galilæa. Adricomius pag. 111. num. 9. & alii, qui Terram Sanctam deſcribunt, vocant montem Chriſti, quod in eo Chriſtus ſolitus fuerit orare, & prædicare. Abeſt ab Urbe Capharnao tria millia paſſuum in Occidentem.

(21) Cap. 1. lib. 1. de ſermone Domini in monte, quem duobus libris exponit; quod breviter exequitur etiam S. Leo ſerm. 95.

nia Prophetarum de ſe explicaſſet; *ad crucem tranſiit*. Tres vero iſtos annos Baronius numerat a Paſcha anni 31. uſque ad Paſcha anni 34. ætatis ejus. (22) Contendit enim, illum poſt ſuſceptum a Joanne baptiſmum quater Paſcha celebraſſe.

12. *Quo anno prædicationis contigit triumphalis ejus introitus in Urbem Hieroſolymam, & qualis fuit?*

℞. Contigit anno poſtremo, die ante mortem ejus quinto, Martii vigeſimo, primo Hebdomadæ, qui nobis nunc Dominicus eſt. Id colligi poteſt ex Evangelio Joannis, in quo legitur, Chriſtus veniſſe Bethaniam die ſexto antequam ultimum Paſcha celebraret, ac poſtridie triumphantis in morem Hieroſolymam intraſſe. Nam eo anno Paſcha celebratum eſt die Jovis ad veſperam. Sex igitur dies ante Paſcha fuerunt Sabbatum, dies Dominicus, feria ſecunda, tertia, quarta, quinta. Chriſtus igitur Sabbato, quo die ramos arborum præcidere minime licuiſſet, Bethaniæ manſit, & die inſequente Hieroſolymam ingreſſus eſt. Nam ſummo mane Bethania decedens cum ad Bethphage, *qui erat ſitus in monte Oliveti*, (23) ve-

Bar. ad an. 34. §. 5.
Cap. XII. 1. 12.

(22) Baronii verba ſunt hæc in Annalibus ad an. Ch. 31. §. 43. *Sic quemque annum prædicationis Chriſti uſque ad ejus paſſionem a Paſchate auſpicari, & in ſequens Paſcha producere conſultius viſum eſt, quam a Kalendis Januarii inchoantes, quid certo ſuo quoque anno ſit factum, divinare.* Vide Ricciolium tom. 1. Chronologiæ Reformatæ lib. 8. cap. 7. §. 3. & Schelſtratum tom. 1. Antiquitatis Eccleſiæ illuſtratæ diſſertat. 1. cap. 3. art. 2.

(23) S. Hieronymus in Matthæum cap. 21. pag. 43. Judæi, referente Auguſtino Calmet in Marcum cap. XI. 1. dicunt, Bethphage æque ſacram eſſe, ac Hieruſalem, ibique coqui ſolitos panes, qui offerebantur in Templo.

Digitized by Google

Matth. XXI. 1. Marc. XI. 1. XIX. 29. veniſſet, eo miſit duos diſcipulos, (24) qui inde aſinam & pullum ad ſe adducerent, juſſos dicere eorum dominis, (25) ſi prohiberent, Domino his opus eſſe. Dictis obtemperatum. Aſino palliis diſcipulorum exornato Chriſtus inſedit, (26) vectuſque per vias qua veſtibus, qua ramis palma-
Joan. XII. 13. rum, & olivarum ſtratas, (27) a populo gratulan-

(24) Hos fuiſſe Petrum, & Joannem, volunt aliqui: quod hi duo apud Lucam cap. XXII. 8. legantur miſſi ad parandum Paſcha. Alii malunt, fuiſſe Petrum & Philippum, & utuntur auctoribus S. Hilario Pictavienſi, Beda, & Scriptore Operis imperfecti.

(25) Hinc audiendi non ſunt, qui dicunt, aſinam fuiſſe juris publici, expoſitamque ad uſus pauperum, qui iter facerent.

(26) Sanctus Hieronymus damnat eorum opinionem, qui putant, Salvatorem modo aſinæ, modo pullo inſediſſe. En locus ex commentario in Matthæum cap. 21. pag. 43. *Nunc ſtringendum breviter, quod ſecundum litteram in parvo itineris ſpatio ſuper utrumque animal ſedere non quiverit. Aut enim ſedit aſinæ, & pullus abſque ſeſſore fuit; aut ſi pullo, quod magis competit, uſus eſt ad ſedendum, aſina ducta eſt libera.* Primis Reipublicæ Hebræorum temporibus equos non adhibitos, & primores viros aſinis & mulis uſos, docet Lambertinus De Feſtis D. N. Jeſu Chriſti part. 1. n. 106.

(27) Idem S. Hieronymus verba hæc Matthæi, *Alii autem cædebant ramos de arboribus*, explanans, *De arboribus*, inquit, *frugiferis, quibus mons Oliveti conſitus eſt*. Igitur ad triumphi pompam adhibiti ſunt etiam rami olivarum, quibus adeo mons ille abundabat; ut inde nomen nactus fuerit. De his ſilent Evangeliſtæ: duntaxat *palmarum ramos* nominat S. Joannes cap. XII. 13.

Edmundus Martene de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis Officiis celebrandis, cap. 20. *Benedictionis Palmarum nulla apparet mentio apud auctores ante ſæculum octavum, aut nonum.... Nec ullum Amalario antiquiorem, qui illius mentionem fecerit, auctorem vidiſſe me memini. Ipſe enim in lib. 1. de Eccleſiaſticis Officiis, cap. 10. quod eſt de Palmarum die, ita habet*: In memoriam illius rei nos per Eccleſias noſtras ſolemus portare ramos, & clamare Hoſanna; *quos ramos haud dubitamus aliqua benedictione fuiſſe conſecratos.*

lante & clamante *Hoſanna filio David*, tanquam Meſſias in Urbem deductus eſt. (28)

C A P. XII.

De Paſchatis a Chriſto celebratis, & Euchariſtia ab ipſo inſtituta.

1. *Quot Paſchata a baptiſmo ad mortem Chriſti intervenere?*

℞. Quatuor. Primum anno ætatis Chriſti 31. Æræ Vulgaris 26. & Urbis conditæ 779. ſecundum, tertium, & quartum annis deinceps ſequentibus. Primum illud eſt, quod Joannes ſtatim poſt nuptias in Cana Galilææ celebratas commemorat cap. II. 13. quando Chriſtus ementes ac vendentes de Templo primum ejecit. Secundum, de quo fit mentio apud eumdem Joannem cap. V. 1. Tertium, cujus idem Evangeliſta meminit cap. VI. 4. *Erat autem proximum Paſcha*, ad quod Chriſtus eo anno Hieroſolymam in Judæam non acceſſit, ſed manſit in Galilæa,

(28) Vox *Hoſanna* præter litteralem illam, vulgatamque interpretationem *Salvator, te precor*, uſus obtinuit, ut in acclamationibus ſignificaret popularem illam vocem, *Vivat Rex*, *Sit ſalus Regi*. Sunt, qui exiſtimant, ramos ipſos dictos *Hoſanna*, quod deferrentur a clamantibus *Hoſanna*. Quare *Hoſanna filio David* interpreteris, *Vivat filius David*, *Sit ſalus filio David*: vel *hæc Hoſanna ſunt in honorem filii David*. Vide Auguſtinum Calmet in Matth. cap. XXI. 9. Hieronymum epiſt. 145. pag. 785. & Theophylactum in Joannem cap. 12. pag. 736.

Latini hujus triumphi diem vocant Dominicam *Palmarum*, Græci τῶν Βαΐων, Ægyptii, & Syri Dominicam *Hoſanna*. Michael Lequien diſſertat. 6. ex Damaſcenicis. §. 3. pag. LXXIII.

Joan. VII. 1. *quia quærebant eum Judæi interficere*. (1) Quartum, de quo teſtantur omnes Evangeliſtæ Matthæus cap. XXVI. 17. 20. Marcus cap. XIV. 12. 17. Lucas cap. XXII. 1. 8. 14. & Joannes cap. XII. 1. & XIII. 1. Itaque, ut ait Baronius ad an. 34. §. 146. *res eſt in confeſſo apud omnes recentiores, qui exactiori diligentia Paſchata ab Evangeliſtis recenſita numerarunt, poſt baptiſmum Chriſti quatuor per annos ſingulos eſſe Paſchata revoluta*. (2)

2. *Quotuplex de ultimo Paſchate a Chriſto celebrato ſententia eſt?*

Bar. ad an. 34. §. 25. 28. ℞. Quadruplex. Prima eorum, qui docent, Chriſtum Dominum agni Paſchalis cœnam cum diſcipulis ſuis celebraſſe, & Sacramentum Euchariſtiæ inſtituiſſe Luna XIV. Martii die Jovis ad ſecundam veſperam, pridie quam mortem pro no-

(1) Duplici prætextu, tum quod violaſſet Sabbatum imperans paralytico, quem ſanaverat, ut tolleret grabatum ſuum die Sabbati, tum quod in ſermone habito Hieroſolymis anno ſuperiore *Patrem ſuum dixiſſet Deum*, *æqualem ſe faciens Deo*. Joan. cap. V. 8. 16. 18.

(2) S. Irenæus lib. 2. adverſus hæreſes cap. 39. docet, Chriſtum poſt ſuſceptum baptiſmum ter Paſcha celebraſſe. Id enim illi ſatis erat ad refellendos eos, qui dicebant, Chriſtum annum unum duntaxat prædicaſſe. Vide Pagium ad an. 32. §. 5. & Vincentium Ludovicum Gotti iu Veritate Religionis Chriſtianæ tom. 4. part. 1. cap. 19. §. 5. num. 42. pag. 387.

S. Auguſtinus in Joan. Tract. 55. §. 1. *Paſcha, non ſicut quidam exiſtimant, Græcum nomen eſt, ſed Hebræum: opportuniſſime tamen occurrit in hoc nomine quædam congruentia utrarumque linguarum. Quia enim pati Græce πάσχειν dicitur, ideo Paſcha paſſio putata eſt, velut hoc nomen a paſſione ſit appellatum: in ſua vero lingua, hoc eſt in Hebræa, Paſcha tranſitus dicitur: propterea tunc primum Paſcha celebravit populus Dei, quando ex Ægypto fugientes rubrum mare tranſierunt*.

nobis ſubiret. Secunda eſt Græcorum, qui, ut Chriſti exemplo confirment ritum ſuum conficiendi Euchariſtiam ex pane fermentato, contendunt, Chriſtum mortis ſuæ præſcium celebraſſe Paſcha, ideoque etiam Sacramentum Euchariſtiæ inſtituiſſe pridie ejus diei, qui Paſchæ celebrando lege præſtitutus erat, quando videlicet pane fermentato veſci Judæis licebat. Tertia eſt eorum, qui fatentur quidem a Chriſto Paſcha celebratum die a lege ſtatuto, ſed volunt, eo anno Paſcha a Judæis translatum fuiſſe in diem Sabbati ſequentem. Quarta demum eſt eorum, qui dicunt, Chriſtum, omiſſa cœna Judaica, duntaxat Euchariſticam cœnam corporis ſui conſecratione, ac diſtributione peregiſſe. (3)

3. Ex

(3) Opinio hæc ſæculo IX. invecta eſt, referente Photio in Bibliotheca cod. 115. & 116. Jamdiu ſopitam ſub initium ſæculi XVII. edito libello excitavit Hieronymus Vecchiettus, ob id juſſu *Inquiſitorum Fidei* ad multos annos carcere detentus. Ejus ſententia viſa *contra ſacrarum Litterarum fidem*, *contra Eccleſiæ univerſæ auctoritatem*, *contra ſanctorum Patrum doctrinam*, ut refert Janus Nicius Erythræus part. 1. Pinacothecæ Virorum illuſtrium, pag. 196. Nihilominus eamdem ſententiam poſtea auſus eſt propugnare Bernardus Lamy in ſua Concordia Evangelica, & in Tractatu Hiſtorico *de veteri Judæorum Paſchate* Gallice conſcripto. Hujus argumenta confutarunt viri duo eruditiſſimi P. Graveſon *De myſteriis & annis Chriſti* diſſertat. 19. & P. Honoratus a S. Maria tom. 2. Animadverſionum in regulas, & uſum Critices lib. 4. diſſertat. 3.

Creditur Marcion hæreticus fuiſſe primus, qui negarit, Chriſtum celebraſſe ultimum Paſcha. Ejus ſententia a Sanctis Patribus confutata venit in oblivionem. Sub initium ſæculi VII. eam ab oblivione vindicavit Philoponus hæreticus. Photii ætate habebatur contraria doctrinæ Catholicæ, ſub Pontificatu Leonis IX. habebatur vana, nunc Romæ quidem habetur exſecrabilis, in Gallia vero & Hiſpania cenſetur hæretica, aut hæreſi affinis. Ita Vvitaſſe Doctor Sorbonicus apud Honoratum a S. Maria in Animadverſionibus ad Regulas & uſum Critices tom. 1. diſſertat. 2. art. 6. pag. 142.

3. Ex his ſententiis quænam amplectenda?

Bar. ad an. 34. §. 35. ℞. Prima, quæ antiquiſſima eſt, & omnium ſanctorum Patrum conſenſu, atque adeo Eccleſiæ ipſius auctoritate comprobatur. Primus Origenes
Pag. 174. fidem ſuam proferat, qui tract. 35. in Matthæum teſtatus eſt, Apoſtolos in pervigilio mortis Chriſti manducaſſe *Paſcha ſecundum Legis mandatum*, quod niſi de agno Paſchali accipi nullo modo poteſt. Accedat alter teſtis D. Chryſoſtomus, cujus veſtigiis inſtitiſſe omnem Græcam Eccleſiam, affirmat Photius in Bibliotheca cod. 116. pag. 294. ut appareat, Græcos, qui dicunt Chriſtum Dominum Paſcha ante diem legitimum celebraſſe, antiquiſſimum Eccleſiæ ſuæ inſtitutum ignorare. (4) Chryſoſtomus autem hom. 85. in Matthæum
Pag. 715. dicit, Chriſtum *tempus Paſchæ tranſgreſſum non eſſe*, ideoque legitimum Paſcha manducaſſe: & hom. 82. in Joan. ſcribit, tunc celebraſſe Paſcha,
Pag. 414. *quando antiquitus celebratum erat*. Græcis Patribus omni ex parte conſentiunt Latini, Nam S. Hie-
Pag. 59. ronymus commentariis in Matth. cap. 26. *Poſtquam*, inquit, *typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paſchæ tranſgreditur ſacramentum*. Auguſtinus vero epiſt. 36. cap. 13. §. 30. *Intermiſſo*, ait, *uno die*, *cu-*

(4) Verba auctoris incerti apud Photium ſunt hæc: *Refert idem ſecundum illos alios præſentiæ ſuæ annos, Chriſtum Dominum, ac Deum noſtrum lege præſcriptum Paſcha celebraſſe, non item eo, quo proditus eſt: quod conſideratione ſane dignum, cum Chryſoſtomus, & Eccleſia tunc ipſum doceant legitimum Paſcha perfeciſſe, antequam myſticam inſtitueret cœnam*. Vide Honoratum a S. Maria tom. 2. Animadverſionum in regulas & uſum Critices lib. 4. diſſertat. 5. itemque Diſſertationem noſtram 10. de Azymo Græcorum.

cujus veſpera Dominus Paſcha cum diſcipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati; deinde traditus eſt ea nocte, quæ jam ad ſextam Sabbati, qui dies paſſionis ejus manifeſtus eſt, pertinebat. Hic dies primus azymorum fuit a veſpera incipiens. Aliorum Patrum, qui aliis deinceps ſæculis hanc ipſam veritatem profitentur ac docent, teſtimonia recitare neceſſe non eſt; præſertim cum ſancta Tridentina Synodus rem extra omnem dubitationis aleam poſuerit ſeſſ. 22. cap. 1. *De inſtitutione ſacroſancti Miſſæ Sacrificii.* Nam pronunciavit, Chriſtum, *celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituiſſe Paſcha, ſe ipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem.* (5)

4. *Numquid narras de ablutione pedum?*

℟. Hæc, quæ ſunt in Evangelio S. Joannis cap. XIII. Chriſtum Dominum prima ac legitima Bar. ad an. 34. §. 36. 38.

(5) Suarez in 3. Part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 40. ſect. 3. *Statuendum primo eſt, Chriſtum Dominum ante paſſionem ſuam legalem cœnam cum diſcipulis celebraſſe, agnumque Paſchalem ritu Judaico immolaſſe, & comediſſe. Quæ res tam aperta eſt in Evangeliſtis, ut mirum ſit non defuiſſe hoc tempore hæreticos, qui eam negarent... Sed hæc ſententia eſt plane hæretica.*

Antonius Bineus apud Lambertinum de Feſtis D. N. Jeſu Chriſti part. 1. §. 152. pag. 63. *perpenſis rationibus* tum eorum, qui negant, tum eorum, qui ajunt, Chriſtum Dominum Paſcha legitimum celebraſſe, ad extremum ita concludit: *Tot argumenta docent clariſſime, longe præferendam eſſe eam ſententiam, quæ Jeſum Paſcha ſuum ultimum celebraſſe ſtatuit eadem die, eadem hora cum omnibus Judæis.*

De azymis, ac poſtremo Chriſti Paſchate longa, & copioſa eſt Diſſertatio Michaelis Lequien, quæ eſt ſexta ex diſſertationibus Damaſcenicis: item illa, quam Auguſtinus Calmet præponit Evangelio D. Matthæi.

Digitized by Google

ma cœna jam peracta, inter cœnam ſecundam, & communem (6) ſolum aliis recumbentibus ſurrexiſſe, veſtimenta ſua depoſuiſſe, (7) fungentemque munus admodum ſervile, (8) aquam fudiſſe in pelvim, (9) ac pedes diſcipulorum, ini-

(6) Cornelius a Lapide in Joan. cap. XIII. 2. pag. 445. *Chriſtus hic triplicem cœnavit cœnam cum Apoſtolis. Prima fuit cæremonialis, qua comedit Agnum Paſchalem. Secunda fuit communis, ſive uſualis: quia enim in amplis familiis multarum & edacium perſonarum agnus non ſufficiebat ad explendam omnium famem, hinc poſt ejus eſum ſuccedebat cœna communis, qua alias carnes & cibos more aliorum dierum comedebant. Tertia fuit cœna Euchariſtiæ. Itaque Chriſtus poſt duas priores cœnas, ante hanc tertiam lavit Apoſtolorum pedes.*

(7) Nempe veſtem exteriorem. *Certo conſtat*, ait, Caſaubonus exercitat. 16. ad Annales Baronii §. 25. pag. 438. *Dominum noſtrum & in cœna & extra cœnam eaſdem veſtes duas geſtaſſe, exteriorem pallium, interiorem tunicam.*

Grotius in Joannem cap. XIII. 4. tom. 6. Crit. Sacr. pag. 246. *Hæc vox τὰ ἱμάτια*, veſtimenta, *ex illis eſt, quæ plurali ſono ſingularem habent ſignificationem, ut notavimus ad Matth. XVII. 2. Verti ita ſolet Hebræum* vocabulum, *quo proprie ſignificatur* extimus amictus, *qui a miniſtrantibus deponi ſolet. Philo de Sacerdotibus*: Sine veſtibus in ſolis tunicis victimas, & libamina, & alia ſacrificiis neceſſaria afferunt ad ſummam celeritatem exerciti. Vide quæ ſcripſimus de veſtibus Apoſtolorum in noſtra hiſtoria Apoſtolica de Apoſt. in univerſ. Interrogat. 42.

Quod ſi verum eſt, non probaverim quod Origenes tom. 32. in Joan. pag. 407. tom. 2. dicit, Chriſtum exuiſſe ſe veſtibus omnibus: *Cum accepiſſet*, inquit, *linteum, præcinxit ſe, ut & omnino nudus eſſet, & cum laviſſet, tela ad id accommodatiore diſcipulorum abſtergeret pedes.*

Chryſoſtomus in Joan. hom. 69. pag. 356. *Non priuſquam diſcumberent, ſed poſt omnium diſcubitum ſurgit a cœna, inde non ſimpliciter lavat, ſed ponit veſtimenta.*

Theophylactus in Joan. cap. 13. pag. 757. *Non ante cœnam lavat, ſed poſtquam omnes recubuiſſent, ſurgit ſolus ipſe, illis recumbentibus.*

(8) Vide annotat. 23. ad cap. X. de Miraculis Chriſti & Maldonatum in Joannem cap. XIII. 4.

(9) *Ipſe etiam aquam ferebat, & univerſa cum omni promtitu-*

Digitized by Google

initio facto a Petro, qui id prius vehementer abnuerat, (10) laviſſe, lotoſque abſterſiſſe linteo, ac demum menſæ, a qua ſurrexerat, iterum accubuiſſe, & *humanæ humilitatis utilitatem ſuo exemplo commendaſſe*. (11)

5. *Quando inſtituit Chriſtus Euchariſtiam?*

℟. Poſtquam, ut modo dictum eſt ex Concilio Tridentino, legitimam cœnam fecit, & pedes diſcipulorum lavit, eodem Jovis die, primo Azymorum, quarto & viceſimo Martii, eadem in domo, (12) atque eadem forte in menſa *cum re-* Bar. ad an. 34. §. 38. 45. Joan. XIII. 12.

titudine propriis manibus faciebat: ut & nos miniſtrantes cuncta cum omni promtitudine per noſmet ipſos faciamus, in illum reſpicientes: neque extollamur: quid enim ſumus nos, ſi ad Deum conferamur? Linteum itaque, pelvim, ac hydriam a patre familias procul dubio in eum tunc uſum accepit. Euthymius in Joan. cap. 16. pag. 707. tom. 19. Bibliothecæ Patrum.

(10) Vide noſtram Hiſtoriam Apoſtolicam in Juda Iſcar. extrema annotat. 4.

(11) S. Auguſtinus tractat. 55. in Joannis Evangelium §. 7.

(12) Joannis, cui *Marco* cognomen. In ea enim Chriſtus, Hieroſolymis cum eſſet, hoſpitari conſuevit, in ea ſe redivivum Apoſtolis in conſpectum dedit, & D. Thomæ vulnera ſua tractanda exhibuit. Vide Baronium ad an. 34. §. 22. & Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam in Vita Joannis Evangeliſtæ Interrogatione *6*.

Sed fortaſſe probabilius hac de re Maldonatus in Matth. cap. XXVI. 18. pag. *6*14. & *6*15. *Quis homo ille fuerit, cogendi non ſumus dicere: nec enim Evangeliſtis, qui eum nominare noluerunt, ſapientiores ſumus: ſed ſi ſequamur quo veritatis ducit ſimilitudo, probabile nobis videtur eſſe, Judæum aliquem fuiſſe, hominem divitem & nobilem, qui in Chriſtum crediдiſſet, illique eſſet familiaris, ſed occulte tamen, qualem Joſephum ab Arimathæa, & Nicodemum fuiſſe legimus Joannis XIX. 38. 39. Itaque ſi quis aliquem ex illis fuiſſe ſuſpicetur, temerarium non judicaverim, modo ſuſpicetur, non affirmet; nam Cœnaculum magnum, & bene ornatum oſtendit non plebe-*

recubuiſſet iterum, (13) pane, (14) & calice accepto ac benedicto, corpus ſuum & ſanguinem diſcipulis diſtribuit, ac juſſit, ut ipſi quoque id facerent in ſui commemorationem. (15) Eamdem rem ita explicat S. Irenæus lib. 4. adverſus hæ-

bejum fuiſſe hominem; quod Chriſtus Magiſter *illi appellatur*, *indicat fuiſſe diſcipulum; quod jubet illi dici*, tempus meum prope eſt, *declarat fuiſſe familiarem*.

(13) S. Chryſoſtomus hom. 82. in Matth. pag. 694. *Quomodo autem ſi Paſcha comedebant* (Apoſtoli) *adverſus Legem recumbentes comedebant? Sed dicere poſſumus, quia poſtquam comederunt Paſcha* (legale) *ad cænandum recubuerunt*.

(14) Utique azymo. Nam a primo Azymorum die uſque ad octavum nullus erat panis fermentati uſus, imo vetitum Judæis aliquid fermentati domi habere: Exodi cap. XII. 19. Vide D. Thomam 3. part. quæſt. 74. art. 4.

(15) S. Thomas 3. part. quæſt. 81. art. 3. *Innocentius III. dicit lib. 4. de Myſteriis Miſſæ cap. 18.* Tale corpus tunc dedit diſcipulis, quale habuit: *Habuit autem tunc corpus paſſibile & mortale: Ergo corpus paſſibile & mortale diſcipulis dedit*.

Chriſtianus Lupus in Diſſertat. de Sacris Proceſſionibus cap. 2. pag. 338. tom. XI. Chriſtus *dum Euchariſtiam confecit in noviſſima cæna, erat ſolus cum duodecim Apoſtolis: Virgo Mater non aderat: Quod eam ad ipſam tranſmiſerit, Græcorum Patres teſtantur*. Sed quinam ſint Græci iſti Patres, nullo modo ſignificat.

Tillemontius in Vita S. Virginis Mariæ Matris Dei art. 6. pag. 67. hæc habet: *S. Auguſtinus in Joan. tract. 109. non credit, illam interfuiſſe Cœnæ poſtremæ*. Auguſtini locum, quia longior eſt, recitare ſuperſedeo.

In geſtis S. Martialis *reperiri inſertum, illum videlicet tam in Cœna Domini, quam in paſſione, nec non & reſurrectione, aſcenſione quoque præſentem adfuiſſe, & cum ceteris Apoſtolis Spiritum Sanctum accepiſſe*, ait Aymo Archiepiſcopus Bituricenſis in Edicto, quod ſubjicitur Canonibus Concilii Bituricenſis anno 1031. celebrati apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 868. & Harduinum tom. VI. pag. 852. Verum S. Martialem interfuiſſe Cœnæ Domini, repugnat Evangelio, in quo duodecim tantum Apoſtoli cum Chriſto diſcubuiſſe leguntur apud Matthæum cap. XXVI. 20. Marcum cap. XIV. 18. Lucam cap. XXII. 14.

hæreſes extremo cap. 22. *Dominus noſter ſuis diſcipulis dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint; eum, qui ex creatura eſt panis, accepit, & gratias egit dicens*: Hoc eſt corpus meum. *Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert Deo*. Quo Sacrificio, & Sacramento inſtituto, *divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit*, (16) atque re ipſa eos Joan. *in finem dilexit*. Etenim hoc bono nullum optabilius, nullum præſtantius neque datum eſt mortalium generi præpotentis Dei conceſſu atque munere, neque dabitur. XIII. 1.

6. *Uſus ne eſt aliqua verborum forma ad eam conficiendam?*

℟. Eadem ipſa, qua nos utimur. Tertullianus Luc. enim lib. 4. adverſus Marcionem cap. 40. *Acceptum panem*, inquit, *& diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit*, Hoc eſt corpus meum *dicendo*. Eodem modo Ambroſius De Myſteriis cap. XXII. 19. 9. §. 54. *Ipſe clamat Dominus Jeſus*: Hoc eſt corpus meum. *Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur; poſt conſecrationtm ſanguis nuncupatur*. Latinis conſentiunt Græci. S. Juſtinus in primis Apolog. I. §. 66. *Quemadmodum*, ait, *per Verbum Dei caro factus eſt Jeſus Chriſtus Salvator noſter, & carnem, & ſanguinem habuit no-*

Pag. 339. Pag. 83.

(16) Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. apud Labbeum tom. 14. Conc. pag. 805. & apud Harduinum tom. 10. pag. 80.

noſtræ ſalutis cauſſa: ſic etiam illam, in qua, per precem ipſius verba continentem gratiæ acta ſunt, alimoniam, ex qua ſanguis & carnes noſtræ per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu & carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus. Nam Apoſtoli in commentariis ſuis, quæ vocantur Evangelia, *ita ſibi mandaſſe Jeſum tradiderunt: eum ſcilicet accepto pane, cum gratias egiſſet, dixiſſe:* Hoc facite in meam commemorationem, Hoc eſt corpus meum: *& poculo ſimiliter accepto, actiſque gratiis dixiſſe:* Hic eſt ſanguis meus, *ipſiſque ſolis tradidiſſe.* S. Joannes Chryſoſtomus extrema hom. 2. in epiſt. ad Timotheum ſcribit hoc modo: *Quemadmodum verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant: ita & oblatio eadem eſt.* Eſt porro ſimile illud Euſebii Emiſſeni homilia in Ramis Palmarum: *Dixit tunc per ſe, dicit & modo per ſuos miniſtros:* Hoc eſt corpus meum. Sed diſertiſſime planiſſimeque omnium S. Joannes Damaſcenus libro 4. de Fide Orthodoxa cap. 13. *In principio dixit* (Deus) Producat terra herbam virentem, *& ad hanc uſque diem, accedente imbre, divino præcepto impulſa, & roborata fœtus ſuos profert. Dixit perinde Deus:* Hoc eſt corpus meum, *&* Hic eſt ſanguis meus; *&* Hoc facite in meam commemorationem: *& omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur.* Scribit quidem Innocentius III. lib. 4. de ſacro altaris myſterio cap. 6. *dici poſſe, quod Chriſtus virtute divina confecit, & poſtea formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent. Sed contra hoc*, ut ait D. Thomas 3. Part. quæſt. 78. art. 1. *expreſſe ſunt verba Evangelii, in quibus dicitur, quod Chriſtus* benedixit, *quæ quidem benedictio aliquibus verbis facta eſt. Unde prædicta verba Innocentii ſunt opinative magis dicta, quam determinative.* Quidam *autem dixerunt, quod benedictio illa facta eſt quibuſ-*

Bibl. Patr. tom. 6. pag. 747.

buſdam aliis verbis nobis ignotis. Sed neque hoc ſtare poteſt: quia benedictio conſecrationis nunc perficitur per recitationem eorum, quæ tunc acta ſunt. Unde ſi tunc per hæc verba non eſt facta conſecratio, nec modo fieret. Et ideo alii *dixerunt, quod illa benedictio eiſdem etiam verbis facta eſt, quibus modo fit: ſed Chriſtus ea bis protulit:* primo *quidem ſecrete ad conſecrationem:* ſecundo *manifeſte ad inſtruendum. Sed nec hoc ſtare poteſt, quia Sacerdos conſecrat proferens hæc verba, non ut a Chriſto in occulta benedictione dicta, ſed ut publice prolata. Unde cum non habeant vim hujuſmodi verba, niſi ex Chriſti prolatione, videtur, quod etiam Chriſtus manifeſte ea proferens conſecraverit. Et ideo* alii *dixerunt, quod Evangeliſtæ non ſemper eumdem ordinem in recitando ſervaverunt, quo res ſunt geſtæ, ut patet per Auguſtinum in lib.* 2. de conſenſu Evangeliſt. cap. 30. 31. & 44. *Unde intelligendum eſt, ordinem rei geſtæ ſic exprimi poſſe:* Accipiens panem benedixit dicens: Hoc eſt corpus meum, & inde fregit, & dedit diſcipulis ſuis. *Sed idem ſenſus haberi poteſt etiam verbis Evangelii non mutatis. Nam hoc participium* dicens *concomitantiam quamdam importat verborum prolatorum ad ea, quæ præcedunt... Ut ſit ſenſus: Dum benediceret, frangeret, & daret diſcipulis ſuis, hæc verba dixit:* Accipite &c. (17)

7. Sumſit ne ipſe quoque Euchariſtiam?

℟. Ait S. Hieronymus epiſt. 150. ad Hedibiam

(17) Idem art. 2. ad 5. *Conjunctio enim apponitur in hac forma ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ a B. Petro Apoſtolo derivatam.* Vide eumdem D. Thomam in 4. Sent. diſt. 8. quæſt. 12. art. 1. Catechiſmum Romanum de Sacramento Euchariſtiæ ſect. 19. & Honoratum Tournely in Prælectionibus Theologicis de eodem Auguſtiſſimo Sacramento quæſt. 4. art. 8. concluſione 2. pag. 210.

Pag. 801. quæſt. 2. *Dominus Jeſus ipſe conviva , & convivium , ipſe comedens , & qui comeditur* . Et S. Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. Deſiderio deſideravi , *inquit* , hoc Paſcha vobiſcum comedere , *hoc eſt tradere vobis res novas , & Paſcha dare , quo vos ſpirituales faciam . Ipſe quoque bibit ex eo , ne auditis verbis illis* (Accipite , comedite , hoc eſt corpus meum : hic eſt ſanguis meus) *dicerent : Quid igitur ſanguinem bibimus , & carnem comedimus ? ac ideo perturbarentur . Nam & quando prius de his verba fecit , multi ſolummodo propter verba ſcandalum paſſi ſunt . Ne igitur tunc id quoque accideret , primus ipſe hoc facit , ut tranquillo animo ad communicationem myſteriorum induceret* . Utriuſque ſententiam plane aperteque defendit S. Thomas 3. part. quæſt. 81. art. 1. hac ratione: *quia Chriſtus ea , quæ ab aliis obſervanda inſtituit , ipſe primitus obſervavit . Unde & ipſe prius baptizari voluit , quam aliis baptiſmum imponeret , ſecundum illud Act.* I. Cœpit Jeſus facere , & docere : *unde & primo ipſe corpus ſuum , & ſanguinem ſumſit , & poſtea diſcipulis ſumendum tradidit . Et hoc eſt , quod Ruth III. ſuper illud*: Cumque comediſſet , & bibiſſet , *dicit Gloſſa , quod* Chriſtus comedit & bibit in cœna , cum corporis & ſanguinis ſui Sacramentum diſcipulis tradidit : unde quia pueri communicaverunt carni & ſanguini , & ipſe participavit eiſdem . Idem quæſt. 84. art. 7. ad 4. *Sacramentum* , ait , *Euchariſtiæ & ipſe ſumſit , & aliis dedit , tum ad commendandam excellentiam hujus Sacramenti , tum quia hoc ſacramentum eſt memoriale paſſionis , in qua Chriſtus eſt Sacerdos & Hoſtia* . Quod declarat etiam auctor gloſſæ in cap. 87. diſtinct. 2. de conſecrat. his verſibus :

Rex ſedet in cœna turba cinctus duodena ,
Se tenet in manibus , ſe cibat ipſe cibus .

Comedit ergo Chriſtus ſe ipſum, ſed non quoad effectum, quia non indigebat. (18).

8. *Calix, in quo ſanguinem ſuum conſecravit, fuit ne pretioſus?*

℟, Negant aliqui, auctore S. Clemente Alexandrino, de celebrata a Chriſto cum diſcipulis Agni Paſchalis cœna ſcribente hæc lib. 2. Pædagogi cap. 3. *Chriſtus in vili catino cibum ſumſit, & fecit diſcipulos ſuper herbam accumbere, & pedes eorum lavit linteo accinctus, Deus a faſtu alienus & Dominus omnium, ſane non argenteum lavacrum e Cœlo deferens.* Ex quibus verbis colligunt, ſicut cetera vaſa cœnæ Legalis, ita calicem cœnæ Euchariſticæ ex vili ac nullius pretii materia fuiſſe conflatum. Clarius loquitur Chryſoſtomus hom. 51. in Matthæum. *Non erat*, inquit, *ex argento illa menſa, nec ex auro ille calix, quo Chriſtus diſcipulis ſanguinem præbuit ſuum: pretioſa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia ſpiritu abundabant.* At Beda, ſeu alius auctor libelli de Locis Sanctis cap. 2. ſcribit, cali- Pag. 161. Pag. 455.

I 2 cem

(18) D. Thomas cit. part. 3. quæſt. 81. art. 1. ad 3. *Effectus hujus Sacramenti eſt non ſolum augmentum habitualis gratiæ, ſed etiam quædam actualis delectatio ſpiritualis dulcedinis. Quamvis autem Chriſto gratia non fuerit augmentata ex ſuſceptione hujus Sacramenti; habuit tamen quamdam ſpiritualem delectationem in nova inſtitutione hujus Sacramenti. Unde ipſe dicebat Lucæ 22.* Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, *quod* Euſebius *exponit de novo Myſterio novi Teſtamenti, quod tradebat diſcipulis. Et ideo ſpiritualiter manducavit, & ſimiliter ſacramentaliter, in quantum corpus ſuum ſub Sacramento ſumſit, quod Sacramentum ſui Corporis intellexit & diſpoſuit.*

S. Bonaventura Breviloquii part. 6. cap. 4. pag. 41. tom. 6. *Chriſtus quædam Sacramenta inſtituit initiando, & conſummando, & in ſemetipſo ſuſcipiendo, ut Sacramentum Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Ordinis. Hæc enim tria & plene inſtituit, & etiam primus ſuſcepit.*

Pag. 364. tom. 3. cem illum ſua ætate Hieroſolymis aſſervatum argenteum fuiſſe. *In platea, quæ Martyrium, & Golgotha continuat, exhedra eſt, in qua calix Domini ſcriniolo reconditus per operculi foramen tangi ſolet, & oſculari: qui argenteus calix duas hinc & inde habens anſulas, ſextarii Gallici menſuram capit, in quo eſt & illa ſpongia Dominici potus miniſtra*. Hoc Bedæ teſtimonium & probatur a Baronio ad an. 34. §. 63. & videtur congruere cum Evangelio, ubi legimus, Chriſtum juſſiſſe parari ſibi Paſcha in cœnaculo grandi, ſtrato, cui certe & ſupellectilia, & vaſa paria eſſe debuerunt. (19)

Marc. XIV. 15. Luc. XXII. 12.

9. Quinam eſt hymnus dictus a Chriſto poſt eſum Agni Paſchalis, & ſumtam Euchariſtiam?

Bar. ad an. 34. §. 65. ℞. Verba illa: *& hymno dicto*, quæ ſunt apud Matthæum cap. XXVI. 30. & apud Marcum cap. XIV. 26. nihil aliud ſignificare, quam gratiarum actionem Deo a Chriſto perſolutam, ſcribunt nonnulli librorum ſacrorum interpretes. Alii contendunt, hymnum illum compoſitum ex Pſalmo 112. *Laudate pueri Dominum*, & ex quinque ſequentibus, quorum partem medio convivio, partem convivio abſoluto ad gratias Deo agendas Hebræi canere conſueverunt. Alii alia comminiſcuntur. (20) Propius vero eſt, quod Carolo Ma-

(19) Joannes Baptiſta Scortia lib. 4. De ſacroſancto Miſſæ Sacrificio cap. 11. §. 26. ait, *plures Hiſpanos aſſerere, fuiſſe ex lapide pretioſo, ſive agatha, ut vult Henriquez* lib. 9. cap. 28. n. 2. *ſive Chalcedonio, ut ſentit Didacus Morilla* ſer. 3. de inſtitutione Euchar. *Valentiæque aſſervari. Sicut etiam in Smaragdino Genuenſi Catino in eadem cœna comediſſe eumdem, idem Morilla, & Salmeron* tom. 9. tract. 10. *ſcribunt: ſed potius videtur credendum Bedæ* cap. 2. de locis ſanctis *ſcribenti, fuiſſe ex argento cum duabus anſulis*.

(20.) S. Auguſtinus epiſt. 237. ad Ceretium Epiſcopum §. 4.

Magno admiranti *cur tantæ dulcedinis hymnus ab Evangeliſtis omnibus ſit prætermiſſus*, ſcribit Alcuinus epiſt. 106. hymnum a Chriſto dictum eum eſſe, qui recitatur a Joanne cap. XVII. Evangelii, contineturque, ſi partem primi verſus excipias, toto capite. Locus enim hic eam materiam complectitur, quæ ad præcipuum laudis canticum ſufficiat. Quæ Alcuini ſententia eo etiam veriſimilior fit, quod Joannes notat, Chriſtum completa precatione ea *egreſſum eſſe trans torrentem Cedron, ubi erat hortus*, quo illum iviſſe, *hymno dicto*, Matthæus pariter memorato capite XXVI. 36. & Marcus cap. XIV. 32. ſubjecerunt. (21) Cap. XXVIII. 1.

10. *Quomodo locus ille Joannis hymnus dici poteſt, cum metricus non ſit?*

℟. Recte dubitas. Nam Beda Præfatione in Pſalterium ita ſcribit: *Hymnus eſt proprie laus Dei* Pag. 310. tom. 8.

§. 4. & 9. ſcribit, inter Scripturas apocryphas, quibus Priſcillianiſtæ hæretici utebantur, reperiri hymnum ita inſcriptum: *Hymnus Domini, quem dixit ſecrete ſanctis Apoſtolis diſcipulis ſuis; quia ſcriptum in Evangelio*, Hymno dicto, *aſcendit in montem*. Deinde hujus hymni partem recitat, atque concludit, *ea, quæ in expoſitione hujus hymni bona & honeſta dicunt, etiam in canone reperiri.*

(21) Grotius in cap. 26. Matth. tom. 6. Criticorum Sacrorum pag. 904. *Cenſent viri eruditi, cantatos a Chriſto hymnos, qui Paſchate cani ſolerent, quales ſunt Pſalm.* 114. *& ſequentes. Sed ſicut ad veterem gratiarum actionem Chriſtus novam addidit ſuo inſtituto congruentem, ita & de hymno feciſſe credibile eſt. Ac forte ea ipſa hymni in modum dixit Chriſtus, quæ apud Joannem legimus. Nam ſolebant pro re nata ex tempore hymnos, quos* Hallel *vocant, effundere Hebræi nullis numeris adſtrictos: qualia ſunt carmina Deboræ, Annæ, Zachariæ, Mariæ, Judæorum, II. Machabæorum X. 36. & hymnus ille Chriſtianorum, qui exſtat Act. IV.* 24. Auguſtinus Calmet in cit. Matthæi cap. XXVI. 30. Grotio non conſentit.

Pag. 364. tom. 3. cem illum ſua ætate Hieroſolymis aſſervatum argenteum fuiſſe. *In platea, quæ Martyrium, & Golgotha continuat, exhedra eſt, in qua calix Domini ſcriniolo reconditus per operculi foramen tangi ſolet, & oſculari: qui argenteus calix duas hinc & inde habens anſulas, ſextarii Gallici menſuram capit, in quo eſt & illa ſpongia Dominici potus miniſtra.* Hoc Bedæ teſtimonium & probatur a Baronio ad an. 34. §. 63. & videtur congruere Marc. XIV. 15. cum Evangelio, ubi legimus, Chriſtum juſſiſſe Luc. XXII. 12. parari ſibi Paſcha in cœnaculo grandi, ſtrato, cui certe & ſupellectilia, & vaſa paria eſſe debuerunt. (19)

9. Quinam eſt hymnus dictus a Chriſto poſt eſum Agni Paſchalis, & ſumtam Euchariſtiam?

Bar. ad an. 34. §. 65. ℞. Verba illa: *& hymno dicto*, quæ ſunt apud Matthæum cap. XXVI. 30. & apud Marcum cap. XIV. 26. nihil aliud ſignificare, quam gratiarum actionem Deo a Chriſto perſolutam, ſcribunt nonnulli librorum ſacrorum interpretes. Alii contendunt, hymnum illum compoſitum ex Pſalmo 112. *Laudate pueri Dominum*, & ex quinque ſequentibus, quorum partem medio convivio, partem convivio abſoluto ad gratias Deo agendas Hebræi canere conſueverunt. Alii alia comminiſcuntur. (20) Propius vero eſt, quod Carolo Ma-

(19) Joannes Baptiſta Scortia lib. 4. De ſacroſancto Miſſæ Sacrificio cap. 11. §. 26. ait, *plures Hiſpanos aſſerere, fuiſſe ex lapide pretioſo, ſive agatha, ut vult Henriquez* lib. 9. cap. 28. n. 2. *ſive Chalcedonio, ut ſentit Didacus Morilla* ſer. 3. de inſtitutione Euchar. *Valentiæque aſſervari. Sicut etiam in Smaragdino Genuenſi Catino in eadem cœna comediſſe eumdem, idem Morilla, & Salmeron* tom. 9. tract. 10. *ſcribunt: ſed potius videtur credendum Bedæ* cap. 2. de locis ſanctis *ſcribenti, fuiſſe ex argento cum duabus anſulis.*

(20) S. Auguſtinus epiſt. 237. ad Ceretium Epiſcopum §. 4.

Magno admiranti *cur tantæ dulcedinis hymnus ab Evangeliſtis omnibus ſit prætermiſſus*, ſcribit Alcuinus epiſt. 106. hymnum a Chriſto dictum eum eſſe, qui recitatur a Joanne cap. XVII. Evangelii, contineturque, ſi partem primi verſus excipias, toto capite. Locus enim hic eam materiam complectitur, quæ ad præcipuum laudis canticum ſufficiat. Quæ Alcuini ſententia eo etiam veriſimilior fit, quod Joannes notat, Chriſtum completa precatione ea *egreſſum eſſe trans torrentem Cedron, ubi erat hortus*, quo illum iviſſe, *hymno dicto*, Matthæus pariter memorato capite XXVI. 36. & Marcus cap. XIV. 32. ſubjecerunt. (21) Cap. XXVIII. 1.

10. *Quomodo locus ille Joannis hymnus dici poteſt, cum metricus non ſit?*

℟. Recte dubitas. Nam Beda Præfatione in Pſalterium ita ſcribit: *Hymnus eſt proprie laus* Pag. 310. tom. 8.

I 3 *Dei*

§. 4. & 9. ſcribit, inter Scripturas apocryphas, quibus Priſcillianiſtæ hæretici utebantur, reperiri hymnum ita inſcriptum: *Hymnus Domini, quem dixit ſecrete ſanctis Apoſtolis diſcipulis ſuis; quia ſcriptum in Evangelio*, Hymno dicto, *aſcendit in montem*. Deinde hujus hymni partem recitat, atque concludit, *ea, quæ in expoſitione hujus hymni bona & honeſta dicunt, etiam in canone reperiri*.

(21) Grotius in cap. 26. Matth. tom. 6. Criticorum Sacrorum pag. 904. *Cenſent viri eruditi, cantatos a Chriſto hymnos, qui Paſchate cani ſolerent, quales ſunt Pſalm.* 114. *& ſequentes. Sed ſicut ad veterem gratiarum actionem Chriſtus novam addidit ſuo inſtituto congruentem, ita & de hymno feciſſe credibile eſt. Ac forte ea ipſa hymni in modum dixit Chriſtus, quæ apud Joannem legimus. Nam ſolebant pro re nata ex tempore hymnos, quos* Hallel *vocant, effundere Hebræi nullis numeris adſtrictos: qualia ſunt carmina Deboræ, Annæ, Zachariæ, Mariæ, Judæorum, II. Machabæorum X. 36. & hymnus ille Chriſtianorum, qui exſtat Act. IV. 24.* Auguſtinus Calmet in cit. Matthæi cap. XXVI. 30. Grotio non conſentit.

Dei metrice ſcripta. At S. Auguſtinus, cujus ſententia probabilior viſa eſt viris doctiſſimis, in Pſal. 148. §. 17. docet, hymnum dicere nihil eſſe aliud, quam Dei laudes canere, neque neceſſum eſſe, ut hymni verba metro ſervire cogantur. *Hymnus, ſcitis, quid ſit?* inquit, *Cantus eſt cum laude Dei: ſi laudas Deum, & non cantas, non dicis hymnum: ſi cantas, & non laudas Deum, non dicis hymnum: ſi laudas aliud, quod non pertinet ad laudem Dei, etſi cantando laudes, non dicis hymnum. Hymnus ergo tria iſta habet, & canticum, & laudem, & Dei. Laus ergo Dei in cantico hymnus dicitur*. (22) Porro autem tria hæc, quæ ad hymnum componendum requirit Auguſtinus, omnia continentur precatione ea, qua Chriſtus in memorato cap. XVII. Evangelii S. Joannis utitur. Ibi enim præcipuas Dei laudes Chriſtus celebrat, & plerique Sacrarum Litterarum Interpretes ſecuti antiquos Eccleſiæ Patres vocem illam *hymno dicto* ab Evangeliſtis Matthæo, & Marco uſurpatam ita exponunt: *poſt canticum Actionis gratiarum*. (23)

11. Di-

(22) Eamdem ſententiam habet etiam in Pſal. 72. §. 1. Quare Eſtius in Matth. cap. XXVI. 30. pag. 461. *Hymno dicto, id eſt cantato, Græce ὑμνήσαντες, quod proprie cantum ſignificat. Concilium Toletanum IV. cap. 13.* apud Lab. tom. V. Concil. pag. 1709. *De hymnis canendis in Sacro Officio dicit nos exemplum Domini habere. Eraſmus vertit: Et cum hymnum cecinissent:* ut intelligas, etiam Apoſtolos dixiſſe hymnos, non tantum Chriſtum.

(23) Vide Joannem Cardinalem Bonam Divinæ Pſalmodiæ cap. 16. §. 9. num. 2. & 3.

S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 83. pag. 700. Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarum. *Audiant omnes, qui quaſi porci cum jam comederint, everſa calicibus menſa temulenti conſurgunt, cum agere gratias debeant, & in hymnum a menſa devenire.*

Digitized by Google

11. *Dictis hactenus ſubtexe aliquid de feſto Corporis Chriſti.*

℟. Feſtum ſanctiſſimi Corporis Chriſti Leodii primum hortatu Julianæ conſecratæ Deo virginis inſtitutum, atque celebratum eſt. (24) Anno 1262. ſummus Pontifex Urbanus IV. qui Eccleſiæ Leodienſis Archidiaconus fuerat, ab univerſa Eccleſia coli mandavit. Hujus mandati cauſſa hæc. Sacerdos quidam Bolſenæ in Diœceſi Urbevetana rem divinam faciens dubitat, ſit ne in hoſtia, quam ſacraverat, verum Chriſti Corpus. Extemplo ſanguinem ex hoſtia, quam præ manibus habebat, manantem videt, totumque linteolum, quod *Corporale* appellant, divino cruore reſperſum. Urbanus, qui tum Urbeveteri degebat, ſacrum ad ſe linteum afferri imperat, ut rei tam admirandæ oculatus teſtis eſſet. Atque ut myſterii tanti memoria quotannis recoleretur, Feſtum ſanctiſſimi Corporis Chriſti quinta poſt diem octavum Pentecoſtes feria ab omnibus Chriſtifidelibus in annos ſingulos celebrandum indixit. Exſtat ejus Conſtitutio lib. 3. Clementinarum tit. 16. de reliq. & venerat. Sanct. quam poſtea ratam habuit Clemens V. in Concilio Viennenſi Oecum. XV. ejuſque ſucceſſor Joannes XXII. iterum promulgavit. Feſtum hoc tria præſertim commendant. Primum quia proprium in eo Officium recitatur, ſecundum quia ipſum Chriſti Corpus ſacra ac ſolemni pompa circumfertur, tertium quia exponitur Fidelium cultui ac venerationi. Officium a D. Thoma Aquinate compoſitum fuiſſe, & conſentiunt viri docti, & probat Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. XIII. & XIV. diſſertat. 6. art. 1.

(24) De quo fuſe narratur in Vita ejuſdem S. Julianæ lib. 2. cap. 2. & 3. apud Bollandianos die 5. Aprilis.

Digitized by Google

De ſolemni, quæ eodem die fieri ſolet, Corporis Chriſti circumlatione mentio nulla eſt in Conſtitutione Urbani IV. ob eamque cauſſam non ab ipſo Urbano, ſed ab Joanne XXII. inſtitutam eſſe, nonnulli arbitrantur. Ad tertium quod attinet, ſunt qui velint, ſacroſanctum Chriſti Corpus exponi in Altari conſueviſſe etiam ante tempora Urbani IV. ſed præſertim dum Miſſæ Sacrificium perageretur. Pag. 340. & 360. Tom. XI. De his fuſius Chriſtianus Lupus diſſertat. *De ſacris proceſſionibus* cap. 3. & 9. itemque Edmundus Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina* cap. 29. ad quos harum rerum ſtudioſos ire jubeo. (25)

C A P. XIII.

De Paſſione, Morte, & Sepultura Chriſti.

1. *Quoties, & cur paſſionem ſuam diſcipulis Chriſtus prædixit?*

℞. Ter prædixit, ut animadvertit Joannes Stephanus Menochius lib. 6. de Vita Chriſti cap. 3. §. 2. Primum apud Matthæum cap. XVI. 21. iterum apud Lucam cap. IX. 44. tertio apud eumdem Matthæum cap. XX. 18. Prædixit autem ob eam rem, ut *auferret vehementem eorum triſtitiam*, ait Euthymius: quemadmodum vero ſcribit S. Hieronymus, ut *ad tentationem eos pararet, ne cum veniret perſecutio, & Crucis ignominia, ſcandalizarentur*. (1)

Chri-

(25) Tractatum de expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti edidit Joannes Baptiſta Thiers.

(1) Euthymius in Matth. cap. 42. tom. 19. Bibl. Patrum pag. 556. S. Hieronymus in eumdem Matth. cap. XX. 18. pag. 41.

2. *Chriſti paſſio unde cœpit?*

℟. A proditione Judæ. Judas enim unus ex diſcipulis, quos aſſumſerat ad Apoſtolatum, biduo ante Paſcha, hoc eſt die Mercurii, tertio & viceſimo menſis Martii, adiit Sacerdotum Principes in aula Caiphæ Pontificis conſultantes, quomodo Jeſum dolo comprehenſum interficerent, (2) pactuſque eſt cum ipſis mercede triginta argenteorum ſe Magiſtrum ſuum proditurum. (3) Qua- Matth. XXVI. 2. 14. Bar. ad an. 34. §. 14.

(2) Quia die Mercurii conſilium de Chriſto occidendo Judæi inierunt, eam ob rem dies ille habitus eſt inter eos dies, qui ſpectant ad paſſionem Chriſti, fuitque olim jejunium ejus diei commune, & in Eccleſia celebre.

S. Auguſtinus epiſt. 36. cap. 13. §. 30. *Cur autem quarta & ſexta maxime jejunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur, quod conſiderato Evangelio, ipſa quarta Sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, conſilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Judæi. Intermiſſo autem uno die, cujus veſpera Dominus Paſcha cum diſcipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati, deinde traditus eſt ea nocte, quæ jam ad ſextam Sabbati, qui dies paſſionis ejus manifeſtus eſt, pertinebat... Ex quo colligitur quartam Sabbati fuiſſe, quando ait Dominus:* Scitis (Matth. XXVI. 2.) quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. *Ac per hoc dies ipſe jejunio deputatus eſt, quia ſicut Evangeliſta ſequitur & dicit,* Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum & ſeniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent & occiderent. *Intermiſſo autem uno die.... paſſus eſt Dominus, quod nullus ambigit, ſexta Sabbati, quapropter & ipſa ſexta recte jejunio deputatur.*

Et in Jure Canonico de Conſecrat. diſt. 3. cap. 16. *Jejunia ſane legitima, id eſt quarta & ſexta feria, non ſunt ſolvenda, niſi grandis neceſſitas fuerit, quia quarta feria Judas de traditione Domini cogitavit, & ſexta feria crucifixus eſt Salvator.* Vide Baronium ad an. 34. §. 168.

(3) Triginta argentei conſenſu peritiſſimorum ſunt triginta ſicli, qui Florenos Belgicos triginta, aut libellas Vene-

Quare ad eum poſtea reverſus nihil magis curavit, quam ut tempore ad eam rem capto nefariæ pactioni ſatisfaceret.

3. *Quando Judas Chriſtum Judæis prodidit?*

Matth. XXVI. 20. 36. Luc. XXII. 39. Joan. XVIII. 1. 2. 4. Bar. ad an. 34. §. 67. Pag. 419.

℟. Nocte, quæ Jovis diem quartum & viceſimum Martii proxime ſecuta eſt. Chriſtus enim cœna tum Legitima, tum Euchariſtica *cum duodecim diſcipulis ſuis*, atque ideo etiam cum Juda proditore, veſpere celebrata, egreſſus ex Urbe, ac *media nocte*, ut ait Chryſoſtomus hom. 82. in Joan. *tranſiens torrentem* Cedron in montem Olivarum ſe contulit, & in hortum Gethſemani Patrem oraturus receſſit. (4) Itaque Judas præclaram ſibi occaſionem ad promiſſum ſolvendum oblatam ratus, eo, ubi erat Chriſtus, venit cum militibus Præſidis, & miniſtris Pontificum, *ut ſervato ordine legitimæ poteſtatis, nullus tenentibus auderet obſiſtere*, (5) eumque oſculatus, quod inter ipſos convenerat, ſignum dedit manus in ipſum injiciendi. (6) Chriſtus vero inimicis ſuis obviam pro-

netas circiter 150. pretio æquant. Vide noſtram Hiſtoriam Apoſtolicam in vita Judæ pag. 265.

Idcirco autem triginta argenteis tantum, ſeu ſiclis argenti Chriſtus væniit, quia ſervus, qualem Judæi per contemtum tunc Chriſtum habuerunt, ſecundum Moyſis legem triginta duntaxat ſiclis æſtimabatur. Namque Exodi cap. XXI. 29. 32. præceptum eſt, ut ſi bos cornupeta ſervum, vel ancillam occidiſſet, triginta ſicli argentei Domino numerarentur.

(4) S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 13. §. 50. *Quando a Judæis apprehenſus eſt Dominus, adhuc noctis primæ partes erant.*

Torrens Cedron fertur per mediam vallem Joſaphat, quæ eſt inter montem Oliveti, & Hieruſalem ad ortum. Latus dicitur ſex vel ſeptem pedes.

(5) S. Auguſtinus in Joannis Evangelium tract. 112. §. 2.

(6) Ter prædixit Chriſtus, futurum, ut proderetur ab uno

procedens non modo non reſtitit, ſed proſtratos erexit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, ſeque ultro ſatellitibus vinciendum obtulit, & Petrum ad ſui defenſionem diſtricto gladio decertantem cohibuit. (7)

4. *Quid & quoties oravit?*

℟. Ter *eumdem ſermonem* repetiit *dicens: Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte: verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Prima petitio*, ait S. Leo ſerm. 54. cap. 2. *infirmitatis eſt, ſecunda virtutis. Illud optavit ex noſtro, hoc elegit in proprio. Quod erat hominis, divinam deſideravit potentiam, quod erat Dei, ad cauſſam reſpexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas ceſſit inferior.* Ita- Matth. XXVI. 39. 42. De Paſſ. Dom. 5.

uno ex diſcipulis ſuis. Primum ſub initium cœnæ, ut Matthæus cap. XXVI. 21. & Marcus XIV. 18. narrant: deinde poſtquam abluit pedes diſcipulorum, ut refert Joannes cap. XIII. 18. ad extremum poſtquam inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, ut eſt apud Lucam cap. XXII. 21.

Maldonatus in locum citatum S. Matthæi: *Quæritur a multis, cur hoc Chriſtus dixerit. Reſpondent Chryſoſtomus, Hieronymus, Beda, Theophylactus, Euthymius, ut Judæ pœnitentiæ occaſionem daret, illique ad reſipiſcendum ſtimulum admoveret, cum videret, conſilia ſua Chriſtum latere non potuiſſe. Videtur etiam mihi ideo dixiſſe, ut oſtenderet, ſe non invitum, non circumventum, & nec opinantem, ſed ſcientem, prudentem, volentem mori, cum cognito proditore, ejus conſilium impedire poſſet, nec tamen vellet.*

(7) S. Chryſoſtomus hom. 82. in Joan. pag. 420. & 421. *Admirari quis poſſet, cur non comprehenderint etiam cum Jeſu, ut verberarent, diſcipulos, & Petrum maxime, qui eos ſervi aurem abſcindendo irritaverat. Quis ergo eos continuit? Nemo alius, quam quæ eos retrorſum projecerat, potentia: quod Evangeliſta, non eorum mentis, ſed ſupernæ virtutis eos coercentis fuiſſe ſignificat, inquiens*, ut ſermo impleretur, quem dixit, Non perdidi ex eis quemquam.

taque ut homo erat, ajebat: *Tranſeat a me calix iſte:* ut homo Deus: *Fiat voluntas tua*. (8)

5. *Quid paſſus eſt in oratione ea?*

Matth. XXVI. 36. Luc. XXII. 43. 44.

℞. Paſſus eſt triſtitiam illam ingentem, quæ eum ita affecit, ut etiam poſt adhibitam ab Angelo conſolationem fieret *ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*. (9) Cauſſa vero triſti-

(8) Idipſum ſentit Auguſtinus in Pſal. 32. ſerm. 1. §. 2. Similiter *Ambroſius*, *& Origenes*, *& Chryſoſtomus dicunt*, *quod* hoc petiit quaſi homo naturali voluntate mortem recuſans, ut legere eſt apud D. Thomam 3. part. quæſt. 21. art. 4. ad 1. ubi etiam diverſas aliorum ſententias refert.

Calicis nomine intelliguntur *paſſiones*, ac pœnæ in Sacris Scripturis. Matth. XX. 22. Eſaiæ LI. 17. Pſalm. X. 7. LXXIV. 9.

(9) *Nec ſane ignorandum a nobis eſt*, *& in Græcis*, *& in Latinis Codicibus complurimis vel de adveniente Angelo*, *vel de ſudore ſanguinis nil ſcriptum reperiri*. Ita S. Hilarius lib. 10. de Trinitate §. 41. Ad eumdem modum S. Hieronymus lib. 2. adverſus Pelagianos cap. 6. pag. 580. *In quibuſdam exemplaribus tam Græcis*, *quam Latinis invenitur ſcribente Luca:* Apparuit illi Angelus de Cœlo confortans eum: *haud dubium*, *quin Dominum Salvatorem*: Et factus in agonia prolixius orabat; factuſque eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. *Salvator in paſſione ab Angelo confortatur*. S. Epiphanius in Ancorato §. 31. & 37. monet, *Catholicos timore quodam inductos vocem illam ſubſtuliſſe*, *neque finem illius*, *& quod utiliſſimum eſt*, *ſatis intellexiſſe*. *Nam nihil eſt loci illius auctoritate præſtantius*. *Quippe hoc ipſo*, *quod dixit*, in anxietate conſtitutum fuiſſe, *Dominicum hominem verum hominem fuiſſe declarat*. *Eo teſtimonio S. Irenæus libro contra hæreſes* (3. cap. 32.) *ad eos refellendos utitur*, *qui Chriſtum ſpecie tenus apparuiſſe dicebant*. In quam ſententiam utitur etiam eodem teſtimonio S. Hippolytus contra hæreſim Noeti cap. 18. Idem invenitur in Dialogo S. Juſtini cum Tryphone Judæo §. 99. & in Ammonii Harmonia Evangeliorum cap. 160. pag. 295. tom. 3. Bibl. Patrum. Denique S. Chryſoſtomus in Matthæum hom. 84. pag. 707. illud profert tamquam certum ac minime dubium. Et quidem nullus remanet de eo dubitandi

ſtitiæ fuit non ſolum objecta animo ſpecies ſuppliciorum, pedes & manus clavis cruci affixæ, caput ſpinis compunctum, arundine percuſſum, facies ſputis fœdata, alapis cæſa, totum corpus flagellis laceratum: Sed præſertim Judæ proditio, Petri negatio, diſcipulorum fuga, obſtinata Judæorum improbitas, excidium Hieruſalem, omnium hominum & maxime Chriſtianorum errata, complectar uno verbo, peccati gravitas ac turpitudo. (10)

6. Su-

di locus cum Sancta Tridentina Synodus Seſſione 4. eum anathemate damnaverit, qui ſacros *libros integros*, quos ibidem recenſet, *cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catbolica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non ſuſceperit*. Vide Bellarminum lib. 1. de Verbo Dei cap. 16.

S. Auguſtinus in Pſal. 93. §. 19. *Fuit prorſus triſtis, ſed voluntate ſuſcipiens triſtitiam, quomodo voluntate ſuſcipiens carnem: quomodo voluntate carnem veram, ſic voluntate triſtitiam veram*. Lege D. Thomam 3. part. quæſt. 15. art. 4.

Baronius ad an. 34. §. *66. Locus ille, ubi hæc contigerunt, ad radices montis Oliveti poſitus, tantæ rei nobilitatus inſignibus, quaſi trophæis victoriæ Chriſti, præclara poſtmodum deſuper erecta Eccleſia (ut auctor eſt Hieronymus de locis Hebraicis) eſt mirifice illuſtratus*. Subjicit Baronius ex Beda de locis Sanctis, lapidem, cui Dominus genibus flexis innixus oravit, genuum recepiſſe veſtigia, & in Eccleſiam tranſlatum. Sed non probat id Caſaubonus exercitat. *16.* §. 63. pag. 521. quia neque Euſebius, neque Hieronymus Beda multo antiquiores, & teſtes oculati ullam ejus rei mentionem fecerunt.

(10) S. Hieronymus in Matth. cap. 26. pag. 59. *Contriſtabatur non timore patiendi (quia ad hoc venerat, ut pateretur, & Petrum timiditatis arguerat) ſed propter infeliciſſimum Judam, & ſcandalum omnium Apoſtolorum, & rejectionem populi Judæorum, & everſionem miſeræ Hieruſalem*.

Ambroſius in Luc. lib. 10. cap. 22. §. 57. pag. 1516. *Doles ergo, Domine, non tua, ſed mea vulnera, non tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem, & nos æſtimavimus, te eſſe in doloribus, cum tu non pro te, ſed pro me doleres. Infirmatus enim es, ſed propter peccata noſtra*. Eadem eſt ſententia S. Hilarii in Matthæum cap. 31. §. 5.

6. *Sudor ejus fuit ne vere ſanguineus?*

℞. Quoniam Lucas cap. XXII. 44. ſcriptum reliquit: *ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν*: *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentes in terram*; idcirco ſudorem Chriſti fuiſſe vere ſanguineum, negarunt Theophylactus in memoratum locum D. Lucæ,
Bibl. Patr. & Euthymius, qui cap. 64. in Evangelium Mat-
tom. 19. thæi loquitur hæc: *Lucas autem latius dixit, quod*
pag. 582. *factus* eſt ſudor ejus ſicut grumi ſanguinis decurrentes in terram. Grumi ſanguinis, *hoc eſt craſſiſſimæ ſanguinis guttæ, ſignificans non quod ſanguinem ſudaverit, ſed quod craſſos deduxerit Dominus ſudores*. Non aliter ante utrumque videtur ſen-
Pag. 199. ſiſſe Juſtinus in Dialogo cum Tryphone Judæo §. 103. ubi nulla facta ſanguinis mentione dixit: *ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο αὐτοῦ εὐχομένου*: *Sudor ſicut guttæ diffundebatur ipſo orante*. At S. Irenæus & Græcus ipſe & Juſtino æqualis lib. 3. cap. 32. eos, qui negabant Chriſtum veram carnem ſumſiſſe, confutat etiam ex eo, quod *οὐδ' ἂν ἵδρωσε θρόμβους αἵματος*: *nec ſudaſſet guttas ſanguinis*. Hoc ipſum Hieronymus adverſus Pela-
Pag. 580. gianos lib. 2. cap. 6. his verbis docuit: *Tam vehementer orabat, ut guttæ ſanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in paſſione fuſurus*. Auguſtinus quoque in Pſal. 140. §. 4. *Cum hic eſſet, carnem portans oravit, & ex perſona corporis oravit Patrem, &, dum oraret, globi ſanguinis de toto corpore ejus diſtillabant*. Et de Conſenſu Evangeliſtarum lib. 3. cap. 4. §. 12. *Lucas dixit, & orantem ab Angelo confortatum, & prolixius orantis ſudorem fuiſſe ſanguineum, & guttas decurrentes in terram*. Id etiam ex S. Hilario lib. 10. de Trinita-

Digitized by Google

tate §. 41. & ex Beda in Lucam cap. 22. cognoſci poteſt. Sunt hæc verba Bedæ eadem ferme, ac verba Hilarii: *Nemo ſudorem hunc infirmitati deputet, quia & contra naturam eſt ſudare ſanguinem.* (11) Pag. 429. tom. 5.

7. *Comprehenſum & vinctum quo perduxerunt?*

℟. Ad Annam primum, ſeu Annanum ſocerum Caiphæ, deinde ad Caipham ipſum ejus anni Pontificem; (12) Hic Jeſum tamquam nocentem aliquem, & nefarium impiumque hominem interrogavit, ſubornatis teſtibus eum accuſantibus, & aliis omni contumeliarum genere tota nocte reliqua afficientibus; (13) Mane diei inſequentis VIII. Kal. Aprilis, qui dies Veneris ſolemnis Paſchæ erat, cum Sacerdotes, Seniores populi, & Scribæ eum ad mortem dare habito concilio decreviſſent, vinculis conſtrictum in Prætorium ad Pilatum, poſtea juſſu Pilati ad Herodem, rurſus ab Herode ad Pilatum, qui Præſes Romanus Judæam provinciam adminiſtrabat, perduxerunt, *expetentes*, ut ait S. Leo, *executorem magis ſententiæ, quam arbitrum cauſſæ. Offerebant enim*

Matth. XXVI. 57. XXVII. 1. Joan. XVIII. 13. Bar. ad an. 34. §. 70.

(11) Cajetanus in Lucam cap. 22. *Deficiente aquoſitate ſanguinis, quæ eſt materia ſudoris, nonnihil quoque ſanguinis emiſit. Erat enim corpus Jeſu exhauſtum, & magnitudo paſſionum pellens violenter ſudorem pepulit ſimul aliquid ſanguinis, deficiente ſudoris materia.* Vide Franciſcum Collium de ſanguine Chriſti lib. 3. cap. 4. & Auguſtinum Calmet diſſertatione de ſudore Sanguinis Jeſu Chriſti in Evangelium S. Lucæ pag. 418. & Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 26.

(12) S. Chryſoſtomus in Joan. hom. 82. pag. 421. *Quare ad Annam? Ut rem oſtentarent, & tamquam triumphum ducerent.*

(13) *Hæc intelligitur paſſus Dominus uſque ad mane in domo Principis Sacerdotum.* D. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 6. §. 21.

enim Jeſum duris nexibus vinctum, colaphis & alapis frequentibus cæſum, ſputis oblitum, clamoribus prædamnatum, ut inter tot pr judicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus abſolvere. (14)

8. *Quid Chriſto accidit in ædibus Pilati, & Herodis?*

Luc. XXIII. 2. 6. 7. Bar. ad an. 34. §. 78. ℞. Apud Pilatum triplicis criminis reus factus eſt, tum quod perverſa doctrina populum in errores induceret, tum quod Romanis tributa ſolvere prohiberet, tum demum quod regnum affectaret. (15) Poſt hæc Pilatus cum cognoviſſet, Jeſum eſſe Galilæum, ut a negotio tam moleſto ſe expediret, eum ad Herodem Antipam Galilææ Tetrarcham, qui id temporis Paſchæ celebran-

(14) S. Leo ſerm. 57. de paſſione Domini 8. cap. 2.
S. Chryſoſtomus in Joan. hom. 82. pag 423. Τίνος ἕνεκεν αὐτὸν οὐκ ἀνεῖλον, ἀλλ' ἐπὶ τον Πιλάτον ἤγαγον; μάλιστα μὲν τὸ πολὺ τῆς ἀρχῆς αὐτῶν, καὶ τῆς ἐξουσίας ὑπετέτμητο λοιπὸν, ὑπὸ ῥωμαίοις τῶν πραγμάτων κειμένων: *Cujus rei cauſſa ipſum non ſuſtulerunt, ſed ad Pilatum duxerunt? Præcipue quod magna pars imperii eorum, & quod ſupererat dominationis ſuccifum erat, rebus omnibus ſub Romanis poſitis.*
Pontium Pilatum quintum Judææ Præſidem, ſeu Procuratorem conſtituit Tiberius anno Imperii ſui Proconſularis 13. Chriſti 29. Æræ Vulgaris 24. Anno hujus procurationis ſecundo Chriſtus baptizatus eſt, & quinto crucifixus. Adminiſtravit Pilatus Judæam provinciam annos decem. *Erat pervicaci duroque ingenio*, ut ait Philo de Legatione ad Cajum pag. 1034. ubi detegit *ejus crimina, venditatas ſententias, rapinas, injurias, clades, tormenta, cædes indemnatorum, crudelitatem ſæviſſimam*. Viennam Allobrogum ſeu Galliæ in exilium miſſus ibidem ſibi mortem conſcivit. Vide Baronium ad an. 41. §. 20. & annotat. 1. ad cap. VII. De baptiſmo Chriſti.
(15) S. Hieronymus in Matth. cap. 27. pag. 64. *Non poſſum digne admirari pro rei magnitudine, quod redemtis pretio falſis teſtibus, & ad ſeditionem, clamoremque infelici populo concitato, nullam aliam invenerint cauſſam interfectionis ejus, niſi quod Rex Judæorum eſſet.*

Digitized by Google

brandi cauſſa verſabatur Hieroſolymis, miſit, fecitque Herodi pergratum jamdiu cupienti Chriſtum videre. (16) Sed cum Herodes illum de multis interrogaſſet, nec ullum ab eo reſponſum tuliſſet, veluti fatuum ac ſtolidum hominem, illuſum & indutum veſte alba ad Pilatum remiſit. (17)

9. Quid tum Pilatus?

℟. Pilatus ubi vidit, præter ſpem eveniſſe, ut Herodes remitteret Jeſum, id maxime curavit, ut Judæis perſuaderet, ſatis eſſe, ſi Jeſus flagellis caſtigaretur, *ut ejus injuriis Judæi ſatiati ſufficere ſibi exiſtimarent, & uſque ad ejus mortem ſævire deſiſterent*, quemadmodum tract. 116. in Joannem §. 1. loquitur Auguſtinus. (18) *Traditus eſt ita-* Luc. XXIII. 14. 15.

K *que*

(16) Theophylactus in Lucam cap. 23. pag. 528. *Romanorum Legem ſequens Pilatus mittit Dominum ad Herodem. Illa enim cavet, ut unuſquiſque a Principe ſuæ regionis judicetur: ideo & tamquam Galilæum Jeſum mittit Principi Galilææ. Herodes autem gaudebat, non ut animæ ſuæ utile quid lucraretur ex ſpectaculo Jeſu: ſed quia audierat de eo, quod ſapiens eſſet, & mira operaretur, habuit ſtultum deſiderium, laborans curioſitatis morbo etiam ipſe, ut videret alienum hominem, & audiret quid ipſe diceret.*

(17) Græcus D. Lucæ textus cap. XXIII. 11. pro *veſte alba* habet ἐσθῆτα λαμπρὰν, *veſtem candidam, illuſtrem, ſplendidam*. Hujuſmodi ergo veſte induit Herodes Chriſtum, ut derideret eum tamquam majora captu ſuo appetentem, atque ut veſtis illa candida eſſet joculare indicium affectati regni. Etenim non minus candida, quam purpurea veſtis regia erat.

Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 10. de hoc eodem Herode Antipa Chriſti deriſore ita loquitur: *Cum Cæſaream profectus eſſet, ibique die feſto candida ac regia veſte indutus populum e tribunali alloqueretur*. Vide Caſaubonum exercitat. 16. §. 73.

(18) Idem in Pſal. 63. §. 4. *Inſtitit quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret. Nam propterea flagellatum pre-*

que Jeſus militibus verberandus , & illud ſacratiſſimum Corpus , pectuſque Dei capax flagella ſecuerunt, ut ſcribit S. Hieronymus in Commentariis
Pag. 63. ad Evangelium Matthæi cap. 27. (19)

10. *Quomodo flagellatus eſt?*

℟. Sic. Omnino nudus (20) ad columnam liga-

produxit ad eos. Non perſequendo Dominum flagellavit , ſed eorum furori ſatisfacere volens , ut vel ſic jam miteſcerent & deſinerent velle occidere, cum flagellatum viderent.

Sanctus Ambroſius in Luc. lib. 10. §. 97. pag. 1525. *Hic Pilatus abſolvit, ſed abſolvit judicio, crucifixit myſterio.* Pilatus quinquies conatus eſſe eripere Jeſum ex manibus Judæorum legitur in Evangelio, ter apud Lucam cap. XXIII. 4. 20. 22. bis apud Joannem cap. XIX. 4. 12.

(19) Idem S. Hieronymus in eumdem locum S. Matthæi pag. 63. *Sciendum eſt, Romanis eum* (Pilatum) *legibus miniſtraſſe, quibus ſancitum eſt, ut qui crucifigitur, prius flagellis verberetur.*

Beda in Marcum cap. 15. pag. 201. tom. 5. arbitratur, Jeſum flagellis cæſum *non ab alio, quam ab ipſo Pilato:* nimium opinor adhærens verbo *flagellavit*, quo utitur S. Joannes initio capitis XIX.

Lyranus in Joan. cap. 19. dicit , Pilatum flagellaſſe Jeſum *non per ſeipſum immediate, ſed per milites ſuos & miniſtros.* Nempe hic locum habere videtur vulgatum illud Capitis 72. de Regulis juris in 6. *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum.*

(20) Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 36. ſect. 4. *Chriſtus, cum alligatus fuit columnæ, ut flagellaretur, omnium ſententia omnino nudus fuit.*

Maria Virgo ita alloquitur Brigittam lib. 1. Revelat. cap. 10. *Deinde ductus ad columnam perſonaliter ſe veſtibus exuit. Perſonaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici ſine miſericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ... Cumque Filius meus totus ſanguinolentus, totus ſic laceratus ſtabat, ut in eo non inveniretur ſanitas, nec quod flagellaretur, tunc unus concitato in ſe ſpiritu quæſivit: Numquid interficietis eum ſic injudicatum? & ſtatim ſecuit vincula ejus.* Et lib. 4. cap. 70. *Jubente lictore,*

ſe

gatus more Romanorum, non procumbens more Judæorum; (21) nec virgis inſtar hominis libe-

K 2 ri,

ſe ipſum veſtibus exuit, columnam ſponte amplectens reſte ligatur, & flagellis aculeatis, infixis aculeis & retractis, non evellendo; ſed ſulcando totum corpus ejus laceratur.

Poſt hæc ita ſubjicit e veſtigio Lambertinus de Feſtis D. N. Jeſu Chriſti part. 1. §. 248. pag. 108. *Nos nihil ejuſmodi ſcire fatemur cum Lipſio lib. 2. de Cruce cap. 3.* An tale aliquod flagri genus, quo Chriſtus etiam noſter cæſus? Imaginantur, aut pingunt per pietatem nonnulli. Haud ego aſſero: ſed illud Evangeliſtæ, cæſum eſſe, & quidem flagro.

Volunt plerique, Chriſtum cæſum flagellis atque nodoſis funiculis, qui ἀςραγαλωταὶ μάςιγες dicuntur. Apulejus ſub finem libri octavi Metamorphoſ. appellat flagra pecuinis oſſibus catenata. Plura de hac re legi poſſunt apud Alphonſum Paleottum, & Danielem Malloniunt de Stigmatibus Chriſti cap. 5.

Quidam, ut obſervat memoratus Lambertinus de Feſtis D. N. Jeſu Chriſti part. 1. §. 246. pag. 106. *quod Matthæus & Marcus flagellationem ponant ante latam mortis ſententiam; Joannes vero inſuper nonnihil temporis inter utramque interjiciat, binas fuiſſe flagellationes colligunt; alteram ante latam mortis ſententiam; quam ſedando Judæorum odio Pilatus fieri juſſerit; alteram, ut verberum conſuetudo ſervaretur, antequam Crucis ſupplicium executioni mandaretur; quæ eſt Calmeti ſententia in caput 26. Matthæi verſ. 26. Sed nullus eſt in Evangeliis locus, cui duplex flagellatio inniti poſſit; proindeque Sagittarius duplicem flagellationem vehementer rejicit tom. 1. de Paſſ. Chriſti Par. 2. pag. 587. num. 118. itidemque Bineus tom. 3. de Morte Chriſti lib. 3. cap. 4. num. 5. Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 9.* §. Nec quidquam cauſſæ, *& Cardinalis Gottus de verit. Relig. Chriſt. tom. 4. Par. 2. cap. 25. §. 2. num. 8. Quamobrem D. Auguſtini ſententiam amplecti juvat, rejectaque duplici illa flagellatione, Evangeliſtas adhibita Lirani doctrina conciliabimus, qui in Cap. 27. Matthæi ita ſcribit*: Licet iſta flagellatio Chriſti ponatur hic poſt ſententiam Judicis, tamen fuit ante facta, ut habetur Joannis 19. Quare ad hanc intentionem eum præcepit Pilatus flagellari, & illudi, ut Judæi eſſent ſatiati ſanguine ejus, videntes eum ſic punitum etiam ultra condignum, & ideo ponitur hic quaſi per recapitulationem.

(21) Prudentius in Enchirid. tom. 5. Bibl. Patr. pag. 1057.

Vin-

ri, ſed flagellis tamquam ſervus cæſus eſt. (22) Quot vero ictibus cæſus fuerit, certum affirmare non licet. Non enim ut apud Judæos, (23) etiam apud Romanos finitum fuiſſe plagarum numerum, certo ſcimus. Hinc *miniſtrorum immanitate multos ſub ejuſmodi flagellis interiiſſe*, ſcribunt ex Ulpiano Juriſconſulto Baronius ad an. 34. §. 82. & Lipſius De Cruce l. 2. c 3. atque hinc fortaſſe factum, ut Echius 5375. Lanſpergius 5460. Ludolphus 5475. verberibus percuſſum fuiſſe Chriſtum, exiſtimarent. (24) Sed his haud ita facile credendum arbitror, tum quia nihil de plagarum numero Chriſto inflictarum apud antiquos invenio, tum *quia*, ut ait Franciſcus Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 15. ſect. 2. *tot verbera ſufficerent ad necandum hominem; cum ergo Pilatus flagellaret Chriſtum, ne illum necaret, non eſt veriſimile, permiſiſſe, eum tam atrociter ver-*

Vinctus in his Dominus ſtetit ædibus, atque columnæ
Annexus tergum dedit, ut ſervile, flagellis.

Contra vero Judæi proſtratos flagellabant. Deuteronom. cap. XXV. 2. *Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari.*

(22) Baronius ad an. 34. §. 84. *Liberos quidem homines virgis ac fuſtibus, ſervos vero flagellis affici ſolitos, Paulus, Marcellus, Ulpianus, atque Calliſtratus tradiderunt.* Verba Marcelli ſeu potius Macri ſunt hæc in lege 10. ff. de pœnis: *Ex quibus cauſſis liber fuſtibus cæditur, ex iis ſervus flagellis cædi, & Domino reddi jubetur.*

(23) Exſtat lex Deuteronom. cap. XXV. 3. Ictus autem undequadraginta reis infligebant, ſeu humanitatis, ſeu potius religionis cauſſa, quia cum facile poſſent ictu uno excedere, ſatius eſſe putabant infra, quam ſupra numerum verberare. Paulus 2. ad Cor. cap. XI. 24. *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi.* Vide Auguſtini Calmet Diſſertationem de Suppliciis præpoſitam Deuteronomio, pag. 387.

(24) Echius de Chriſti paſſione Act. 4. conſid. 4. Joannes Lanſpergius hom. 50. de Paſſione Dominica, Ludolphus de vita Chriſti part. 2. cap. 58.

verberari. Nihilominus quadragenarium numerum plagas exceſſiſſe, haud equidem negaverim. Nam præterquamquod, ut ſupra dixi, non more Judæorum, ſed Romanorum flagellatus eſt, veriſimillimum mihi videtur, a Judæis, qui aderant, incitatos milites, & data etiam pecunia corruptos, ut Chriſtum crudelius verberarent. (25)

11. *Quid verberationi ſucceſſit?*

℞. Poſt verbera *milites, quia Rex Judæorum* Matth.
fuerat appellatus, & hoc ei Scribæ, & Sacerdotes cap.
crimen objecerant, quod ſibi in populo Iſrael uſur- XXVII.
paret imperium, illudentes hoc faciunt, ut nudatum 27. Marc.
priſtinis veſtibus induant chlamydem coccineam pro XV. 17.
ruſo limbo, quo Reges veteres utebantur: (26) *&* Joan. XIX. 2.
pro diademate ponunt ei coronam ſpineam: pro ſceptro regali dant calamum, & adorant quaſi Regem, (27) ludibrii & crudelitatis ſpectaculum exhibentes. Quibus adde voces improbas, & ſputa, & omnes alias inſanæ multitudinis contumelias. Utrum vero hæc excogitata ſint atque peracta militari licentia ac feritate Pilato inſcio, an Pilati ipſius permiſſu, vel juſſu, neque patet ex Evangelio, neque convenit inter ſanctos Patres. Primum affirmat Tertullianus de corona militis cap. 9. alterum Chryſoſtomus in Joan. hom. 83. Auguſtinus in Joan. tract. 116. §. 2. &

 Leo

(25) Vide inferius poſitam annotationem 28.

(26) Chlamydem, quam Matthæus cap. XXVII. 28. vocat *coccineam*, ideo Marcus cap. XV. 17. *purpuram*, & Joannes cap. XIX. 2. *purpuream* appellat, quod color coccineus purpureum imitetur colorem. Sic Horatius lib. 2. ſatyr. 6. ver. 103. 106. veſtem eamdem dicit *cocco tinctam, & purpuream*.

(27) S. Hieronymus in Matthæum cap. 27. pag. 63.

Leo Magnus ſerm. 59. qui eſt 10. de Paſſione Domini, cap. 2. (28)

12. *Hominem tam fœde laceratum conſpicientes Judæi deſierunt ne eum ad mortem poſtulare?*

Loc. cit. Matth. XXVII. 25. 26. Joan. XIX. 5.

℟. Nihil profecto minus; *ſed pertinax malitia*, ut ait S. Leo, *propriis creſcebat augmentis, & in quem obtinuerat jus illuſionis, exigebat & mortis*. Quin conſpectus ille adeo efferavit animos, ut *clamarent non Jeſum ſibi a Pilato dimitti velle per Paſcha, ſed Barabbam latronem, non ſalvatorem, ſed interfectorem, non datorem vitæ, ſed ademtorem*, (29) atque illud etiam furore abrepti optarent, ut pœna mortis ejus in ſe, & filios ſuos re-

(28) Chryſoſtomi verba ſunt hæc pag. 427. quæ probant id, quod ſupra dixi de militibus pecunia corruptis a Judæis, ut crudelius Jeſum verberarent. Tunc flagellavit eum Pilatus: *Fortaſſe ut ita ſedato Judæorum furore, inde eum dimitteret. Cum enim prius eum liberare non potuiſſet, in hoc ei ſatisfacere arbitratus eſt, ſi verberaret, & ea, quæ tunc facta ſunt in eum, fieri permitteret, ut purpurea veſte circumdaretur, & corona ſpinea ejus capiti imponeretur: ideo ita coronatum ad Judæos eduxit, ut ea ignominia eorum iram, & furorem aliquantulum ſedaret. Et quomodo milites hæc faciebant, ſiquidem non præceperat Pilatus? Ad Judæorum gratiam. Neque enim noctu a Pilato juſſi cum Juda profecti ſunt, ſed pecunia a Judæis allecti omnia audebant... Nos non modo hæc legamus, ſed animo recondamus, hoc eſt coronam ſpineam, veſtimentum, arundinem, alapas, ſputa, irriſiones, quæ frequenter mente repetita ſatis omnem iram ſedare poterunt: & ſi ludibrio erimus, ſi quid injuſte patiemur, frequenter dicamus:* Non eſt ſervus major Domino ſuo: *& allatrantium Judæorum verba nobis ſubeant, cum dixerunt:* Dæmonium habes, & Samaritanus es, & in Beelzebub principe Dæmoniorum ejicis Dæmonia. *Et ideo hæc omnia pertulit, ut ejus veſtigia imitemur, & maledicta perferamus, quæ ipſe graviſſima non ſolum pertulit, ſed omnia fecit, ut ipſos illatores ſalvos faceret, & ad eorum ſalutem Apoſtolos miſit.*

(29) S. Auguſtinus tract. 116. in Joan. §. 1.

recideret. (30) Tum Pilatus & *nomine Cæſaris territus*, ut loquitur S. Leo Serm. 57. cap. 2. *& illorum clamoribus*, *& Herodis Tetrarchæ inſtigatione metuentis*, *ne Regno pelleretur*, *victus*, ut eſt apud Lactantium Inſtitut. lib. 4. cap. 18. furentibus conceſſit, & circa horam diei tertiam Jeſum crucifigendum tradidit. (31)

13. *Damnavit ne Pilatus Jeſum ad crucem*, *an tantummodo crucifigi permiſit?*

℞. Nullam in Jeſum mortis *ſententiam Pilatum protuliſſe*, *ſed tradidiſſe eum Judæis*, *ut ipſi de illo ſecundum legem ſuam judicarent*, ſcribit Lactantius lib. 4. divin. Inſtitut. cap. 18. a quo non diſſentit S. Chryſoſtomus hom. de Eleemoſyna. (32)
At contrarium apparet ex Evangelio. Nam *Pilatus*, ut eſt apud Lucam, *adjudicavit fieri petitionem eorum*, & quidem *ſedens pro tribunali*, ut eſt apud Joannem, quæ utique judicii forma eſt. Adde reſponſum a Judæis datum Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam*. (33) Adde crucis ſup-

Cap. XXIII. 24. Cap. XIX. 13. Joan. XXIII. 31.

(30) S. Hieronymus in Matthæum cap. 27. pag. 63. *Perſeverat uſque in præſentem diem hæc imprecatio ſuper Judæos, & ſanguis Domini non aufertur ab eis.* Etiam nunc Judæorum genus vagum, atque odioſum eſt.

(31) Hora diei tertia cauſſæ a Romanis agebantur, & judicia fieri conſueverunt. Martialis lib. 4. epigram. 8.

Exercet raucos tertia cauſſidicos.

Addictus eſt Chriſtus ſupplicio Crucis tamquam ſeditionis auctor. Hoc enim Pilato inculcabant Judæi apud Lucam cap. XXIII. 5. *Commovet populum*: & apud Joannem cap. XIX. 12. *Qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Seditionis vero auctoribus ſtatuebant leges Romanorum crucis ſupplicium, ut docet Paulus Juriſconſultus lib. 5. ſent. tit. 22.

(32) Num. 2. pag. 251. tom. 3. editionis poſtremæ ſtudio Bernardi de Montfaucon.

(33) D. Thomas 3. part. quæſt. 47. art. 3. ad 3. *Dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit* (Tract. 114. in Joan.)

Ju-

ſupplicium Romanorum, non Judæorum legibus receptum, (34) crucis titulum a Pilato ſcriptum, Jeſum a militibus Romanis crucifixum, crucifixi corpus a Pilato, non a Judæis poſtulatum. Adde etiam rationem illam, quam affert S. Auguſtinus in Joan. tract. 116. *Non eſt enim dictum*, Tunc ergo tradidit eis illum, *ut crucifigerent eum*, *ſed* ut crucifigeretur. *id eſt*, *ut judicio ac poteſtate præſidis crucifigeretur*. Et initio tractatus ſequentis 117. ita ſubjungit, *Judicante*, *ac damnante Pilato pro tribunali Dominum Jeſum Chriſtum*. (35) Quod ſcripſit etiam Cor. Tacitus in Annalibus lib. 15. cap. 44. *Auctor ejus nominis Chriſtus*

Judæi dicentes: Nobis non licet interficere quemquam, *intellexerunt non ſibi licere interficere quemquam propter feſti diei ſanctitatem, quam celebrare jam cœperant. Vel hoc dicebant, ut Chryſoſtomus dicit* (Hom. 87. in Joan.) quia volebant eum occidi non tamquam tranſgreſſorem legis, ſed tamquam publicum hoſtem, quia Regem ſe fecerat, de quo non erat eorum judicare. *Vel quia non licebat eis crucifigere* (*quod cupiebant*) *ſed lapidare*; *quod in Stephano fecerunt*. *Vel melius dicendum eſt*, *quod per Romanos*, *quibus erant ſubjecti*, *erat eis poteſtas occidendi interdicta*. Vide Auguſtinum Calmet in Matth. XXVIII. 2. in Joan. XVIII. 31. & ſuperius poſitam annotat. 14.

(34) Quatuor tantum erant apud Judæos pœnæ capitales, de quibus tum in Sacris Litteris, tum in Rabbinorum ſcriptis mentio fit, lapidatio nimirum, uſtio, decollatio, ſtrangulatio. Talmud in tractatu Sanhedrin cap. 7.

(35) Idem S. Auguſtinus in Pſal. 63. §. 4. *Ille dixit in eum ſententiam, & juſſit eum crucifigi, & quaſi ipſe occidit.*

S. Leo ſerm. 57. qui eſt 8. de Paſſione, cap. 2. *Pilatus judex, quem innocentem pronunciat, damnat, addicens iniquo populo ſanguinem juſti, a quo abſtinendum ſibi & intellectu proprio ſenſerat, & ſomnio uxoris noverat.*

Somnium hoc ei immiſſum a Dæmone, cenſet auctor epiſtolæ ad Polycarpum, ſeu ad Philippenſes, quem credens Ignatium ſequitur Baronius ad an. 34. §. 83. Immiſſum a Deo Origenes, Hilarius, & alii apud Cornelium a Lapide in Matthæum cap. XXVII. 19. quibus addi poteſt S. Athanaſius in epiſtola ad Maximum Philoſophum tom. 1. pag. 918.

ſtus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.

14. *Damnatus ad crucem Jeſus quid primum pati coactus eſt?*

℞. *Traditus Dominus ſævientium voluntati ad irriſionem regiæ dignitatis ſupplicii ſui juſſus eſt eſſe* Matth.
geſtator. (36) Nam ut Matthæus, & Marcus XXVII.
narrant, chlamyde coccinea exutus veſtibus pro- 31.
priis induitur. Spinea corona capiti ablata non Marc.
legitur, ut veriſimile ſit, quod ait Origenes, ſe- XV. 20.
mel impoſitam numquam fuiſſe detractam. (37) Ita crucem in humeros ſuos efferre cogitur (qui mos erat Romanorum) a Prætorio Pilati ad montem *Calvariæ* deportandam. (38) *Ibat ergo ad lo-*

Procle vocatur Pilati uxor a Nicephoro lib. 1. cap. 30. Eamdem *Proculam* dicunt Vincentius Bellovacenſis lib. 7. Speculi Hiſtorialis cap. 41. & falſus Lucius Dexter pag. 21. qui addit, eam in Chriſtum credidiſſe, & ſalutem obtinuiſſe. In numero Sanctorum habitam a Græcis in Menologio, docet laudatus Cornelius a Lapide, ſed diem non notat, neque apud Ferrarium, neque in Menologio Caniſii S. *Procle* aut *Procula* invenitur. Non eſt S. Auguſtini ſermo 150. Appendicis, in quo §. 4. legitur; *Pilatum uxor provocat ad ſalutem*.

(36) S. Leo ſerm. 57. de paſſione Domini 8. cap. 4.

(37) In Matth. tract. 35. pag. 196. & 197. tom. 2. *De chlamyde ſcriptum eſt, quoniam denuo ſpoliaverunt eum chlamydem coccineam: de corona autem ſpinea nihil tale Evangeliſtæ ſcripſerunt, propterea quod & nos quærere voluerunt exitum rei de corona ſpinea ſemel impoſita, & numquam detracta*.

Tertullianus adver. Judæos cap. 13. *Chriſtus lignum humeris ſuis portavit inhærens cornibus crucis, corona ſpinea in capite ejus circumdata*.

(38) Synopſis Criticorum, aliorumque Sacræ Scripturæ interpretum in Matth. cap. 27. pag. 673. *Cum jam ante Chriſtus ipſe patibulum tuliſſet per Urbem, ut Pilatus loquitur Joan. 19. 17. more haud dubie Romano, juxta quem, ut jam*

locum, ubi fuerat crucifigendus, portans crucem ſuam Jeſus. Grande ſpectaculum! ſed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium! ſi pietas, grande myſterium! ſi ſpectet impietas, grande ignominiæ documentum! ſi pietas, grande fidei munimentum! (39) Sed cum ille jejuniis, vigiliis, verberationibus confectus, ac pæne exanimis tot acceptis ſpinarum vulneribus oneri ſuccumberet, obvium quemdam hominem Cyrenæum nomine Simonem arripuerunt, qui *tolleret crucem ejus*, eamque ſolus deferret. (40)

15. *Quid*

jam omnibus notum, ὁ μέλλων (σταυρῷ, *ut addit Ham.*) προσηλῶσθαι πρότερον αὐτὸν ἐβάσταζε, qui cruci affigendus erat, crucem prius portabat. *Sic Plutarchus de ſera Numinis vindicta*: ἕκαστος τῶν κακούργων ἐκφέρει τὸν αὐτὸν σταυρόν. *Hinc nomen Furcifer proverbiale factum. Sic Nonius ex Plauto*: Patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci.

Calvariæ mons, ſeu potius tumulus, poſitus eſt inter Occidentem, & Septemtrionem Urbis Hieruſalem. Deſtinatus erat ſontibus extremo ſupplicio afficiendis, Judæorum, & Romanorum more, quibus ad hæc locus ſolebat eſſe extra Urbem. Unde ei inditum Calvariæ nomen, parum convenit. Nam alii ſic dictum exiſtimant ab Adami primi omnium parentis calvaria, ſeu capite ibidem ſepulto: alii a calvariis, ſeu capitibus decollatorum, quæ ibidem ſæpius projiciebantur inhumata. Utramque ſententiam concilies, ſi dicas ita appellatum ſimul ob calvariam Adami, ſimul ob calvarias decollatorum. Vide Baronium ad an. 34. §. 12. Caſaubonum exercitat. 16. §. 82. & Lambertinum de Feſtis D. N. Jeſu Chriſti part. 1. §. 271. pag. 117.

(39) S. Auguſtinus in Joan. tract. 117. §. 3.

B. Virgo apud S. Brigittam lib. 1. Revelat. cap. 10. *Eunte Filio meo ad locum paſſionis, alii percuſſerunt eum in collo, alii in faciem exciderunt*. Sontes, dum traherentur ad ſupplicium, fuiſſe vexatos, & ſtimulis etiam actos, docet Lipſius lib. 3. de Cruce cap. 6.

(40) Ethnicus ne fuerit, an Judæus ambigitur. Ethnicum faciunt non pauci ex antiquis Patribus, Judæum recentes plerique interpretes, qui pariter volunt oriundum ex Cyrene in Lybia, & coactum a militibus ſuccedere in onus Chriſti, inſtigantibus Judæis, quod ſcirent eum Chriſto favere.

So-

15. *Quid vero poſtea?*

℞. Ubi ventum ad Calvariam, *dederunt ei vinum*

Solus crucem Chriſti geſtavit: S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 10. §. 37. *Cui*, Simoni, *poſtea data eſt Crux portanda uſque ad locum*.

S. Hieronymus in Matth. cap. 27. pag. 63. *Intelligendum eſt, quod egrediens de Prætorio Jeſus, ipſe portaverit Crucem ſuam, poſtea obvium habuerint Simonem, cui portandam Crucem impoſuerint*.

S. Leo ſerm. 57. qui eſt 8. de Paſſ. Dom. cap. 4. *Euntibus cum Jeſu turbis ad locum pœnæ, Simon quidam Cyrenæus inventus eſt, in quem lignum Crucis transferretur a Domino*. Quod legitur etiam apud S. Brigittam lib. 1. Revelat. cap. 10. & lib. 4. cap. 70. ubi hanc ſententiam pluribus confirmat Conſalvus Durantus annotat. 5.

Idem docet Hyacinthus Serry exercitat. 53. §. 2. Sed quod, ut rem amplius confirmet, ad extremum ſubjungit, verbum Græcum *αἴρειν*, quod vulgatus interpres vertit *tolleret*, non *ſolum oneris lationem*, *ſed oneris ex uno in alterum translationem ſignificare*, id nulla nititur Lexicorum fide. Quod ſi quando Evangeliſtæ utuntur verbo *αἴρω tollo* ad explicandam translationem ab uno in alterum, non eo ſolum utuntur; addunt aliquid, quod id ipſum aperte ſignificet. Matthæus cap. XXV. 28. Ἄρατε οὖν ἀπ' αὐτοῦ τὸ τάλαντον, καὶ δότε τῷ ἔχοντι τὰ δέκα τάλαντα: *Tollite itaque ab eo talentum, & date habenti decem talenta*. Itaque exiſtimo, Patres Græcæ Linguæ ſcientiſſimos Origenem, Athanaſium, Hieronymum non eo dixiſſe, Simonem Cyrenæum ſolum geſtaſſe Crucem a Chriſto Domino in ſe translatam, quod id aperte ſignificet verbum *αἴρω*, ſed ideo potius, quod ſecuti ſint D. Lucam ſcribentem cap. XXIII. 26. Ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σταυρὸν φέρειν ὄπισθεν τοῦ Ἰησοῦ: *Impoſuerunt ipſi Crucem portare poſt Jeſum*.

Pictores effingunt Chriſtum geſtantem priorem partem Crucis, Simonem vero poſteriorem. Vide Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 26. ſect. 2.

S. Irenæus lib. 1. adver. Hæreſes cap. 23. & S. Epiphanius hær. 24. §. 3. referunt, hunc inter alios fuiſſe errorem Baſilidis, Chriſtum Dominum cruce in Simonem translata clam ſubduxiſſe ſe Judæis, & Simonem pro Chriſto ab illis crucifixum. In eamdem inſaniam incidiſſe etiam Lucium Carinum, ſcribit Photius in Bibliotheca cod. 114. pag. 291.

Cap. XXVIII. 34. Cap. XV. 23. *num bibere cum ſelle mixtum*, ut refert Matthæus, *myrrhatum vinum*, ut Marcus. Hinc fuerunt viri clariſſimi, qui exiſtimarent, duplex vini genus Chriſto oblatum, & de altero apud Matthæum, de altero apud Marcum eſſe mentionem, illud ex odio exhibitum, hoc ex miſeratione, illud utpote cum felle mixtum guſtaſſe ſolum, hoc utpote ſuave & perjucundum accepiſſe quidem, ut ait S. Marcus, ſed non guſtaſſe, quia oblatam quamlibet conſolationem recuſavit. At D. Auguſtinus De conſenſu Evangel. l. 3. cap. 11. §. 38. cujus auctoritate quiſque facile moveri ſe patiatur, de uno eodemque potu loqui utrumque Evangeliſtam cenſet, docens vinum, quod Marcus dixit *myrrhatum*, Matthæum dixiſſe *cum felle mixtum: fel quippe pro amaritudine poſuit; myrrhatum enim vinum amariſſimum eſt: quamquam fieri poſſit, ut & fel & myrrha vinum amariſſimum redderent. Quod ergo ait Marcus*, non accepit, *intelligitur* non accepit *ut biberet. Guſtavit autem, ſicut Matthæus teſtis eſt, ut quod idem Matthæus ait*, noluit bibere, *hoc Marcus dixerit*, non accepit, *tacuerit autem, quod guſtaverit*. Sequitur Auguſtinum Beda in Evangelium Marci cap. 15. (41) Pag. 202. tom. 5.

16. Ductus ne eſt ad Calvariam præcedente Titulo, qui cauſſam mortis ejus indicaret?

℟. Eſt inter peritiſſimos homines ſumma ea de re conſenſio: quia moris fuit Romanorum, ut ſonti plectendo præferretur titulus, ſeu inſcriptio index criminis, propter quod plectebatur. (42) Con-

(41) Vide Baronium ad an. 34. §. 95. & Jacobum Gretſerum Diſputat. de Vino Myrrhato, quæ eſt in Mantiſſa ad Tomum primum de Sancta Cruce.

(42) Suetonius in Caligula cap. 32. *Romæ publico epulo ſervum ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confeſtim*

Conſtat autem ex Evangelio, eumdem Titulum & cruci impoſitum, & ſcriptum fuiſſe Hebraice, Græce, & Latine, quo facilius crudeliſſimi teterrimique ſupplicii cauſſa omnibus innoteſceret. *Hæ quippe tres linguæ*, ut ait S. Auguſtinus in Joan. tract. 117. §. 4. *ibi præ ceteris eminebant: Hebræa propter Judæos in Dei lege gloriantes, Græca propter Gentium ſapientes, Latina propter Romanos multis ac pœne omnibus jam tunc gentibus imperantes*. Hinc Prudentius in Apotheoſi ver. 383.

Fronte crucis Titulus ſit triplex, triplice lingua,
Agnoſcat Judæa legens, & Græcia norit,
Et venerata Deum percenſeat aurea Roma. (43)

17. *Titulus hic quibus verbis exaratus erat?*

℟. His apud Matthæum cap. XXVII. 37. *Hic eſt Jeſus Rex Judæorum:* apud Marcum cap. XV. 26. *Rex Judæorum:* apud Lucam cap. XXIII. 38. *Hic eſt Rex Judæorum*: & apud Joannem cap. XIX. 19. *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*. *Itaque*, ait

ſtim tradidit, ut manibus abſciſſis, atque ante pectus e collo pendentibus, præcedente titulo, qui cauſſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Similia habet in Domitiano cap. 10. Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 1. de Attalo martyre per amphitheatrum circumducto: *Præcedente ipſum tabella, in qua Latino ſermone inſcriptum erat*: Hic eſt Attalus Chriſtianus. Vide Gretſerum de Cruce lib. 1. cap. 28. 29. 30. & Auguſtinum Calmet in Matthæum cap. XXVII. 37.

(43) S. Chryſoſtomus in Joan. hom. 84. pag. 432. Scripſit autem & titulum Pilatus, *cum ut Judæos ulciſceretur, tum ut Chriſtum excuſaret. Nam cum tamquam pravum tradidiſſent, & ſententiam hanc latronum ſocietate confirmare vellent, ne quis tam turpem mortis notam inurere, & tamquam malum & perditum eum accuſare poſſet, ut calumniantium os obſtrueret, in Regem ſuum inſurrexiſſe denunciat, & tamquam trophæo cuipiam litteras inſculpſit, clara voce & victoriam & regnum profitentes, quamvis non perfecte*.

In Matth. XXVII. 37. ait Maldonatus, *cum omnes Evangeliſtæ tituli ſententiam expreſſerint, nemo tamen eorum videtur omnia Tituli verba poſuiſſe. Ex omnibus autem hæc fuiſſe verba, colligere nobis licet*: Hic eſt Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. E contrario Janſenius in Pag. 1035. Concordia Evangelica cap. 143. Baronius ad an. 34. §. 119. Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 28. aliique nec pauci nec ignobiles, quos recenſet Nicquetus in hiſtoria Tituli S. Crucis cap. 8. ajunt, omnia Tituli verba ab Joanne relata fuiſſe. (44)

18. *Eſt ne affixus cruci erectæ, an humi poſitæ?*

℟. Ex antiquis Patribus nihil habeo certi: ita enim loquuntur, ut poſſint duci in partem utramque. (45) Doctiſſimi inter recentiores Gretſerus lib. I. de Cruce cap. 11. Suarez in 3. part.

D.

(44) V. adnotationem 13. cap. 15.

Idem Nicquetus cap. 11. *Ex ſolo Evangeliſtarum Lucæ, & Joannis textu non liquet, quo ordine ſcriptæ linguæ fuerint.* Erat autem, *inquit Lucas*, & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: *At Joannes*: Erat autem ſcriptum Hebraice, Græce, & Latine. *Uter ex duobus ordinem verum retulit? Pars Tituli, quæ Romæ ſervatur, hoc Joannem feciſſe planum facit; infima eſt enim Latina, ſuperior Græca, Hebræa ſuprema.* Hujus ordinis cauſſam aliam alii afferunt, ut legere eſt apud eumdem Nicquetum.

Baronius loc. cit. *In ipſius ordine nobilior locus ac proinde prior ille viſus; qui Chriſto vicinior eſſet: ſicque Latina prior, noviſſima vero Hebraica, ut quæ Græca inferior & barbara a Romanis haberetur.*

S. Joannes Chryſoſtomus hom. 84. pag. 432. *Latronum Cruces titulum non habebant.*

(45) Alfonſus Salmeron tom. 10. Commentariorum in Evangelicam Hiſtoriam, tract. 35. de Crucifixione Domini pag. 295. poſtquam retulit eorum ſententiam, qui putant, Chriſtum affixum Cruci humi poſitæ, ita ſubjicit e veſtigio: *Idcirco in die Veneris Sancti ad hujus rei memoriam Crucem in terra proſtratam adoramus.*

D. Thomæ tom. 2. diſputat. 36. ſect. 3. aliique rem in medio relinquunt. Lipſius lib. 2. de Cruce cap. 7. ſæpius in crucem erectam, quam humi poſitam ſontes agi conſueviſſe, exiſtimat, quicum ſentit Bynæus lib. 3. de morte Chriſti cap. 6. Nicquetus in hiſtoria Tituli ſanctæ Crucis lib. I. cap. 19. aliique Sacrarum Litterarum interpretes. Quare Chriſtum erectæ affixum potius credam, præſertim ob D. Bonaventuræ auctoritatem, qui id verbis clariſſimis confirmat cap. 78. Meditat. vitæ Chriſti. (46)

Pag. 388. tom. 6.

19. Eſt ne affixus omnino nudus?

℟. Chriſtum omnino nudum in crucem ſublatum

(46) Synopſis Criticorum in Matth. cap. 27. pag. 674. 675. *Crucifixionis modum hunc fuiſſe tradunt, ut ambæ manus brachiis expanſis in ligno Crucis tranſverſo clavis affigerentur, ut conſtat ex Luc. 24. 39. & Joan. 20. 25. 27. & Joan. 21. 18. ambo vero pedes ligno cuidam ab haſta ſeu erecto ligno crucis juſto loco prominenti velut baſi inſiſtentes, & juxta ſe mutuo poſiti itidem clavis affigerentur.* Ex quo liquet, Chriſtum quatuor clavis crucifixum. Vide cap. XV. Interrog. 14.

Theodoretus in Pſal. 21. n. 18. *Hoc autem*, dinumeraverunt omnia oſſa mea, *hoc ſignificat, quoniam ſic me diſtenderunt crucifigentes, ut facile foret cuilibet oſſa enumerare.*

S. Joannes Damaſcenus edit. Michaelis Lequien lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 12. *Dominus cum in cruce penderet, verſo ad occaſum vultu erat, eaque de cauſſa ita adoramus, ut in eum oculos intendamus.* Vide Lucam Tudenſem lib. 2. adver. Albigenſes cap. 12. in Bibl. Patr. Lugdunenſi tom. 25. pag. 226.

Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 21. *Alii probabilius exiſtimant, Chriſtum affixum Cruci adhuc humi jacenti, quia, ut multi teſtantur, in Terra ſancta demonſtratur locus, in quo Crux eſt infixa terræ. Deinde quia ſententia hæc eſt convenientior piorum cogitationibus & meditationibus de paſſione Domini. Tertio quia modus hic figendi multo eſt facilior & expeditior, quam ſi corpus jam Cruci erectæ affigatur. Res tamen definiri certo nequit, cum Scriptura neque de hoc, neque de illo crucifigendi modo aliquid clare & perſpicue tradat.*

Pag.1527. tum fuiſſe, docent veteres Patres. Nam S. Ambroſius in Lucam lib. 10. §. 110. *Refert*, inquit, *conſiderare, qualis* crucem *aſcendit. Nudum video. Et talis aſcendit, quales nos auctore Deo natura formavit: talis in Paradiſo primus homo habitavit, talis ad Paradiſum homo ſecundus intravit.* Et e-
Pag. 915. narrat. in Pſalm. 43. §. 69. Tota die, *inquit*, confuſio mea contra me eſt. *Quæ autem confuſio Chriſti, niſi crux, quod nudus pependit in ea?* In ſententiam præceptoris ſui ivit S. Auguſtinus tum lib. 16. de Civit. Dei cap. 2. §. 2. tum lib. 12. contra Fauſtum cap. 23. ubi Chriſtum Dominum cruci affixum comparat cum Noe domi ſuæ nudato. Quod idem ſcriptum eſt a D. Cypriano in epiſtola 63. ad Cæcilium. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 20. Myſtagogica 2. §. 2. *Exuti*, ait, *nudi fuiſtis, in hoc quoque nudatum in cruce Chriſtum imitantes*. Sanctus quoque Bonaventura loco ſupra memorato dicit, Chriſtum *nudum fuiſſe tunc tertia vice coram tota multitudine, renovataſque fracturas per pannos carni applicatos*. Præterea morem fuiſſe, ut rei omnino nudi agerentur in crucem, docet Lipſius lib. 2. de Cruce cap. 7. Jure igitur ac merito ſententia hæc etiam viro piiſſimo Franciſco Suarez videtur probabilior. (47) Nolim tamen pictoribus ſuccenſeas, quod Chri-

(47) In 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſput. 36. ſect. 4. Conſentit Lorinus in Pſal. XXI. 18. & Auguſtinus Calmet in Matthæum cap. XXVII. 35.

Abulenſis Paradox. 5. cap. 42. apud citatum Lorinum putat, Chriſtum Dominum crucifixum, ac ſepultum cum femoralibus, *quia nemo tam durus foret, ut immemor humanæ verecundiæ hæc auderet detrahere*. Vide Lambertinum de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. ult. num. 17.

S. Auguſtinus in Joan. tract. 36. §. 4. *Creator hominis homo eſſe dignatus eſt. Factus eſt, qui fecerat, ne periret, quem fecerat. Quid huic miſericordiæ addi poteſt? Et tamen addidit. Parum fuit hominem fieri, ſed voluit etiam ab hominibus repro-*

Chriſtum & de cruce pendentem, & ad columnam cæſum, & in Jordane baptizatum velo tectum effingant. Pudori enim atque honeſtati conſulunt, quamvis hiſtoriæ veritati contradicant.

20. *Quo anno cruci affixus eſt?*

℞. Anno Orbis conditi 4034. Periodi Julianæ 4744. Olympiadis CCII. I. Urbis conditæ 782. Æræ Vulgaris 29. duobus Geminis Conſulibus, & anno Tiberii 18. ex quo Imperii collega ſenatus auctoritate ab Auguſto aſſumtus fuerat, anno autem 15. ex quo ſolus poſt mortem Auguſti cœperat imperare. (48) Aliud alii cenſent.

probari. Parum fuit reprobari, & exhonorari: parum erat exhonorari, & occidi: ſed & hoc parum eſt, morte crucis. Nam & cum ejus obedientiam uſque ad mortem factam commendaret Apoſtolus, parum illi fuit dicere: Factus obediens uſque ad mortem; *non enim qualemcumque mortem, ſed addit:* mortem autem crucis. *Illa morte pejus nihil fuit inter omnia genera mortium. Denique ubi dolores acerrimi exagitant,* cruciatus *vocatur a cruce nominatus. Pendentes enim in ligno crucifixi, clavis ad lignum pedibus manibuſque confixi, producta morte necantur. Non enim crucifigi hoc erat occidi, ſed diu vivebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, ſed quia mors ipſa protendebatur, ne dolor citius finiretur. Mori voluit pro nobis: parum dicimus: crucifigi dignatus eſt, uſque ad mortem crucis obediens factus. Elegit extremum & peſſimum genus mortis, qui* omnem fuerat ablaturus mortem. *De morte peſſima occidit omnem mortem.*

Sozomenus lib. 1. cap. 8. *Supplicium crucis, quod apud Romanos antea erat uſitatum, lege lata ſuſtulit* Conſtantinus Magnus Imperator. S. Auguſtinus in Pſal. 36. ſerm. 2. §. 4. *Cum ſub antiquis ſcelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Honorata eſt & finita.* Vide Lipſium de Cruce lib. 3. cap. 14.

(48) Vide annotat. 1. ad cap. 7. de Baptiſmo Chriſti & Antiquitatem Eccleſiæ illuſtratam ab Emmanuele Schelſtrato tom. 1. diſſertat. 1. cap. 4.

21. *Quo die?*

Bar. ad an. 34. §. 153. ℞. Dies quoque variat apud auctores. Duodecim inter ſe diſſidentes opiniones numerat Ricciolius lib. 8. Chronologiæ Reformatæ cap. 10. (49) Quartam ex eo numero, quæ in diem Veneris 25. Martii & 15. Lunæ menſis Niſan mortem Chriſti refert, apud antiquiſſimos Patres reperio. S. Juſtinus Apologia 2. *Pridie Saturni diei ille in crucem actus eſt, & poſtridie ejuſdem, qui ſcilicet Solis eſt dies, Apoſtolis & Diſcipulis ſuis apparuit*. S. Irenæus lib. 5. adverſus hæreſes cap. 23. *Paraſceve, quæ dicitur Cœna pura, id eſt ſexta feria, quam & Dominus oſtendit paſſus in ea*. Theophylactus in Matth. cap. 27. *Cum autem ſexta hora homo formatus ſit, & ſexta hora de ligno comederit (hæc enim eſt hora comeſtionis) Dominus reformans hominem, & lapſum ſanans, ſexta die, & ſexta hora ligno affigitur*. Tertullianus in libro adverſus Judæos cap. 8. *Paſſio hujus exterminii intra tempora ſeptuaginta hebdomadarum perfecta eſt, ſub Tiberio Cæſare, Coſſ. Rubellio Gemino, & Fuſio Gemino, menſe Martio temporibus Paſchæ, die octavo Kalendarum Aprilium, die prima Azymorum*. S. Gaudentius Brixiæ Epiſcopus ſerm. 1. *Sexta feria, qua hominem fecerat, pro eodem paſſus eſt*. Et S. Auguſtinus epiſt. 36. cap. 13. §. 30. *Paſſus eſt Dominus, quod nullus ambigit, ſexta Sabbati: quapropter & ipſa ſexta jejunio deputatur*. Et lib. 4. de Trinitate cap. 5. §. 9. *Sicut a majoribus traditum ſuſcipiens Ec-*

Pag. 99.

(49) Prima vult, Chriſtum paſſum die 20. Martii: Secunda die 23. Tertia die 24. Quarta die 25. Quinta die 26. Sexta die 29. Septima die 30. Octava die 2. Aprilis: Nona die 3. Decima die 6. Undecima die 11. Duodecima die 16.

Eccleſiæ cuſtodit auctoritas, octavo Kal. Aprilis conceptus creditur; quo & paſſus. Et lib. 18. de Civit. Dei cap. 54. §. 1. *Mortuus eſt ergo Chriſtus duobus Geminis Conſulibus octavo Kal. Aprilis*. Quod ſcribit etiam in libro de diverſis quæſtionibus octoginta tribus quæſt. 56. His accommodat ſe Beda de ratione temporum cap. 45. ubi cum dixiſſet; *ſexta feria crucifixum; ac ſepultum*, ſubjungit hæc: *Quod autem VIII. Kalendarum Aprilium crucifixus VI. Kalendarum earumdem die reſurrexerit, multorum late doctorum Eccleſiaſticorum conſtat ſententia vulgatum*. Eadem tradit S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 6. Etymolog. cap. 17. Caſſiodorus in Chronico, Martyrologium Hieronymianum illuſtratum a Florentinio, Martyrologium Romanum vetus editum a Roſvveido. (50) Opinionem hanc, quæ una cum ſæculis inveteravit, demum ſæculo Chriſti XIII. exeunte Rogerius Bachonus, & proxime inſequente Alfonſus Toſtatus, rationes Aſtronomicas ſecuti, in primis oppugnarunt, docentes Chriſtum die tertio Aprilis crucifixum. Ob id tamquam ambiguæ fidei vir ſuſpectus habitus eſt Bachonus, teſte Lu-

(50) P. Henri. Philippe *in quæſtionibus Chronologicis de annis nati & paſſi Chriſti* cap. 19. colligit recentes auctores non ignobiles amplius triginta, qui Chriſtum VIII. Kal. Apriles crucifixum probant. Et Honoratus a S. Maria tom. 2. Animadverſionum in Regulas & uſum Critices diſſert. 1. art. 7. oſtendit, tabulas Aſtronomicas, quas adverſarii tantopere urgent, inter ſe diſſidere, ac proinde ex iis nihil certi effici poſſe.

Quod ante ipſum docuit Petavius de doctrina Temporum lib. 12. cap. 11. ubi ita concludit: *Deſinant itaque Chronologi in anno dieque Paſſionis eruendo Mathematicorum calculis, Noviluniorum, & Pleniluniorum minutis ac ſcrupuloſis ratiociniis ſibi ac lectoribus ſuis negotium facere. Quo in genere nimia ſane* περιεργία Curioſitas *quorumdam extitit: ſed in primis Pauli Foroſempronienſis, & ante hunc Abulenſis, poſt vero Joannis Lucidi, atque Scaligeri*.

ca Wadingo de Scriptoribus Ordinis Minorum: Toſtatus vero in judicium vocatus atque damnatus; qua de re fuſe Joannes Mariana lib. 21. de rebus Hiſpaniæ cap. 18. (51)

22. *Quota hora?*

Cap. XV. 25. Cap. XIX. 14. Bar. ad an. 34. §. 162.

℞. *Erat hora tertia*, inquit S. Marcus, *& Crucifixerunt eum:* Joannes autem, *erat Paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta*. Utrumque verum. Alter reſpicit finem horæ tertiæ in meridiem deſinentis, alter initium ſextæ a meridie incipientis. Tunc enim quatuor præſertim horas numerabant, *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *& Nonam*, ſingulas conſtantes horis tribus modo longioribus, modo brevioribus juxta diverſam anni tempeſtatem. *Prima* inchoata ab ortu Solis durabat uſque ad horam diei tertiam: inde *Tertia* uſque ad meridiem, & horam diei ſextam: a meridie incipiebat *Sexta*, & tribus poſt meridiem horis *Nona*, quæ hora diei duodecima, & occidente Sole finiebatur, unde noctis vigiliæ pariter quatuor ducebant exordium. Itaque Marcus horam Crucifixionis Chriſti ex fine vocavit *Tertiam*, Joannes autem ex initio *quaſi Sextam*. (52) Ex quo apparet

(51) Alfonſus Toſtatus, qui Abulenſis dicitur, enunciata quædam Senis in Hetruria publico certamini expoſuit. Unum erat: *Chriſtum vigeſima quinta die Martii non eſſe mortuum, ſed tertia Aprilis, idque anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio non completo, ſed ineunte*. Hinc offenſionem erroris non vitavit, & multorum animos ita commovit, ut de Religione poſtularetur. Res juſſu Eugenii IV. qui tunc Senis cum tota Curia morabatur, ad judices delata, qui Abulenſem condemnarunt. Qui ut ſe purgaret, & omnem erroris ſuſpicionem a ſe removeret, *Defenſorium trium concluſionum* edidit.

(52) S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 13. Et in Joan. tract. 117. §. 1. *Hora tertia crucifixus eſt*

paret, Chriſtum Dominum in crucem actum fuiſſe ſub meridiem, ideoque ſub finem horæ, quæ nunc Italis duodeviceſima, & Tranſalpinis duodecima nuncupatur.

23. *Quot horis completur tota Chriſti paſſio?*

℟. Horis quindecim. Die Jovis, media circiter nocte, ut ſupra dixi Chryſoſtomo & Auguſtino auctoribus, dum oraret in horto Gethſemani, comprehenſus eſt. Ad Annam primum, atque inde ad Caipham perductus, in cujus aulam intromiſſus Petrus ter illum negavit ante gallicinium, quod noctem mediam ſequitur. Mane diei inſequentis, qui dies Veneris erat, quintus & viceſimus menſis Martii, e domo Caiphæ Pontificis ad Pilati Romani Præſidis prætorium ducitur. A Pilato ad Herodem mittitur, ab Herode rurſus ad Pilatum. Tum flagellis cæditur, ſpi-

eſt Dominus linguis Judæorum, hora ſexta manibus militum. Idem utrobique narrat, alios aliter interpretari. Vide Thomæ Ittigii Hiſt. Eccl. ſelecta capita ſæc. II. cap. 3. ſect. 2. §. 24. pag. 127.

Horum ſententiam, uſus fere verbis Auguſtini, ita coarctavit D. Thomas 3. part. quæſt. 46. art. 9. ad 2. *Quamquam non deſunt, qui per Paraſceven, quam Joannes commemorat dicens:* Erat Paraſceve hora quaſi ſexta, *horam diei tertiam velint intelligi. Paraſceve quippe interpretatur præparatio. Verum autem Paſcha, quod in Paſſione Domini celebratur, incepit præparari ab hora noctis nona, quando ſcilicet omnes principes Sacerdotum dixerunt:* Reus eſt mortis. *Ab illa ergo noctis hora uſque ad Chriſti Crucifixionem occurrit hora Paraſceves ſexta ſecundum Joannem, & hora diei tertia ſecundum Marcum.*

Rurſus alii alio modo nodum ſolvunt, ut videre licet in Synopſi Criticorum ad Evangelium Marci cap. 15. pag. 826. 827. in commentariis Toleti ad Evangelium Joannis cap. 19. annotat. 8. & Auguſtini Calmet ad Evangelium Matthæi cap. XXVII. 45.

ſpinis coronatur, modis omnibus illuditur, (53) & hora diei tertia, nobis nunc decima quinta, aliis nona matutina, a Pilato ſedente in tribunali mortis ſententia in ipſum profertur. Tres inſequentes horas uſque ad meridiem conſumſit deductio Chriſti extra Urbem ad montem Calvariæ, apparatus crucifixionis, crucifixio. Etenim *dum pergit*, ut ait S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 13. §. 46. *& dum crucifigitur cum duobus latronibus, dum veſtes ejus dividuntur, & in ſortem illa tunica mittitur, atque inter hæc variis conviciis illuditur (ſimul enim cum illa gererentur & convicia jaciebantur) completa eſt hora ſexta*. Eo ſuſpenſo atque affixo, Sol repente *retraxit radios ſuos, & pendentem in cruce Dominum ſuum ſpectare non auſus eſt*, (54) & ab hora ſexta uſque in nonam, quæ juxta morem noſtrum eſt vigeſima prima, tenebræ fuerunt, quibus diſcuſſis exclamavit ad Deum voce magna, & ultro ſpiritum poſuit. (55)

24. *Quot*

(53) Euthymius in Matth. cap. 67. tom. 19. Bibl. Patr. pag. 588. *Conſidera totum Salvatoris corpus injuriis affectum. Caput quidem per ſpineam coronam, & arundinis percuſſionem, faciem per ſputa, maxillas autem per alapas, os vero per fel & acetum, aures per blaſphemias, collum per colaphos, dorſum & pectus flagellis & verberibus, manus autem & pedes clavis, latus vero lancea, veluti ſcribit Joannes, ceteras quoque partes chlamyde ac nuditate, &, ut ſemel dicam, totum corpus, quod in cruce ſpectaculo eſt expoſitum.*

(54) Hieronymus comment. in Amos lib. 3. cap. 8. pag. 121.

(55) S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 89. pag. 737. *Hoc eſt illud, quod dixerat:* Poteſtatem habeo ponere animam meam, & poteſtatem habeo rurſus ſumere eam. *Idcirco enim magna voce clamavit, ut oſtenderet ſua hæc poteſtate fieri.*

S. Auguſtinus in Joan. tract. 119. §. 6. *Quis ita dormit, quando voluerit, ſicut Jeſus mortuus eſt, quando voluit? Quis ita veſtem ponit, quando voluerit, ſicut ſe carne exuit, quando*

24. *Quot & quænam fuerunt Chriſti e cruce pendentis voces?*

℟. Septem fuerunt: quatuor recenſentur a Matthæo, Marco, & Luca, tres a Joanne. Prima illa fuit, qua præſtans re, quod docuerat verbo, *inter ipſas injurias non verborum, ſed mortis illatæ*, (56) petiit a Patre, ut iis ignoſceret, qui pœnarum omnium, quas pertulit, auctores & miniſtri fuerunt: *Pater dimitte illis, non e-* Luc. XXIII. 34. 43.
nim

do voluit? Quis ita cum voluerit, abit, quomodo cum voluit, obiit? Quanta ſperanda, vel timenda poteſtas eſt judicantis, ſi apparuit tanta morientis?

S. Bernardus in ſermone de paſſione Domini, feria 4. hebdomadæ ſanctæ, §. 4. pag. 892. *Propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos Deus, ut ſervum redimeret, nec Pater filio, nec ſibi Filius ipſe pepercit.* Majorem, *inquit*, caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. *Tu majorem habuiſti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici eſſemus, per mortem tuam & tibi reconciliati ſumus, & Patri. Quænam ergo alia videbitur eſſe vel fuiſſe vel fore huic ſimilis caritati? Vix pro juſto quis moritur, tu pro injuſtis paſſus es, moriens propter delicta noſtra, qui veniſti juſtificare gratis peccatores, ſervos facere fratres, captivos coheredes, exules reges.*

Theophylactus in Matth. pag. 176. *Tenebræ factæ non erant juxta naturæ ordinem ex eclipſi ſolis naturaliter facta. Neque enim quando eſt decima quarta luna, fit ſolis deliquium: cum autem crucifigeretur, omnino decima quarta luna erat. Paſcha enim Hebræorum tunc fiebat, unde ſuper naturam erant. Erant autem in toto mundo, non in parte mundi, ſicut in Ægypto: ut monſtretur, quod lugeat in paſſione conditoris creatura, & quod a Judæa lux receſſerit, Judæi quoque petentes ſignum e Cœlo, nunc videant, ſolem obtenebrari.*

De tenebris in morte Chriſti habes Diſſertationem Auguſtini Calmet Evangelio Matthæi præpoſitam, & plura apud Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 25. num. 5.

(56) S. Auguſtinus Enarrat. in Pſal. 85. §. 20.

enim ſciunt quid faciunt. (57) Secunda illa, quam dixit latroni *homini pœnaliter pendenti*, *& ſalubriter confitenti:* Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiſo. Nempe *etiam ipſo die cum illo in paradiſo eſſe poterat*, *unde ille*, *qui ubique ſemper eſt*, *non receſſerat*. (58) Tertia illa, qua Matrem ſuam, & Joannem Apoſtolum affatus juſſit, ut altera alteri mater, & alter alteri filius

Joan. XIX. 26. 27. Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 34.

eſſet: *Mulier*, *ecce filius tuus*, & ad diſcipulum converſus, *Ecce Mater tua*, docens exemplo ſuo, *ut a filiis impendatur cura parentibus*. (59) Quarta eſt ingens illa vox, *Deus meus*, *Deus meus*, *ut quid dereliquiſti me?* Quæ vox oſtendit, Chriſto inter ſummos dolores nullum animi ſolatium di-

(57) D. Thomas 3. part. quæſt. 47. art. 5. ubi quærit, *utrum Chriſti perſecutores eum cognoverint*, hæc habet: *Apud Judæos quidam erant Majores*, *quidam Minores*. *Majores quidem*, *qui eorum principes dicebantur*, *ſicut & Dæmones*, *cognoverunt*, *eum eſſe Chriſtum promiſſum in lege*... *Minores*, *id eſt populares*, *qui myſteria Scripturæ non noverant*, *non plene cognoverunt ipſum eſſe nec Chriſtum*, *nec Filium Dei*. *Licet enim aliqui eorum in eum crediderint*, *multitudo tamen non credidit*.

(58) S. Auguſtinus in Joannis Evangelium tract. 3. §. 2. S. Chryſoſtomus in Oratione de cæco a nativitate pag. 440. tom. 6. *Nuſquam homini apparet Dei ore promiſſum eſſe paradiſum*, *poſtquam ejectus Adamus eſt*, *niſi huic primum latroni*.

(59) S. Auguſtinus in Joannis Evangelium tract. 119. §. 2.

S. Ambroſius in Luc. cap. 23. §. 131. pag. 1532. *Teſtabatur de cruce Chriſtus*, *& teſtamentum ejus ſignabat Joannes*, *dignus tanto teſtatore teſtis*. Et de inſtitutione Virginis cap. 7. §. 48. & 50. pag. 261. *Teſtatur de cruce Dominus Jeſus*, *& pauliſper publicam differt ſalutem*, *ne Matrem inhonoram relinquat*. *Subſcribitur Joannes in teſtamento Chriſti*. *Legatur Matri pudoris defenſio*, *teſtimonium integritatis*. *Legatur & diſcipulo Matris cuſtodia*, *pietatis gratia*.... *Eademque poſtea Joanni Evangeliſtæ eſt tradita conjugium neſcienti*. *Unde non miror præ ceteris locutum myſteria divina*, *cui præſto erat aula cæleſtium Sacramentorum*.

diviniṫus datum, & humanam ejus naturam ſenſiſſe tormenta omnia, perinde ac ſi perſonæ divinæ conjuncta non fuiſſet. (60) Quinta: *Sitio*. Namque, ut ait Nicolaus de Lyra in Joan. cap. XIX. 28. *tantum laboraverat, & de ſanguine emiſerat, quod corpus ejus erat diſſiccatum, & aduſtum: & propter hoc ſitiebat ſupra modum*. (61) Sexta: *Conſummatum eſt*: hoc eſt, ut ait S. Leo ſerm. 53. de Paſſione Domini 4. cap. 4. *completæ ſunt Scripturæ, non eſt amplius, quod inſaniam populi furentis expectem, nihil minus pertuli, quam me paſſurum eſſe prædixi*. Septima & poſtrema ingens perinde, ac quarta, & divinæ ejus naturæ index eſt illa vox quam emittens expiravit: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*. (62) Qua

Joan. XIX. 28. 30.

Luc. XXIII. 46.

(60) S. Auguſtinus in Pſal. 49. §. 5. *Unde ergo*, Deus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti? *niſi quia in carne infirmitatis agnoſcebatur vox peccatoris? Qui enim ſuſcepit ſimilitudinem carnis peccati, cur non ſuſciperet ſimilitudinem vocis peccati?*

S. Leo ſerm. 65. de paſſione Domini 16. cap. 7. *Vox iſta doctrina eſt, non querela. Nam cum in Chriſto Dei & hominis una perſona ſit, nec ab eo potuerit relinqui, a quo non poterat ſeparari; pro nobis trepidis & infirmis interrogat, cur caro pati metuens exaudita non fuerit*.

(61) Synopſis Criticorum in Joan. cap. 19. pag. 1373. Acetum *pro crucifixis paratum erat, vel ut citius morerentur: nam acetum valde vulneratis nocet: vel potius, ut diutius in tormentis viverent: acetum enim & ſemianimes recreat appoſitum ori aut naribus, & ſanguinem copioſe fluentem ſiſtit admotum vulneribus; vel ut ſitim reſtinguerent. Certiſſimum eſt, milites Romanos, & pauperes alios acetum vini loco bibiſſe. Chriſto autem dederunt, ut ei illuderent, pro juvante & jucundo potu nocentem & acerbum offerentes*.

Spartianus in Peſcenio Nigro cap. 10. *Idem juſſit, vinum in expeditione neminem bibere, ſed aceto univerſos eſſe contentos*.

(62) S. Marcus cap. XV. 39. *Videns autem Centurio, qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: Vere hic homo filius Dei erat*. Non enim poterat homo, qui non etiam

Qua precatione monuit ſuos, ut conſtituti in extremo vitæ momento quanta maxima poſſent animi contentione ſe Deo commendarent.

25. *Lacrymatus ne eſt Chriſtus pendens e Cruce?*

℟. S. Paulus in epiſtola ad Hebræos cap. V. 7. *In diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* *Hoc autem*, inquit D. Thomas in citatum locum D. Pauli extrema Lect. 1. *non legitur in Evangelio, ſed probabile eſt, quod ſicut ipſe lacrymatus eſt in reſurrectione Lazari, ita & in paſſione ſua. Nam ipſe multa fecit, quæ non ſunt ſcripta. Non tamen flevit pro ſe, ſed pro nobis, quibus paſſio ſua profuit.* His plane gemina illa ſunt, quæ ſcribit Nicolaus de Lyra in eumdem locum D. Pauli. (*63*)

26. *U-*

iam Deus eſſet, confectus cruciatu ſummo dolorum magnam vocem moriens emittere.

S. Thomas 3. part. quæſt. 47. art. 1. ad 2. *Ut Chriſtus oſtenderet, quod paſſio illa per violentiam ejus animam non eripiebat, naturam corporalem in ſua fortitudine conſervavit, ut etiam in extremis poſitus voce magna clamaret, quod inter alia miracula mors ejus computaretur... Fuit etiam mirabile in Chriſti morte, quod velocius mortuus fuit aliis, qui ſimili pœna afficiebantur... Sicut enim ejus voluntate, natura corporalis conſervata eſt in ſuo vigore uſque ad extremum; ſic etiam quando voluit, ſubito ceſſit nocumento illato.*

Beda in Lucam cap. 23. pag. 440. tom. 5. *Patrem invocando filium Dei ſe eſſe, declarat, Spiritum vero commendando, non defectum ſuæ virtutis, ſed confidentiam ejuſdem cum Patre poteſtatis inſinuat.*

(63) S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 6. pag. 51. *Ipſe flevit, & cum Lazarum ſuſcitavit* (Joan. XI. 35.) *& cum ad expugnandam reſpiceret Civitatem.* (Luc. XIX. 41.) *Sed etiam de Juda proditione ſimul, ac perditione turbatus eſt. Itaque flentem quidem illum frequenter invenias, numquam vero ridentem, ſed nec leviter ſaltem ſubridendo gaudentem.*

Nul-

26. *Utrumque ne Chriſti jam mortui latus lancea confoſſum eſt?*

℞. Utrumque confoſſum fuiſſe exiſtimavit Prudentius περὶ στεφάνων hym. 8.

Ipſe loci eſt Dominus, laterum cui vulnere utroque Bibl. Patr. tom.
Hinc cruor effuſus, fluxit & inde latex. 5. pag.
At repugnat id Evangelicæ narrationi. Ita enim 1024.
narrat Joannes: *Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: ſed unus militum lancea latus ejus aperuit;* (64) & paullo poſt Thomam Apoſtolum ita lo- Cap.
quentem facit: *Niſi mittam digitum meum in lo-* XIX. 33.
cum clavorum, & mittam manum meam in latus 34.
ejus, non credam. Dextrum vero, an ſiniſtrum confoſſum fuerit, ponitur in controverſia. Pugnat pro ſiniſtro Lucas Brugenſis ſæculi XIV. ſcriptor in Joan. cap. 19. Stat pro dextero Beda, qui ſub initium ſæculi VIII. floruit. Nam in libros Regum quæſt. 12. *Paſſo*, ait, *in cruce Domino, unus militum lancea latus ejus dexterum aperuit*. Stat S. Bernardus in Pſal. *Qui habitat* Pag. 851.
ſerm. 7. §. 15. *Dextrum ſibi propter me paſſus eſt la-*

Nullus certe hoc Evangeliſta memoravit. Idem Chryſoſtomus in epiſt. ad Hebræos hom. 8. pag. 1811. *Nuſquam hoc dicit Evangelium, neque quod orans ſit lacrymatus, neque quod clamorem ediderit*, Chriſtus igitur verſans inter homines ter tantum lacrymaſſe legitur.

Alii alias eum fleviſſe, colligi putant ex diverſis Scripturæ locis: ut ex Sapientiæ cap. VII. 3. fleviſſe in Nativitate: ex epiſtola ad Hebræos cap. II. 17. fleviſſe in Circumciſione: ex Joan. cap. XIII. 21. in Judæ proditione; ex Luc. cap. XXII. 44. in Agone in horto. Vide Joan. Chriſt. Artſt. Diſſertationem de lacrymis Chriſti tom. 9. Criticorum Sacrorum part. 2. pag. 330. & Auguſtinum Calmet in Joannem, & Lucam locis memoratis.

(64) Vide *Clementinam* 1. de ſum. Trin. & Fide Catholica. ubi Pontifex confirmat, *Joannem rectum ordinem tenuiſſe narrando, quod Chriſto jam mortuo unus militum lancea latus ejus aperuit*.

latus fodi . Stat S. Bonaventura in Meditationibus Vitæ Chriſti cap. 80. his verbis : *Unus Longinus nomine latus Domini Jeſu dextrum vulnere grandi aperuit* . Sic Innocentius III. lib. 2. de ſacro Altaris Sacramento cap. 54. *Calix ponitur ad dexterum latus quaſi ſanguinem ſuſcepturus , qui ex late-*
Bibl. *re Chriſti dextero creditur vel cernitur profluxiſſe* .
Patr. Lucas item Tudenſis lib. 2. adver. Albigenſes cap.
tom. 25. 11. hoc adeo perſuaſum habuit , ut nihil ſupra :
pag. 225. quod tradidit etiam Brigitta lib. 7. Revelationum cap. 15. *Unus accurrens infixit lanceam in latere ejus dextero tam vehementer & valide , quod quaſi per aliam partem corporis lancea valuit pertranſire* . (65) His conſentit Evangelii Joannis verſio Æthiopica , quæ nominat *latus ejus dexterum* , itemque Evangelium infantiæ , ex Arabico translatum cap. 25. (66) *Quibus teſtimoniis ſi non uteris ad auctoritatem , utere ſaltem ad antiquitatem* . (67)

27. *Quo anno ætatis mortuus eſt?*

℞. Varias eſſe opiniones intelligo . Antiqui Eccleſiæ Patres , qui minimum numerant , anno ætatis trigeſimo : qui vero maxime immodici ſunt in

(65) Joan. Jacobus Chiffletius de linteis Sepulcralibus Chriſti Servatoris cap. 31. pag. 193. *Vulneris ad latus inflicti cicatrix , ſiniſtra eſt in utraque imagine* (Veſontino Sudario , & Sindone Taurinenſi) *ut nimirum dextro Chriſti lateri reſpondeat* .

S. Bonaventura in Legenda S. Franciſci cap. 13. Operum tom. 7. pag. 295. loquens de Sacris Stigmatibus eidem Sancto Viro divinitus impreſſis , nominat *dextrum latus quaſi lancea transfixum* . Vide Sagittarii Diſſertationem de Lancea cap. 3. quæ exſtat tom. 9. Criticorum Sacrorum pag. 385.

(66) Apud Joannem Albertum Fabricium in Codice apocrypho Novi Teſtamenti part. 1. pag. 197.

(67) S. Hieronymus lib. 3. Dialogorum adverſus Pelagianos cap. 1. pag. 591. Vide Lambertinum de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 31. n. 6.

in numero augendo, anno ferme quadrageſimo; aut etiam quinquageſimo mortuum eſſe, ſcribunt. (68) Hi autem duo tantum ſunt, Chryſoſtomus in Joan. hom. 54. & Irenæus lib. 2. adver. hære- Pag. 279. ſes cap. 39. quorum primus ait, Chriſtum *prope jam ad quadraginta annorum acceſſiſſe ætatem*: alter vero *anno quinquageſimo docuiſſe*, atque ideo annum illum jam expleſſe, quo tempore in crucem ſublatus eſt. Sed vulgatæ opinioni, qua creditur Chriſtus Dominus deceſſiſſe annos natus amplius tres & triginta, fidem potius accommodaverim. Poſito enim atque conceſſo, quod ſupra dixi, Chriſtum natum eſſe die 25. Decembris anno Urbis conditæ 748. mortuum autem die 25. Martii anno Urbis conditæ 782. efficitur, ut in vivis fuerit annos triginta tres & menſes tres: in quam ſententiam tum Baronius ad an. 34. §. 147. tum Ricciolius tom. I. Chronologiæ Reformatæ lib. 8. cap. 7. multa diſputarunt. (69)

28. *Narra nunc prodigia conſecuta mortem Chriſti.*

℟. Velum Templi ſciſſum eſt in partes duas, 70 Matth. XXVII. 51.

(68) Legendus Natalis Alexander Diſſertat. 2. ſæculi I. quæſt. 3. & Auguſtinus Calmet in Joan. cap. VIII. 57.

(69) S. Thomas 3. part. quæſt. 46. art. 9. ad 4. *Chriſtus in juvenili ætate pati voluit, ut ex hoc magis ſuam dilectionem commendaret, quod vitam ſuam pro nobis dedit, quando erat in perfectiſſimo ſtatu.*

(70) terra mota, (71) petræ diſruptæ, (72) reſerata ſepulcra, erecta plurima jacentia corpora Sanctorum, qui deinde poſt reſurrectionem ejus exeuntes e ſepulcris, profectique Hieroſolymam, ſe in conſpectum multis dederunt. Inde *tanta*, ut ait S. Chryſoſtomus in Matth. hom.
pag. 739. 89. *Crucifixi virtus apparuit, ut poſt illas contumelias; poſt vituperationem & cædem tam Centurio, quam populus compuncti fuerint*; & præ dolore *percutientes pectora ſua* a monte Calvariæ in Urbem redierint. (73)
Luc. XXIII. 48.

29. Ex-

(70) Duplex erat velum in Templo, ut docet Joſephus lib. 5. de bello Judaico cap. 5. §. 4. & 5. unum ante locum Templi *Sanctum*, quo Sacerdotes quotidie ingrediebantur: alterum ante *Sanctum Sanctorum*, quo ingrediebatur ſolus Pontifex ſemel in anno. Velum primum extimum & omnibus conſpicuum ſciſſum fuiſſe, exiſtimarunt Origenes tract. 35. in Matth. pag. 203. tom. 2. & Hieronymus epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 8. pag. 805. velum ſecundum intimum, quod dicebatur præciſe velum, quia ſemper velabat *Sanctum Sanctorum*, S. Leo ſerm. 59. de paſſione Domini 10. cap. 5. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. cap. 37. pag. 693. aliique. Hinc diverſi ſunt etiam recentes Sacrarum Scripturarum interpretes.

(71) De hoc terræmotu duplex ſententia eſt: alii putant factum eſſe Orbe toto, alii ſolum in Judæa, ac præſertim in Templo.

(72) Origenes in Matth. tract. 35. pag. 200. *Nec extra Judæam petræ diruptæ ſunt, aut monumenta aperta ſunt alia, niſi ea tantum, quæ in Hieruſalem erant, aut forte in terra Judæa. Nec alia tremuit tunc, niſi terra Hieruſalem.*

Ab ſciſſura in monte Golgotha tempore paſſionis Chriſti facta, & ſua ætate conſpicua teſtimonium petit S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 13. §. 39. Lucianus martyr apud Rufinum lib. 9. Hiſt. Eccl. cap. 6. ita Præſidi Fidei ſuæ rationem reddit: *Si minus adhuc creditur, adhibebo vobis etiam loci ipſius, in quo res geſta eſt, teſtimonium. Adſtipulatur his ipſe in Hieroſolymis locus, & Golgothana rupes ſub patibuli onere dirupta.* Etiam nunc hiatus hic profundiſſimus advenis oſtenditur. Vide Adricomium in deſcriptione Hieruſalem num. 252.

(73) Idem S. Chryſoſtomus eodem loco. *Quidam autem di-*

29. *Explica mihi jam Chriſti ſepulturam.*

℟. Poſtquam Chriſtus Dominus ſexta feria, hora diei nona in cruce ſpiritum emiſit, eodem die veſpere *corpus ejus de Cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum ſepeliendumque curarunt* (74) Joſephus ab Arimathæa, & Nicodemus viri illuſtres ac nobiles: (75) hic mixturam myr-

Matth. XXVII. 57. Joan. XIX. 38. Bar. ad an. 34. §. 134.

dicunt, hunc Centurionem in fide poſtea roboratum adeo fuiſſe, ut etiam martyrio ſit coronatus.

S. Athanaſius epiſtola ad Maximum Philoſophum §. 2. pag. 919. tom. 1. *Tunc palam rerum omnium agnitus eſt Dominus, cum ſcilicet ſol radios contraxit ſuos; terra tremuit, ſciſſæ petræ ſunt, ipſique carnifices agnoverunt, crucifixum verum Filium Dei eſſe. Nec enim hominis cujuſpiam, ſed Dei erat corpus, quod cernebatur, in quo cum eſſet, & cum crucifigeretur, mortuos excitabat.*

(74) S. Auguſtinus lib. 1. de Civitate Dei cap. 13.

(75) S. Chryſoſtomus in Joannem hom. 83. pag. 435. *Joſeph ab Arimathia diſcipulus Jeſu, non ex duodecim, ſed fortaſſe ex ſeptuaginta.... Mihi videtur nobiliſſimus fuiſſe Joſeph, quod ex ſepulcro conſtat, & Pilato erat notus; quare impetravit, & ſepelivit Jeſum, non ut reum, ſed magnifice ſecundum Judæorum conſuetudinem, tamquam magnum aliquem & admirabilem. Cum autem tempore urgerentur, nona enim hora mortuus erat, & dum peterent eum a Pilato, & dum lavarent, jam veſpera adventarat, quo tempore nihil licebat operari, in proximum monumentum poſuerunt. Diſpenſatum eſt enim, ut in novo monumento ſepeliretur, in quo nemo poſitus fuerat, ne quis alium reſurrexiſſe arbitraretur, & ut diſcipuli eo facile ſe conferre poſſent, & quæ fierent, in propinquo intuerentur, & ut ſepulturæ teſtes non ipſi tantum, ſed & inimici eſſent.*

Græca Eccleſia Joſephum colit die 31. Julii, Romana in ſuo Martyrologio de eo meminit die 17. Martii. Plura de hoc Joſepho in Actis Sanctorum ad dictam 17. diem Martii pag. 507. tom. 2.

Nicodemus nepos eſt Gamalielis præceptoris D. Pauli, ut legitur in Actis Apoſtolorum cap. XXII. 3. Ex iis fuiſſe, *qui crediderant in nomine Chriſti, videntes ſigna & prodigia, quæ*

myrrhæ & aloes pondo librarum ferme centum corpori curando & ungendo ſuppeditavit : ille corpori reponendo novam ſindonem, novumque ſepulcrum excavatum in rupe horti, paſſus circiter quinquaginta a ſupplicii loco diſtantis, verſus Urbem ad Orientem. Ordo autem pollincturæ fuit hujuſmodi. Corpus permiſſu Pilati Præſidis cruce depoſitum laverunt primum, lotum unxerunt, cum unxiſſent, nova mundaque ſindone (76) cum aromatibus involutum a pedibus ad collum uſque faſciis infantium more colligarunt, & ſudario capiti ſuperpoſito intulerunt in propinqui horti monumentum novum, quod deinde ſaxo ingenti ad oſtium appoſito occluſerunt. (77) Poſtero die magno Sabbati ſaxum a Prin-

quæ faciebat, dicit Auguſtinus Tract. XI. in Joannis Evangel. §. 3. Baptizatum a Petro & Joanne, narrat ex Chryſippo Hieroſolymorum Presbytero Photius in Bibliotheca Cod. 171. pag. 483. & Martyrologium Romanum mentionem ejus facit III. Nonas Auguſti.

(76) *Hinc Eccleſiæ mos obtinuit, ut ſacrificium Altaris non in ſerico, neque in panno tincto, ſed in lino terreno celebretur, ſicut corpus eſt Domini in ſindone munda ſepultum, juxta quod in geſtis Pontificalibus a B. Papa Silveſtro legimus eſſe ſtatutum*. Beda in Marc. pag. 207. tom. 5. c. 15.

(77) Nicephorus lib. 1. cap. 32. *Traditum nobis eſt ab antiquis, Judæos lapidem eum, qui in ſalutiferum illud ſepulcrum pro operculo poſitus fuerat, ad ſummum monumenti petramque inferne illi ſe conjungentem ferramentis quibuſdam fabrili lapicidarum arte perforaſſe, ferrumque ingens a fabro ex propinquo acceptum per utrumque foramen immiſiſſe, & in circuli ſive anuli formam circumegiſſe, atque ita firmiter capitibus commiſſis omni ex parte quaſi vinculum circumduxiſſe, ut lapis qualicumque modo loco ſuo revelli, aut ſaltem ratione aliqua removeri (niſi arte quadam & vi adhibita, neceſſario aut ferrum confringeretur, aut petra perrumperetur) non poſſet. Atque ad hunc modum cum magna cura, atque etiam ſigno impreſſo, cum ſepulcrum firmiſſime communiſſent, cuſtodia inſuper competenti adhibita, eos abiiſſe.*

Grotius in Matth. cap. XXVII. tom. 6. Crit. ſacr. pag. 968.

Principibus Sacerdotum conceſſu Pilati obſignatum eſt, & milites ſepulcri cuſtodes poſiti : ita volente Deo, ut quo magis cavit perfida gens, ne Apoſtoli, corpore Chriſti per fraudem ſublato, reſurrectionem ejus ſpargerent in vulgus, eo minus id cauſſari poſſet, ex quo Chriſtus ad vitam rediiſſet. *Quanto enim amplius referatur*, ut ait S. Hieronymus in Matth. c. 27. *tanto magis* Pag. 65. *reſurrectionis virtus oſtenditur. Unde & in monumento novo, quod exciſum fuerat in petra, conditus eſt, ne ſi ex multis lapidibus ædificatum eſſet, ſuffoſſis tumuli fundamentis ablatus furto diceretur.* (78)

30. *Explica etiam formam ſepulcri.*

℞. Conſtabat ſepulcrum Chriſti duplici ſpelunca in rupe excavata : altera alteri pro veſtibulo erat more gentis antiquo, ut legitur Geneſeos cap. XXIII. 19. XXV. 9. Prima atque exterior patens omnibus ingredi volentibus, de qua Juvencus lib. 4. Hiſtoriæ Evangelicæ. Bar. ad an. 34. §. 187.

Limen concludunt immenſa volumina petræ.

Secundam & interiorem ita deſcribit Paſchaſius Radbertus lib. 12. in Matthæum, *ut domus fuerit rotunda poſt oſtium monumenti intus infra rupem vaſtiſſimam præciſa, tanta altitudinis, ut intra ſtans ho-*

M

968. credit, Pilati annulo tunc lapidem ſignatum. Similiter enim Daniele in lacum leonum miſſo, *allatus eſt lapis unus, & poſitus eſt ſuper os laci, quem obſignavit Rex anulo ſuo.* Daniel. cap. VI. 17.

(78) Idem S. Hieronymus loc. cit. pag. 65. *In novo ponitur monumento, ne poſt reſurrectionem, ceteris corporibus remanentibus, reſurrexiſſe alius fingeretur.*

Eadem de cauſſa corpus ejus nova ſindone involutum eſt, novoque ſepulcro incluſum, ne videretur aliena vi ac virtute revixiſſe, quemadmodum revixit ille, cujus cadaver in ſepulcro Eliſæi poſitum eſt. 4. Regum cap. XIII. 21. Vide D. Thomam 3. part. quæſt. 51. art. 2. ad 4.

homo vix manu extenta poſſit ejus culmen attingere ; & eſt illud oſtium ab Oriente , cui lapis ille magnus valde advolutus atque oppoſitus fuit . Illuc ingredientibus erat a dextris ille locus in parte Aquilonis , qui ſpecialiter Dominici corporis receptui paratus eſt , ſeptem quidem pedibus longus , trium vero menſura palmorum reliquo pavimento eminentior . (79) Qui non vulgarium more ſepulcrorum deſuper patulus idem factus eſt locus , ſed a latere meridiano per totum , a qua parte corpus poſſet imponi . Ex quo manifeſtius poteſt intelligi , quod Marcus ait , quia introeuntes in monumentum mulieres viderunt juvenem ſedentem in dextris . *Quia nimirum locus Dominici corporis , ubi Angelus ſedebat , intrantibus in dextris erat , nec tamen diviſa erant ibi loca , ſed continuata hæc omnia , nec diviſa ab invicem , utpote in una eademque petra exciſa .* (80) Eodem prorſus modo , atque iiſdem ferme verbis integro amplius ſæculo ante Paſchaſium Radbertum Chriſti Domini ſepulcrum deſcripſerat Beda commentariis in Evangelium D. Marci cap. 15. Sepulcrum hoc totum Hadrianus Imperator humo aggeſta penitus abdidit , & loco ad mediocrem altitudinem evecto , lapidibuſque ſubſtructo ædem ac ſimulacrum Jovis impoſuit , quod referente Hieronymo Epiſt. 13. ad Paulinum *uſque ad imperium Conſtantini per annos circiter centum octo-*

Cap. XVI. 5.

Pag. 29. tom. 5.

Pag. 106.

(79) Hic ſedentes Angelos duos, *unum ad caput , & unum ad pedes , ubi poſitum fuerat corpus Jeſu* , vidit Maria Magdalena ſtans in oſtio interioris ſpeluncæ, atque inclinans ſe, ut videret , propter exiguam oſtii altitudinem . Altum enim dicitur pedes tres , & uncias duas cum dimidio , latum vero pedem unum , & uncias decem . Joan. XX. 12. Legendus Calmet in Matthæum cap. XXVII. 2. ubi totius Dominici ſepulcri figuram exhibet , eamque per ſingulas partes explicat .

(80) Juvencus tom. 4. Bibliothecæ Patrum pag. 76. & Paſchaſius Radbertus tom. 14. pag. 698.

octoginta in loco reſurrectionis ſtetit. Magnus enim ac pius Imperator, dejectis omnibus impietatis monumentis; ſepulcrum egeſta humo aperuit, ſacramque reſurrectionis ſpecum convertit in Eccleſiam *eximii operis*; *rotundam*; *triplici pariete diſtinctam*; *in cujus medio monumentum erat*; quemadmodum ſubjungit loco memorato Paſchaſius. Ut vero novæ Eccleſiæ locum aliquanto ampliorem pararet, magnam rupis partem, & ſepulcri ipſius priorem ſpeluncam deſtruere neceſſe habuit. (81) Hinc ædes excitata ſatis capax; cui nomen Ἀνάστασις, *Reſurrectio*; & Μαρτύριον, *teſtimonium* impoſitum fuit. (82)

(81) S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 14. §. 9. *Speluncam petræ dicit eam, quæ tunc fuit ante Salvatoris monumenti oſtium, ſpeluncam ex eadem petra; ſicut hic in foribus monumentorum fieri ſolet; exciſam. Nunc vero jam non apparet; eo quod præſentium ornamentorum inſtruendorum gratia olim eraſa ſit exterior ſpelunca: Ante enim hanc monumenti ex regia magnificentia ſtructuram erat ante petram ſpelunca.*

(82) S. Hieronymus epiſt. 61. cap. 4. pag. 455. *Nonne cum de* Ἀναστάσει *pergeretis ad crucem.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 14. §. 6. *Vides etiam Prophetam prævidiſſe locum Reſurrectionis, qui Martyrium appellandus erat.* Nempe ut Eccleſiæ ſupra martyrum ſepulcra ædificatæ *Martyria* dicebantur: ita Eccleſia ad Chriſti martyrum omnium Principis ac Ducis ſepulcrum condita, *Martyrii* nomen præcipuo quodam jure acquiſivit; quoniam ibi Chriſtus præclarum *teſtimonium reddidit*, ut loquitur Paulus 3. ad Tim. cap. VI. 13. Hinc ab Euſebio aliiſque ſequentium ſæculorum ſcriptoribus *Martyrium*; vel *Magnum Martyrium*; vel *Martyrium Salvatoris* dici conſuevit. Hujus Eccleſiæ deſcriptio & hiſtoria poſita eſt ad calcem operum S. Cyrilli Hieroſolymitani, editorum cura & ſtudio Antonii Auguſtini Toutee Monachi e Congregatione S. Mauri. Vide Henricum Valeſium in epiſt. de *Anaſtaſi & Martyrio Hieroſolymitano* ad calcem Euſebii pag. 14. & Fontaninum in Hiſtoria Litteraria Aquilejenſi lib. 4. cap. 4. §. 4.

Petrus Daniel Huetius Alnetanarum Quæſtionum lib. 2. cap. 21. pag. 172. & 173. *In Sanctum Chriſti Domini ſepulcrum Sabbathi Sancti die ſub noctem Cælo delabi ignem Sanctum;*

CAP. XIV.

De Chriſti tortoribus, & latronibus crucifixis cum eo.

1. *Tortores Chriſti cujates eſſe, dicis?*

Bar. ad an. 34. §. 84. ℟. Opinio eſt, fuiſſe Bruttios incolas extremi illius tractus Italiæ, qui nunc *Calabria* appellatur. Bruttii enim, ut eſt apud Gellium lib. 10. Noctium Atticarum cap. 3. quod primi totius Italiæ ad Annibalem deſciviſſent, coacti ſunt a Romanis ignominiæ cauſſa magiſtratibus in provincias euntibus apparere, eiſque operam ſuam in puniendis ſontibus navare. Ex quo creditum eſt a multis, Pilatum Judææ Procuratorem ac Præſidem ex more Romano uſum fuiſſe Bruttiorum miniſterio ad ſupplicia & necem Chriſto inferendam. Baronius tamen non audet hoc affirmare. *Nam alicubi, ut in Ægypto, diverſorum miniſtrorum id erat munus; ſiquidem honoris cauſſa, qui erant Alexandrini, non a Præſidum lictoribus, ſed tantum ab Alexandrinis, virgis cædebantur; ceteri vero Ægyptii a communibus Præſidum apparitoribus hiſce pœnis afficiebantur, ut Philo teſtatur. Sed ut Bruttios hac calumnia omnino reddamus liberos, dicimus, quod etſi olim Bruttii ejuſmodi fuerint adſcripti muneribus, tamen poſtea id* ce-

ctum, Græcis, Armenis, Syris, Coptis, aliiſque Schiſmaticis perſuaſiſſimum eſt. Nec ea hodie, vel heri nata eſt opinio. Proditum exſtat in Geſtis Francorum, Balduino *Hieroſolymis regnante, magnum timorem ac dolorem Chriſtianis inceſſiſſe, ob tardum nimis ignis ſacri adventum. Meminerunt ejuſdem prodigii* Perdiccas *Epheſius*, Anonymus *alter*, & Wilbrandus *Oldenburgicus*, *ab* Allatio *editi* in Symmictis pag. 27. 33. & pag. 17. edit. Venetæ.

ceteris cujuſque regionis militibus conſtat ceſſiſſe officium, ut ex lege, juſſu judicum, ſontes punirent. Certe quidem non de Bruttiis tantum, ſed de omnibus militibus loquitur Tertullianus, dum ſuadens homini Chriſtiano, ne militet, hæc ait: Et vincula, & carcerem, & tormenta, & ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuriarum? *Sit igitur cum hæc factitari ſolita indiſtincte a cujuſque nationis militibus ille demonſtret; nihil eſt quod magis Bruttiis, quam ceteris, Chriſto illatæ pœnæ atque crucifixio adſcribantur.* (1) Hæc autem Ba- De Corona Militis c. XI. Pag. 117.

M 3 ro-

(1) *Sit ita porro, ut Baronius obſervat: quid hoc, quæſo, ad Chriſti flagella, atque ſupplicia, ne & ipſe a Bruttiis cæſus dicatur, & crucifixus? cum Chriſtus Alexandrinus non fuerit, ut eo privilegio frueretur, ſed Galilæus, nec in Ægypto cæſus, & crucifixus ſit, ſed in Judæa. Imo, inquio ego, ſi Alexandrinorum hoc erat privilegium, ut non a Bruttiis, ſed a ſuis popularibus cæderentur, argumento eſt, ceteros, atque ita Judæos a Bruttiis lictoribus pro more & uſu Romanorum fuiſſe flagellis cæſos, extremoque ſupplicio affectos, ubi eſſet lata ſententia.* His verbis primam Baronii rationem detorquere videtur Hyacinthus Serry exercitat. *56. §. 6.* Illum enim ita ratiocinantem facit. Alexandrinorum hoc erat privilegium, ut a ſuis popularibus cæderentur: Chriſtus igitur Galilæus, perinde atque Alexandrini, a ſuis cæſus eſt. Nihil tale Baronius, qui hoc ſolum dicit ex probabili conjectura: Non erat hoc commune omnibus populis Romano Imperio ſubjectis, ut a Bruttiis lictoribus cæderentur, quia Alexandrini verbi gratia non ab iis, ſed a ſuis tantummodo popularibus torquebantur. Ergo dici in univerſum non debet, ubique Bruttios ad id muneris fuiſſe adhibitos: ac proinde certo affirmare non poſſumus, Chriſti tortores Bruttios fuiſſe. Hoc ſolum dicit Baronius. Non igitur, ut contendit memoratus Theologus in Animadverſionibus Anticriticis cap. 5. §. 2. pag. 43. Baronium induco ratiocinantem in hunc modum: *Alexandrini honoris cauſſa non cædebantur a Bruttiis, ſed a ſuis popularibus: ergo pari ratione etiam Judæi a ſuis popularibus, non a Bruttiis cædebantur:* ſed ita prorſus: *Alexandrini non torquebantur a Bruttiis, ſed a ſuis popularibus: non igitur Bruttii communes erant omnium tortores.* Utrum autem, dum ita diſ-

ronii ſententia mirum in modum congruens eſt Evangelio. Namque ab Evangeliſtis Chriſti tortores ſemper milites, numquam lictores vocantur. (2) Unus eſt locus apud Joannem Cap. XVIII.

diſputantem facio Baronium, tenuerim ſententiam ejus, facile judicabit, qui paullo attentius Baronii verba cum verbis meis contulerit.

Secundam vero rationem, qua tamen maxime nititur Baronius, neſcio qua de cauſſa Serry exercitat. cit. diſſimulat, nihilque affert, quo refellat.

Baronii ſententiam contra Hyacinthum Serry tuetur auctor libri *De Tortoribus Chriſti Domini* anno 1731. Neapoli editi induſtria Sacerdotis Genialis Poſterarii, & diſſertat. 3. cap. 1. oſtendit, illum falſo citare teſtes ſententiæ ſuæ Strabonem lib. 6. & Diodorum Siculum: nullibi enim apud iſtos legi, Bruttios propter eorum perfidiam ad ſervile lictorum munus a Romanis coactos fuiſſe.

Auctor libri, qui inſcribitur *Dicta & interpretationes Parabolarum Sacræ Scripturæ*, quæſt. 76. apud S. Athanaſium tom. 2. pag. 323. *Quidnam eſt*: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? *Reſponſio: Gentes dicit Romanorum, Francorum videlicet genus, qui Chriſtum crucifixerunt.*

(2) Non docti modo, ſed Chriſtiani omnes valde mirabuntur, quomodo Theologus Serry in Animadverſionibus Anticriticis in Hiſtoriam hanc cap. 5. §. 3. pag. 45. tam fidenter pronunciet, me *errare longe turpiſſime*, cum dico *Chriſti tortores ſemper milites, nunquam lictores ab Evangeliſtis vocari*, & idem ipſe contra hanc apertiſſimam veritatem nihil hæſitans jactet, *nuſpiam in Evangelio, qui Chriſto Domino ſupplicia ex ſententia judicum decreta intulere, milites vocitari*. Reclamat S. Matthæus cap. XXVII. 27. his verbis: *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in Prætorium congregaverunt ad eum univerſam cohortem .... Poſtquam autem crucifixerunt eum*. Reclamat S. Marcus cap. XV. 16. *Milites autem duxerunt eum in atrium Prætorii; & convocant totam cohortem .... Et crucifigentes eum diviſerunt veſtimenta ejus*. Reclamat S. Joannes cap. XIX. 23. cujus verba ſunt in reſponſione ad interrogationem proxime ſequentem, in qua eſt etiam locus S. Auguſtini, ex quo patet Chriſtum crucifixum non militari licentia, ſed Pilati ſententia, atque decreto.

Laudatus Auctor libri *De Tortoribus Chriſti Domini* diſſert. 3.

XVIII. 12. ubi miniſtrorum nomine appellantur ii, qui cum cohorte, & tribuno Jeſum in horto comprehenderunt. Sed quorum erant miniſtri? ſcilicet Judæorum. Non ergo fuere Bruttii, quibus utebantur Romani Præſides; ſed potius lictores, *quos* (Judæi) *ad comprehendendos reos juſſu*

3. cap. 6. *Quid eſt, cum Evangeliſtæ omnes uno ore conſtanter aſſerant, milites Chriſto paſſionem ac necem intuliſſe, cur lictores quoque gentiles ad eum torquendum, occidendumque adducamus? An non diſtinctis appellationibus in quocumque univerſarum gentium idiomate percenſentur* Miles, *&* Lictor? *An non in cunctis Evangeliorum verſionibus* Milites *leguntur Chriſti tortores? Num ſoli Evangeliſtæ aut ignari vocis* Lictorum *fuerunt, aut eos appellatione* Militum *cum iſtis confundere voluerunt? An non* Cohors, *&* Tribunus *ab Judæis conducti, Juda apoſtata muniente viam,* comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum? *quod nimirum officium proprium in anteceſſum lictorum erat, qui a ligando nomen ſortiti ſunt. An non* milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in Prætorium, *poſtquam ipſum flagellaverant*, congregaverunt ad eum univerſam cohortem prætoriam? *Hi profecto* milites, cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem. Et milites quidem hæc fecerunt. Videns autem Centurio, (*ipſorum procul dubio militum Chriſti tortorum caput*) qui ex adverſo ſtabat, *ſuis utique militibus aſſiſtens*, quod factum fuerat, glorificavit Deum. Judæi ergo rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura. Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit.

Hæc omnia apud quatuor Evangeliſtas. Quæ quidem ita perſpicua ſunt, ita firma pro aſſerenda veritate, quam tractamus, ut impius omnino ſit, qui de ea dubitare vel minimum audeat. Nam milites cohortis Prætorianæ, ut Evangelium tradit, tot ſe in Chriſtum tormentis exercuerunt, non lictores: milites flagellis ceciderunt: milites crucifixerunt: milites venerunt frangere ejus crura, unuſque ipſorum lancea latus ejus aperuit. Lancea, *inquam, cujus ſane uſus erat militibus, non lictoribus: horum quippe inſignia erant faſces, & ſecures, faſces ad ſontes verberandos, ſecures ad eos miniſterio carnificis obtruncandos. Et hanc veritatem in dubium Catholici revocamus? Et quoniam pro ea ſtare vult Eminentiſſimus piiſſimuſque Annalium parens Baronius, fuſtibus excipitur?*

Pontificum, *Sacerdotum*, *& populi adhibebant*, ut ait Sigonius lib. 7. de Republ. Hebræorum cap. 13. (3)

2. *Quot fuerunt?*

℞. Quatuor fuiſſe illos, qui Chriſtum cruci affixerunt, ita ex Evangelio Joannis colligit Auguſtinus in eumdem Joannem tract. 118. §. 2. *Joannes autem & quot partes de veſtimentis ejus fecerint, dixit, id eſt quatuor, ut ſingulas tollerent. Unde apparet, quatuor fuiſſe milites, qui in eo crucifigendo Præſidi paruerunt. Manifeſte quippe ait:*
Cap. XIX. 23. Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem. (4)

3. *Quid habes de milite, qui lancea latus Chriſti aperuit?*

℞. Martyrologium Romanum Idibus Martii habet hæc: *Ceſareæ in Cappadocia paſſio S. Longini militis, qui latus Domini lancea perforaſſe perhibetur*. Eodem modo ſcriptum eſt in Martyrologio Uſuardi, & Rhabani. Baronius vero ad an. 34. §. 131. Longini nomen Centurioni tribuit. *Porro*, inquit, *Centurionem hunc Longinum nomine appellatum fuiſſe, Chriſtique fidem ſecutum abdicaſſe a mi-*

(3) S. Hieronymus extrema epiſtola I. ad Heliodorum: *Cerne manus, Judæe, quas fixeras: cerne latus, Romane, quod foderas.*

(4) S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 88. pag. 731. *Veſtes ejus inter ſe partiuntur quod in condemnatis vilibus & abjectis fieri ſolet, ac omnino deſtitutis. Partiuntur ea veſtimenta, per quæ miracula facta ſunt: ſed tunc nihil efficiebant, Chriſto ineffabilem illorum virtutem cohibente. Adeo autem magnus hic fuit contemtus, quia in abjectum quaſi atque omnium viliſſimum agebatur, ut in latrones nihil tale geſtum fuerit.*

in militia, *ac denique ad martyrii palmam advolaſſe*, *qui ejus res geſtas ſcripſerunt*, *teſtantur*. *Ex quibus redarguuntur*, *qui ex apocryphis quibuſdam ſcriptis tradiderunt*, *Longinum nomine eumdemque cæcum fuiſſe militem illum*, *qui lancea latus Domini aperuit*. Hyacinthus autem Serry exercitat. 54. §. 6. conjicit, *ex ſiniſtra Græci Textus* (apud Joan. cap. XIX. 34.) *intelligentia natum eſſe errorem*, *lanceæque nomen* (λόγχη) *qua perfoſſum eſt Chriſti latus*, *in nomen militis incaute imprudenterque translatum fuiſſe*. (5) Sed hoc minus caute videtur dictum. Conſtat enim nomina ex variis rebus & actionibus ſæpe hominibus fuiſſe impoſita: ut propterea licuerit etiam Chriſtianis martyrem hunc Lon- Pag. 379.

(5) De Longini nomine hæſitantibus verbis ita ſcribit Voſſius lib. 2. Harmoniæ Evangelicæ cap. 11. *Porro miles*, *qui lancea perfodit Chriſti latus*, Longinus *dicitur etiam in Martyrologio Romano Idibus Martii*. *Quæritur*. *verum ne id nomen*, *an fictum ἀπὸ τῆς λόγχης*, *qua voce lancea vel haſta intelligi ſolet*, *συνεκδοχικῶς videlicet*, *cum proprie ſignet cuſpidem haſtæ*, *vel ſagittarum ferrum*, *ut ex Xenophonte atque aliis conſtat*, *ac Ivoni etiam Villomarò obſervatum contra Roberti Titii locos controverſos lib. 1. cap. IX.* Et paucis interjectis: *Adtexam aliquid de nomine ejus militis*. *Si Longino nomen fuerit*, *plane id fuerit Romanum*. *Notum nomen Velii Longini Grammatici*, *cujus de orthographia liber ſupereſt*, *& Dionyſii Longini Rhetoris*, *cujus exſtat elegans liber de charactere ſublimi*. *Ut a Juſtus Juſtinus*, *ab Auguſtus Auguſtinus*, *a Marcellus Marcellinus*: *ſic a Longus Longinus*. *Sed multum metuo*, *ne primo miles*, *cujus nomen neſciretur*, *a Lancea*, *qua aperuit Chriſti latus*, Longini *nomine ſit donatus*: *poſteaque ita etiam centurio dici cœperit*, *idque occaſione ea*, *quod miles idem*, *ac centurio ille crederetur*. *Interim ſub Cæſare Maximino Longinus miles fuit*, *qui privatus militari zona*. *Sed id ſine dubio Romanum nomen putandum*. Nihil igitur certi de Longini nomine ἀπὸ τῆς λόγχης *a lancea* derivato tradit Voſſius. Utrum vero id pro certo tradant Urſæus, ac Talentonius, quos pariter id *tradidiſſe uti certiſſimum*, ſcribit memoratus Theologus cap. 6. Animadverſionum Antitriticarum pag. 59. viderint alii. Horum enim mihi ſcripta non ſuppetunt.

Longinum appellare ἀπὸ τῆς λόγχης, *a lancea*, qua latus Chriſti Domini aperuerat. Quamquam Jacobus Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 34. *Longinum*, negat, παρὰ τὴν λόγχην *dictum*. *Nam Longinus* a longitudine *nomen habet*, *ſicut apud Græcos Macrinus*, *&* *Macrina* παρὰ τὴν μακρότητα. *Quare & Græci non* λογχῖνον, *ſed* λογγῖνον *nominant*: *& ut a nomine* Juſtus *fit* Juſtinus, *ſic a nomine* Longus Longinus, *quod utrumque Romanum eſt*, *multis olim impoſitum:* quod idem auctor multis exemplis confirmat. Utcumque tamen de ratione nominis res ſe habeat; ſi non placet appellare Longinum, appelles per me licet alio quocumque velis nomine, dummodo fatearis, militem illum, Chriſtiana religione ſuſcepta, vitam pro Chriſto dediſſe, ideoque ſub Longini nomine martyrem Chriſti ab Eccleſia coli. (*6*)

4. *Quid nunc de latronibus?*

Luc. XXIII, 32. Eſaiæ LIII. 12. Matth. XXVII, 38.

℟. *De latronibus vero*, *qui cum eo crucifixi ſunt*, ait S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 13. §. 30. *dictum eſt illud*: Et cum iniquis deputatus eſt, *& ambo quidem prius iniqui fuere; unus autem eſſe deſiit*. *Alter enim ad finem uſque legum contemtor inflexibilis ad ſalutem: qui dum manibus affixus eſſet*, *lingua per blaſphemas voces cædebat*. *Judæi prætereuntes movebant capita crucifixo illudentes*, *dum adim-*

(*6*) Vide Coquæum tom. 2. Antimornæi pag. 305.

Longinum equo inſidentem exhibent pictores, & equitem fuiſſe opinantur aliqui. Pars major auctores ſunt, fuiſſe militem ex peditum cohorte. Hanc ſententiam, ut alios omittam, profitetur Sagittarius diſſertat. de Lancea cap. 2. tom. *9*. Criticorum Sacrorum pag. 383. & Auguſtinus Calmet in Joan. cap. XIX. 34.

De S. Longino milite, itemque de S. Longino Centurione plura Bollandus ad diem XV. Martii pag. 376.

adimplent quod ſcriptum erat; Viderunt me, moverunt capita ſua. *Et ille quidem una cum ipſis conviciabatur, alter vero conviciantem increpabat: fuitque illi vitæ finis & emendationis initium; animæ traditio & ſalutis ante alios perceptio.* Similiter Theophylactus in Lucam cap. 23. *Veriſimile eſt*, inquit, *quod primum quidem duo eum conviciati ſint, deinde unus eorum cordatior agnoverit bonitatem & divinitatem Jeſu ex voce, quam fecit pro crucifigentibus*, Pater, dicens, remitte eis. *Non enim dixit*, Domine oro, dimitte eis, *ſed ſimpliciter ſic & magna poteſtate*, Remitte eis. Latronem hunc *inſidiatorem viarum* fuiſſe dicit S. Leo ſerm. 51. cap. 1. Gregorius vero Magnus lib. 18. Moralium cap. 40. §. 64. addit, *mortem fratri intuliſſe*. Pſal. CVIII. 25. Luc. XXIII. 39. Pag. 533.

5. *Sunt ne affixi clavis, an funibus alligati?*

℟. Clavis affixos fuiſſe cruci perinde, atque Chriſtum, exiſtimo. Utuntur enim Evangeliſtæ eodem verbo *crucifigendi* & in latronum & in Chriſti ſupplicio enarrando. Suppetit etiam ex inventione Crucis Chriſti graviſſimum & firmiſſimum argumentum. Inventa enim una cum latronum crucibus, non potuit niſi miraculo internoſci, quod miraculum nullo modo opus fuiſſet ad eam diſtinguendam, niſi etiam aliæ foramina habuiſſent & veſtigia clavorum, (7) Hinc a S. Chryſoſtomo in Epiſt. ad Rom. hom. 15. *Latro in crucem ſublatus, & clavis affixus* dicitur: in quam ſententiam loquitur etiam S. Auguſtinus enarratione in Pſal. 39. §. 11. *Erat ille omnibus membris crucifixus, manus clavis inhærebant, pedes transfixi erant*. Quod item affirmat S. Gregorius Ma- Pag. 174.

(7) Lege reſponſum ad interrogationem 11. capitis ſequent.

Magnus loco ſupra memorato ſcribens, *in cruce clavos manus ejus pedeſque ligaſſe*. (8)

6. *Uter ad Chriſti dexteram crucifixus eſt?*

℞. Ille, qui ſcelera ſua deteſtatus, & Chriſtum confeſſus ſe eidem commendavit. Hoc enim tradit S. Hilarius cap. 33. in Matthæum §. 5. *Unus e duobus ad dexteram ſitus fidei juſtificatione ſalvatur*. Hoc etiam tradit Goffridus Vindocinenſis ſerm. 10. *In dextris poſitus non quia crediderat Chriſto, patiebatur, ſed credidit, dum pateretur*. Hoc demum tradunt Sancti Auguſtinus in Joan. tract. 31. §. 11. & Leo Magnus ſerm. 53. c. 1. Docent enim juſtos ac pios ſupremo univerſalis judicii die ad eam partem Chriſti judicantis futuros, ad quam partem Chriſti morientis fuit pœnitens latro: impios vero ad illam, ad quam fuit latro blaſphemus. Pii autem, ut conſtat, tunc erunt ad dexteram, impii ad ſiniſtram. Sequitur ergo, ut bonus latro crucifixus fuerit ad Chriſti dexteram, malus autem ad ſiniſtram.

Bibl. Patr. tom. 21. pag. 83.

7. *Quan-*

(8) Abulenſis Paradox. 3. cap. 44. *Nec quiſquam exiſtimet, latrones cum Chriſto pendentes nullis clavis in manibus & pedibus vulnera pertuliſſe, dicens, eos funibus alligatos Cruci, ita ut manus brachiis crucis ſingulis funibus necterentur, pedes quoque ſimul trunco ſive pedi crucis firmo retinaculo ligarentur, ſicut in Eccleſiis inſipienter valde pictores deſcribunt: ita ut hanc injuriam de nobis infideles in quibuſdam dicant, quod pingimus quomodo volumus: Nulla, inquam, ratione hoc arbitrari quiſpiam debet, ut immediate ratio ſubjungitur. Hoc autem quorumdam, ut in quibuſdam aliis aſſolet, introductum indiſcreta devotione reor. Pleraque quidem alia in hunc modum facta ſunt, quæ jam apud ſimplices in religionis tranſiere cultum. Volunt enim pœnas Domini Jeſu a pœnis latronum diſtinguere*. Eodem modo Bellarminus de imaginibus Sanctorum lib. 2. cap. 17. eodem Nicquetus lib. 2. de Titulo Crucis Chriſti cap. 8.

7. *Quando hic ad Chriſtum converſus eſt?*

℟. Dum e cruce penderet, ut fert opinio plurimorum. Cyprianus in primis epiſt. 73. *latronem in ipſa paſſione credentem* facit. Cyprianum ſequitur Auguſtinus lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 22. §. 29. Ita enim loquitur de latrone: *Dum patitur, credidit:* & lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. §. 11. *Unde & latro ille, non ante crucem Domini ſectator, ſed in cruce confeſſor, a Cypriano ſancto inter martyres computatur, qui ſuo ſanguine baptizantur, quod pleriſque non baptizatis ſervente perſecutione provenit.* (9) Sequitur D. Hieronymus epiſt. 4. ſcribens hæc: *Latro credit in cruce, & ſtatim meretur audire:* Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiſo. Sequitur S. Gregorius Magnus, a quo ita ſcriptum eſt extrema hom. 20. in Evangelia §. 15. *Latro iſte cruentus manibus abſtractus a fauce itineris, ſuſpenſus eſt in patibulo crucis, ibi confeſſus, ibi ſanatus eſt.* Ac Sanctus quidem Chryſoſtomus, ut alios omittam, hom. 84. in Joan. profitetur, *non minus fuiſſe, in cruce latronem converti, & Paradiſum intrare, quam petras collidi.* Ex his perſpicuum eſt, latronem pendentem e cruce ad Dominum eſſe converſum. Converſum autem eſſe an-

Pag. 286.

Pag. 36.

Pag. 432.

(9) Idem Auguſtinus eodem loco referens aliorum opinionem ſubjungit in hunc modum: *Huc accedit, quia non incredibiliter dicitur, latronem, qui tunc credidit, juxta Dominum crucifixum aqua illa, quæ de vulnere lateris ejus emicuit, tamquam ſacratiſſimo baptiſmo fuiſſe perfuſum.*

Hanc opinionem rejicit Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thomæ in commentario articuli XI. quæſt. 46. *Tum quia nullus ibi erat baptizans, cum Chriſtus eſſet mortuus, & fortaſſe etiam ipſe latro, tum etiam quia nulla fuit forma. Denique quia vix eſt credibile, aquam tanto impetu e latere exiliiſſe, ut latronem attingeret.*

ante prodigia in Domini morte patrata intelligi
Cap. XXIII. 45. poteſt ex D. Luca, qui non meminit tenebrarum, & aliorum miraculorum niſi poſt memoratam latronis converſionem. Hinc S. Leo ſerm. 51. cap. 1. *Non viderat*, inquit, *prius acta miracula*, *&* *ea ipſa*, *quæ mox erant gerenda*, *non aderant*, *&* *tamen Dominum confitetur & regem*, *quem videt ſupplicii ſui eſſe conſortem*. (10)

8. *Ulla ne aſſignatur hujus converſionis cauſſa?*

℞. Apud S. Vincentium Ferrerium in ſermone
Pag. 209. vol. 2. 61. Feria IV. poſt Palmas ſerm. 1. §. 3. ita legitur. *Ratio*, *quam aſſignant Doctores aliqui devoti*, *quare latro*, *qui erat ſuſpenſus a dextris Chriſti*, *fuit converſus*, *& non ille*, *qui erat a ſiniſtris*, *fuit umbra brachii Chriſti*, *quæ ipſum tetigit*. (11) *Dic quomodo? Crux Chriſti erat altior*, *ac ſi Chriſtus fuiſ-*

(10) *In qua ſententia Leonis notanda ſunt illa verba*: Ea ipſa, quæ mox erant gerenda, non aderant. *Videtur enim illis tacite reprehendere id*, *quod apud Hieronymum in cap. 27. Matth.* pag. 64. *reperimus ſcriptum*: Sole fugiente, terra commota, ſaxiſque diſruptis, & ingruentibus tenebris, unum latronem cæpiſſe credere, & confiteri Jeſum. *Quam ſententiam pæne eiſdem verbis habet Chryſoſtomus hom.* 2. *de cruce & latrone*, *& ſignificat Origenes tract.* 25. *in Matth. Sed mirum eſt*, *hos Patres non animadvertiſſe*; *hanc ſententiam pugnare cum Evangelio*; *quia exceptis tenebris*, *cetera ſigna acciderunt mortuo jam Chriſto* (*ut plane ex Evangelio conſtat*) *cum tamen ex eodem Evangelio perſpicuum ſit*, *latronem converſum eſſe vivente Chriſto*. *Solis autem defectio*, *& tenebræ poſt latronis converſionem a Luca narrantur*. Suarez tom. 2. in 3. Part. D. Thomæ comment. ad art. 11. quæſt. 46. Eadem omnino verba ſunt apud Cornelium a Lapide in Lucam cap. XXIII. 40. a quibus non diſſentit Tillemontius annot. 34. ad vitam Chriſti Domini pag. 448.

(11) *Brachii* dicitur, quia facilius umbra brachii, quam umbra corporis Chriſti potuit latronem tangere: quod illa longius, quam hæc in Semptemtrionem extenderetur, eo prorſus modo, quo in arbore latius diffunditur ramorum umbra, quam trunci, aut ſtipitis.

fuiſſet capitaneus latronum. Sententiam hanc rejicit Hyacinthus Serry exercitat. 55. §. 6. his verbis: *Falſa denique, quæ a Jacobo de Voragine ſermone 3. de Innocentibus, & a S. Vincentio Ferrerio Sermone 4. Majoris Hebdomadæ memoratur converſionis cauſſa: quod nempe Chriſti de Cruce pendentis umbra in illum ad Septemtrionem poſitum inclinarit, non item in alterum, qui, cum penderet ad Auſtrum, a Chriſti corpore inumbrari perinde non potuit. Quomodo enim ipſo meridie,* (12) *quo Chriſtus in crucem eſt actus, latronem perinde ſublimem attingere potuit ſalutaris umbra? Aut quæ illi ex Chriſti corpore inumbratio fieri potuit; ſi, quod habet Evangelium,* ab hora ſexta uſque ad nonam, *hoc eſt a meridie ad horam inde tertiam, qua Chriſtus ſpiritum Patri reddidit,* tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram? Sed hæc non convenire cum iis, quæ ſcribit S. Vincentius Ferrerius, attente legenti perſpicuum eſt. Primum enim rationem illam converſionis latronis non affert ipſe S. Vincentius Ferrerius, ſed ab aliis afferri dicit: deinde non ait, latronem a Chriſti corpore, ſed a brachio inumbratum: poſtremo non perinde ſublimem utramque Crucem, ſed altiorem illam Chriſti facit, (13) quo fit, ut facilius umbra

bra-

(12) S. Marcus cap. XV. 25. *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum:* & S. Joannes cap. XIX. 14. *Erat Paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta:* non igitur ipſo meridie.

Serry exercitat. 56. §. 4. pag. 389. *Alii demum, quorum & major eſt numerus, & expeditior nodi ſolutio, reponunt, Chriſtum crucifixum eſſe* hora tertia, *ut loquitur Marcus, non quidem inchoante, ſed finiente, ac deſinente in ſextam, unde a Joanne dictum ſit, fuiſſe horam non omnino ſextam, ſed quaſi ſextam.* Non igitur ipſo meridie.

(13) Non igitur ego, quod ait Serry in Animadverſionibus Anticriticis cap. 7. pag. 55. *ſublimiorem Chriſti Crucem fuiſſe, quam latronum,* dico: ſed id appoſite ad ſententiam ſuam dixiſſe S. Vincentium Ferrerium commemoro.

brachii Chriſti latronem tangere potuerit. Quod porro idem Theologus ſubjungit, nullam ex Chriſti corpore inumbrationem fieri potuiſſe, quia *ab hora ſexta uſque ad nonam tenebræ factæ ſunt*, id vel ipſo judice nihil efficit. Scribit enim exercitatione ſequenti 56. §. 4. Chriſtum crucifixum *tertia hora Judaica deſinente* (nempe ſub meridiem) *quaſi hora ſexta, qua eum crucifixum Joannes aſſeruit*. Potuit igitur umbra brachii Chriſti ante horam ſextam, qua tenebræ factæ ſunt, latronem tangere. Præterea Lucas, ut modo dixi, primum latronis converſionem, poſtea tenebras, atque alia miracula narrat: (14) & S. Leo Serm. 51. cap. 1. ait, latronem ad Chriſtum converſum eſſe, priuſquam miracula in paſſione perpetrata videret. (15) Converſus igitur eſt ante tenebras, at-

(14) Contradicit Serry in Animadverſionibus Anticriticis cap. 7. pag. 58. *Neque enim ſolent Evangeliorum ſcriptores, quaſcumque res narrant, ex ordine temporum enarrare.* Sit ita ſane. Non ſolent *quaſcumque*, ergo aliquas ſolent. Quid autem vetat, quominus in earum numero ponatur ea Latronis converſio, quam poſt tenebras Lucas narrat?

(15) *At negant Patres alii bene multi*, reponit Serry in Animadverſionibus Anticriticis cap. 7. pag. 57. *qui Latronem ex harum offuſarum tenebrarum, ſoliſque obſcurati obſervatione, non minus quam aliorum miraculorum conſideratione ad converſionem excitatum dicunt, Joannes Chryſoſtomus Oratione in Paraſcev., & hom. 2. de Cruce, & Latrone, Athanaſius ſermone in Paraſcev., Hieronymus in Commentario ad cap. 27. Matthæi, Clemens Romanus, aut alius quiſque auctor Conſtitutionum cap. 19. Theophilus Alexandrinus Epiſtola 2. Paſchali, Auctor libri de Operibus Cardinalitiis, ſermone de Reſurrectione, Theophanes Ceramæus in Expoſitione paſſionis Chriſti: quos omnes ſibi anteponi, non ægre tulerit Leo Magnus.*

At Oratio illa in Paraſceven non eſt S. Joannis Chryſoſtomi: ſuppoſititia eſt, & inter ſpuria ejus opera rejicitur a doctiſſimo viro Bernardo de Montefaucon tom. 2. pag. 816. Sermo item S. Athanaſii in Paraſceven in ſpuriis habetur a Monachis Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri tom. 2. pag. 447. In nullo autem cap. 19. quod ſit in

atque ideo tenebræ non potuerunt eſſe impedimento, quominus ſalutaris umbra brachii Chriſti ipſum tangeret, tangendoque converteret. Nunc de Jacobo de Voragine ſic habeto, eum in ſermone 3. de Innocentibus, qui eſt 44. de Sanctis, de cauſſa, ob quam latro converſus fuerit, ne verbum quidem proferre, ideoque falſum eſſe, quod ait Theologus Serry, illum affirmare, cauſſam converſionis ejus fuiſſe umbram Chriſti de Cruce pendentis, quæ in illum ad Septemtrionem poſitum inclinarit. Sunt hæc verba ejus de latrone nec plura, nec pauciora. *Tertio manifeſtavit* (Jeſus) *ſuam poteſtatem, quia parentes ſuos a latronibus defendit. Cum enim in latrones incurriſſent, qui eos expoliare volebant, unus eorum reſpiciens puerum ait, vere dico vobis, ſi poſſibile eſſet, Deum incarnari, dicerem iſtum puerum Deum eſſe. Et ſic ſocios ſuos induxit, ut eos illæſos abire permitterent. Iſte dicitur fuiſſe ille latro, cui poſtea Dominus dixit*: Hodie mecum eris in Paradiſo.

in libris octo Conſtitutionum editarum ſub nomine Clementis Romani, aliquid legere licet, quod pertineat ad Latronem, ac tenebras factas in Chriſti morte. Ac ſi legeretur, nihil tamen efficeret. Nam *Conſtitutiones illæ priorum ſæculorum Patribus vel ignotæ prorſus fuerunt, vel Apocryphorum numero ab illis habitæ ſunt*, ut Diſſert. XIX. in Hiſt. Eccl. ſæc. 1. pag. 207. tom. 3. ait Natalis Alexander, ſcriptor Theologo Serry acceptiſſimus. Apud auctorem vero de Operibus Cardinalitiis, ſermone de Reſurrectione, inter Opuſcula vulgo adſcripta S. Cypriano, pag. CXV. nihil legitur quod iſtuc efficiat. Chryſoſtomus quidem hom. 2. de Cruce, & Latrone, & S. Hieronymus in Matth. 27. id referunt: ſed horum *ſententiam pugnare cum Evangelio* docet Suarez ſuperiore annotat. 10. citatus, aliique. Quod ſi aſſerere licet de Chryſoſtomo, atque Hieronymo, licebit etiam de Theophilo Alexandrino, & Ceramæo, *quos quidem ſibi anteponi ægre tulerit Leo Magnus*.

9. Antequam ad Chriſtum converteretur, eum ne conviciis inceſſit?

℞. Matthæus cap. XXVII. 44. hæc habet: *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei:* & Marcus cap. XV. 32. *Qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.* Ob id nonnulli ex ſanctis Patribus opinantur, ab utroque latrone, atque ideo etiam a pœnitente Chriſtum contumeliis initio vexatum. Alii e contrario latronem impium dumtaxat ejus ſceleris reum faciunt, quoniam Lucas cap. XXIII. 39. 40. aperte aſſerit, altero blaſphemante, alterum in Chriſtum credidiſſe, & increpaſſe blaſphemantem. Matthæum vero & Marcum ita cum Luca conciliant, ut velint, illos breviter locum hunc perſtringentes pluralem numerum pro ſingulari poſuiſſe. S. Auguſtinus in primis lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 16. §. 53. confirmat id multis exemplis, atque etiam ex eo, quod *dictum eſt* latrones, *vel* qui cum eo crucifixi erant, *nec additum eſt* ambo. (16). Quo conſtituto ſequitur, dumtaxat latronem improbum contumelias in Chriſtum jeciſſe. (17)

10. *Fuit*

(16) Synopſis Criticorum in Matth. cap. 27. pag. 677. *Synecdoche, vel Syllepſis, qua de uno in plurali numero loquitur: vel Enallage numeri. Pluralem numerum uſurpari, ubi unus e multis, ſed indefinite indicatur, veteres novique interpretes monuerunt.*

(17) Chriſto cruci affixo, *qui antea colebant, fugam cœperunt, inimici autem & hoſtes patibulo pendenti circumfuſi contemnebant inſultantes, & deridebant omnes una, Judæi, ac milites inferius, latrones utrique ſuperius: ambo enim ipſi contumeliabantur. Quomodo igitur Lucas de uno dicit; quod alterum increparet? Utrumque profecto factum eſt: uterque antea, poſtea vero alter ſolummodo deridebat.* S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 88. pag. 733.

S. Am-

10. *Fuit ne Martyr?*

℞. S. Hieronymus ita ſcribit epiſt. 13. *Latro crucem mutat paradiſo; & facit homicidii pœnam martyrium*. (18) Hilarius quoque lib. 10. de Trini- Pag. 105.

 ta-

S. Ambroſius in Lucam lib. 10. §. 122. pag. 1530. *Fortaſſe & iſte prius conviciatus eſt, ſed repente converſus eſt*. Etiam S. Hieronymus in Matth. cap. 27. pag. 64. ait, latronem utrumque prius blaſphemaſſe. D. Thomas 3. part. quæſt. 46. art. 11. ad 3. & hanc D. Hieronymi, & ſupra memoratam D. Auguſtini ſententiam juxta probat.

(18) Gloſſa in hunc locum S. Hieronymi, qui citatur cap. *Importuna* 58. diſt. 1. de pœnitentia, eſt hujuſmodi: *Martyrium) non in rei veritate fuit martyrium; ſed propter ſimilitudinem facti, vel ideo dicitur pœna converſa in martyrium; quia per fidem & patientiam, quam tunc habuit, dignus fuit æterno præmio; ſcilicet ut intraret ſtatim ad vitam, ſicut & illi, qui patiuntur martyrium: ut 1. de conſec. d. 4. baptiſmi vicem contra. Ibi enim dicitur, quod latro non pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum: & pœna non facit martyrem, ſed cauſſa, ut dicit Auguſtinus; Quare martyrium non fuit: quod & verum eſt. Ejus ergo pœna martyrium dicitur ratione æterni præmii, quod quaſi martyr recepit confitendo, vel ratione confeſſionis, quam in patibulo habuit; ſicut enim martyr; ſic latro inter pœnas Chriſtum confiteri non timuit*.

S. Bonaventura in 4. ſent. diſt. 4. part. 2. dub. 1. pag. 52. *Ad martyrium completum duo concurrunt, juſta voluntas, & juſta cauſſa: Primum defecit in Innocentibus; ſecundum vero in Latrone: & ita de ſe neutrum fuit completum martyrium. Sed Dominus Innocentibus, quia ſimul cum ipſo nati ſunt, & propter hoc, quod erat coætaneus illis, ſupplevit, quod deerat ex parte voluntatis: ſic in latrone, quod deerat ex parte cauſſæ. Unde optime dicit Hieronymus: Quod fecit eſſe martyrium, quod Dominus de ſe ſuppleverit: & ſic patet controverſia; quia de ſe non fuit martyrium completum, ſed Dominus fecit*.

Humbertus Cardinalis Epiſcopus Silvæ Candidæ lib. 2. adverſus Simoniacos extremo cap. 42. in Edmundi Martene Theſauro novo Anecdotorum tom. 5. pag. 760. dicit, Latronem, qui *Chriſtum Regem & Dominum etiam in cruce* ma-

tate §. 34. refert, Chriſtum latroni *martyri ſuo paradiſum promiſiſſe*. Ab Auguſtino lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. §. 11. *inter Martyres computatur, qui ſuo ſanguine baptizantur; quod pleriſque non baptizatis fervente perſecutione provenit. Tanto namque pondere appenſum eſt; tantumque valuit apud eum, qui hæc novit appendere, quod confeſſus eſt Dominum crucifixum, quantum ſi fuiſſet pro Domino* Bibl. Patr. tom. 5. pag. 566. *crucifixus*. Etiam ab Avito Epiſcopo Viennenſi epiſt. 3. *martyr ex fure* dicitur: in hanc ſententiam exſtant quoque extremo libro 3. Poematum Pag. 611. ejuſdem carmina:

Ille tamen nexus membris, nec corde ligato
Etſi confixas clavis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum voce tetendit,
Sicque reus ſcelerum dum digna piacula pendit,
Martyrium de morte rapit.

II. *Quo nomine vocabatur?*

℟. Ei nomen *Mattha*, quemadmodum impro- Pag. 482. tom. 3. bo latroni *Joca*, fuiſſe, legitur in Collectaneis, quæ Bedæ, non ſine magna tanti viri injuria, adſcribuntur. In hiſtoria Chriſti Xaveriana pag. 480. alter dicitur *Vicimus*, alter *Juſtinus*: in Evangelio Apocrypho infantiæ Chriſti cap. 23. alter *Titus*, & *Dumachus* alter: & in Evangelio Pſeu-

morientem corde credere & ore confiteri non dubitavit, ex pœna latronis meritum eſſe triumphum martyrii.

Fuere tamen, qui negarent, ut ait Stephanus Baluzius in annotat. ad S. Cyprianum epiſt. 73. num. 53. pag. 291. *iſtum honorem ei tribui poſſe, quia, ut ait Hugo Archiepiſcopus Rothomagenſis lib. 5. cap. 9. dialogorum ſuorum, neque baptiſmo regeneratus erat, nec cauſſa Chriſti in cruce fuerat affixus. Unde ſequebatur illum non eſſe martyrem. Et tamen Rupertus lib. 3. in Evangelium Joannis videtur exiſtimaſſe, illum baptizatum fuiſſe in aqua, quæ fluxit de latere Chriſti*. Vide ſupra annotat. 9. & Lambertinum de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 12. num. 10.

Pſeudo-Nicodemi extremo cap. 9. nomen probo Bibl.
eſt *Dimas*, improbo *Geſtas*. (19) Id quod etiam Patr.
Goffridus Vindocinenſis in fine ſermonis decimi tom. 21.
prodidit. Contra vero alii (adeo nihil certi eſt) pag. 83.
Diſmam vocarunt latronem improbum, & *Geſtam* probum. Nota ſunt carmina illa:

Imparibus meritis tria pendent corpora ramis:
Diſmas, Geſtas: in medio eſt divina poteſtas:
Diſmas damnatur, Geſtas ſuper aſtra levatur.

Sacella nonnulla ſub eodem *Dimæ*, ſeu *Diſmæ* nomine Sancto Latroni conſecrata, ſcribit Baronius in annotationibus ad Martyrologium Romanum VIII. Kal. Apriles. At in Martyrologio ipſo nullum ei imponitur nomen. Sic enim legas: *Hieroſolymis commemoratio ſancti Latronis, qui in cruce Chriſtum confeſſus ab eo meruit audire:* Hodie mecum eris in Paradiſo. (20)

(19) Apud Joannem Albertum Fabricium in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti pag. 186. & 258.

(20) Gerardus Joannes Voſſius Harm. Evangelicæ lib. 2. cap. 8. §. 20. *Nec Chryſoſtomo aſſenſerim exiſtimanti* (tom. 2. edit. Græcolat. ſerm. 7. addititio) *hunc latronem fuiſſe hominem gentilem. Potius Judæum cenſeo; quo & Euthymius inclinat, propterea quod crederet, Chriſtum eſſe promiſſum Meſſiam. Nam unde alioqui ea Gentili foret notitia? Ne illud quidem pro certo admiſero, quod Chryſoſtomus* (hom. 55. in Geneſ.) *Eulogius* (in Apologet.) *Coſmas Hieroſolymitanus* (in canone de exaltatione Crucis od. 7.) *putant eum ſolitum noctu inſidias ſtruere, ac multis fuiſſe homicidiis infamem. Quod item ab annis amplius triginta latrocinatus dicitur: imo Jeſum intercepiſſe in via, cum Maria & Joſephus cum Puero fugerent in Ægyptum. Hiſce fabulis occaſionem præbuit, quod Scripturis dicitur* λῃστὴς; *quaſi non ea vox habere locum poſſit, ſi zelo nimio in ſeditione commiſerit homicidium. Quo inclinat Innocentius III.* (ſerm. 1. de converſ. S. Pauli) *& Idiota* (contemplatione de conflictu carn. & anim. cap. 4.) *Potuit igitur non modo prima ætate eſſe religione Judaica imbutus, ſed etiam in provecta diu bene vitam compoſuiſſe, ſed ob unum inſigne facinus addici cruci.*

Græci in Menæis celebrant XXIII. Martii *memoriam pii*

12. *Quid hic intelligitur nomine* Paradiſi ?

℞. Interroganti hac ſuper re Dardano Auguſtinus dat reſponſum duplex epiſt. 187. cap. 3. §. 7. Habe ſecundum, quod Auguſtino ipſi videtur eſſe verius & melius. *Eſt autem*, inquit, *ſenſus multo expeditior, & ab aliis omnibus ambiguitatibus liber, ſi non ſecundum id, quod homo erat, ſed ſecundum id, quod Deus erat, Chriſtus dixiſſe accipiatur*: Hodie mecum eris in Paradiſo. *Homo quippe Chriſtus illo die ſecundum carnem in ſepulcro, ſecundum animam in inferno futurus erat: Deus vero idem ipſe Chriſtus ubique ſemper eſt .... Ubicumque ergo ſit Paradiſus, quiſquis beatorum ibi eſt, cum illo ibi eſt, qui ubique eſt*. (21) Auguſtino, ut fere ſolet, conſentit D. Thomas: *Illud verbum Domini eſt intelligendum non de Paradiſo terreſtri corporeo, ſed de Paradiſo ſpirituali, in quo eſſe dicuntur, quicumque divina gloria perfruuntur. Unde latro loco quidem cum Chriſto ad infernum deſcendit, ut cum Chriſto eſſet, quia dictum eſt ei*, Mecum

3. Part. quæſt.52. art. 4. ad 3.

latronis cum Chriſto crucifixi. Bolland. ad diem 25. ejuſdem menſis Martii pag. 543.

Edmundus Martene apud citatum Baluzium in annotat. ad S. Cyprianum epiſt. 73. num. 53. pag. 292. *in deſcriptione itineris ſui per Gallias pag.* 24. *teſtatur ſingulis annis celebrari Miſſam de Sancto latrone in Eccleſia Bituricenſi in die Sabbati Sancti*.

(21) Idem lib. 12. de Geneſi ad litteram cap. 34. §. 6. *Animæ illius latronis, cui dixit*; Hodie mecum eris in Paradiſo, *non utique inferos præſtitit, ubi pœnæ ſunt peccatorum: ſed aut illam requiem ſinus Abrahæ; non enim alicubi non eſt Chriſtus, cum ipſe ſit ſapientia Dei attingens ubique propter ſuam munditiam: aut illum Paradiſum ſive in tertio Cælo, ſive ubicumque alibi eſt, quo poſt tertium cælum raptus eſt Apoſtolus: ſi tamen unum non eſt diverſis nominibus appellatum, ubi ſunt animæ beatorum*. Vide noſtram Hiſtoriam Apoſtolicam in S. Paulo Interrogatione 9.

cum eris in Paradiſo, *ſed præmio in Paradiſo fuit, quia ibi divinitate Chriſti fruebatur, ſicut & alii Sancti*. Itaque Paradiſus latroni a Chriſto promiſſus eſt beatitudo illa optatiſſima, quæ in Dei viſione conſiſtit. (22)

(22) Ita etiam Bellarminus lib. 1. de ſeptem verbis a Chriſto in cruce prolatis cap. 4.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 13. §. 31. ſcribit, latronem ingreſſum eſſe Paradiſum ante Abraham, Moyſem, & Prophetas. Verum etſi latro primus eſt, cui Paradiſus promiſſus fuiſſe legatur; cum tamen Chriſtus momento eodem, quo expiravit, ad inferos deſcendens ſanctos illos Patres, ceteroſque pios e carcere liberatos ſecum adduxerit in Paradiſum, non ante eos ingredi potuit latro, qui duntaxat poſt Chriſtum fractis cruribus extinctus eſt. Ita docet Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. in commentariis art. 11. quæſt. 46. Antonius Auguſtinus Toutee in annotat. ad hunc locum S. Cyrilli opinatur, illum forſan crediſſe (quod etiam docuit auctor libri de Virginitate apud Athanaſium tom. 3. num. 16.) Chriſtum hora diei tantum duodecima, quæ nobis dicitur vigeſima quarta, tranſalpinis ſexta veſpertina, ad inferos deſcendiſſe, ac priuſquam eo ſe conferret, latronem deduxiſſe in Paradiſum: quæ fuit ſententia Titi Boſtrorum Epiſcopi, ſeu alterius auctoris Commentariorum in Evangelium D. Lucæ, quæ ſub ejus nomine habentur tom. 4. Bibl. Patr. pag. 441. Addit præterea, S. Cyrillum exiſtimare potuiſſe, latronem quidem ſtatim a morte ſua in Paradiſum introductum; Patriarchas vero non niſi poſt triduum ab anima Chriſti in ſubterraneis exactum, quod videtur ſignificare Catech. 4. §. 14. & Catech. 14. §. 18.

CAP. XV.

De inſtrumentis paſſionis ac mortis Chriſti.

1. *Quid a veteribus traditum de Columna?*

Pag. 177. Bar. ad an. 34. §. 85. ℞. S Hieronimus epiſt. 27. cap. 4. de Paula loquens, ſancta loca Hieroſolymis perluſtrante, hæc habet: *Oſtenditur illi Columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* (1) Concinit Prudentius in Enchirid. Bibl. Patr. tom. 5. pag. 1057.

Perſtat adhuc, templumque gerit veneranda Columna.

tom. 11. pag. 833. Gregorius Turonenſis lib. I. de Gloria Martyrum cap. 7. addit, a Fidelibus magno in honore ac pretio habitam: *Ad hanc vero Columnam*, inquit, *multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciunt, eamque circumdant, quas rurſum pro benedictione recipiunt diverſis infirmitatibus profuturas.* Beda vero in Lucam cap. 23. *Quæ videlicet columna in Eccleſia montis Sion poſita, Dominici cruoris uſque hodie cernentibus veſtigia certa demonſtrat.*

2. *Quam-*

(1) *Quibus verbis ſignificat, Columnam illam eſſe majorem ea, quæ Romæ conſpicitur: & ideo fortaſſe illa Romana tantum eſt pars ejus columnæ: niſi loquatur Hieronymus de inferiori porticu, quæ humiliori columna poterat ſuſtentari.* Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 35. ſect. 2. Vide diſputationem XI. de flagellationis Chriſti columna apud Franciſcum Collium lib. 3. de ſanguine Chriſti, & Lambertinum de Feſtis D. N. Jeſu Chriſti part. 1. §. 247. pag. 107.

2. *Quamdiu Columna hæc Hieroſolymis ſtetit?*

℟. Uſque ad ſæculum Chriſti tertium decimum. Etenim Nicephorus Calliſtus, qui vixit ſæculo inſequente decimo quarto, ſcribit, eam olim quidem, non autem ætate ſua in Templo Hieroſolymis fuiſſe. *In eo Templo*, ait lib. 8. cap. 30. *marmorea quoque Columna fuit, ad quam, cum flagellis cæderetur, alligatus eſt Servator*. Inde vero Romam tranſlata fuit anno Chriſti circiter 1213. ſub Pontificatu Honorii III. ab Joanne Cardinale Columna, Apoſtolico ad Orientales Legato. Poſita eſt in Æde S. Praxedis ad Exquilias. Etiam nunc conſpicitur & colitur in ejuſdem Eccleſiæ Sacello, cui inſcriptus legitur hic tranſlationis index: *Columna, quæ in hac ſacra Capella reconditur, hæc eſt .... quam Joannes Cardinalis Columna Legatus Apoſtolicus in partibus Orientalibus ſub Honorio III. circa annum Domini 1213. huc aſportavit*. (2)

3. *Corona ex quo ſpinarum genere contexta erat?*

℟. Id ambigitur inter peritiſſimos. Nam alii ex ſpinis, quæ circa Hieroſolymam naſci ſolerent; alii ex rhamno; plerique ex juncorum mari- Bar. ad an. 34. §. 80.

(2) Aliqui putant columnam hanc Romanam eſſe duntaxat partem columnæ, de qua loquitur S. Hieronymus, ſuperiorem, vel inferiorem: alii probabilius eſſe integram. Quæcumque ſit, conſtat ex marmore cœruleis albiſque maculis diſtincto: ejus longitudo habet pedes duos: diametros pedem unum in parte inferiori, & octoni pollicis craſſitudinem in parte ſuperiori, cui annexus eſt ferreus anulus, ſontium manibus poſt tergum vinctis religandis accommodatus, ut corpus totum flagellis ac virgis pateret. Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 10. num. 21.

rinorum acuminibus quaſi ſpinis prælongis contextam putant. Hoc poſtremum teſtatur S. Anſelmus Cantuarienſis, ſeu alius auctor Dialogi de Paſſione Domini. Ait enim cap. 7. *Hæc Corona non fuit de ſpinis, ſed de juncis marinis, qui habent acutiores aculeos, quam veræ ſpinæ*. Conſentit Gulielmus Durandus in Rationali Divinorum Officiorum lib. 6. cap. 77. §. 17. *Corona fuit de juncis marinis, ſicut etiam vidimus in theſauris Regis Francorum, quorum acies non minus ſpinis duræ ſunt & acutæ*. Franciſcus Suarez eamdem ſententiam habet in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 35. ſect. 3. *Qualis autem fuerit illa corona, & quales ſpinæ, ex quibus fuit contexta, communiter fertur fuiſſe ex juncis, qui habent oblongas & acutas ſpinas duriores terreſtribus, & ita indicant ſpinæ illæ, quæ in Eccleſia aſſervantur*. Sed Martinus de Rio, qui perinde ac Durandus, Pariſienſem illam coronam ſe vidiſſe teſtatur, Lect. 9. de paſſione apud Lambertinum aſſerit, ſpinas ejus *nil quidquam cum juncis marinis commune habere*. (3) Itaque hoc unum certo ſcimus, *coronam de ſpinis* a militibus impoſitam capiti Jeſu.

4. *Qua forma contexta erat?*

℟. Inſtar pilei, ut totam ſuperiorem capitis partem tegeret, non inſtar vittæ, ut frontem duntaxat ac tempora cingeret. Docet id S. Vincentius Ferrerius ſerm. 64. Feria VI. Paraſceves
Pag. 223. §. 3. *Et plectentes coronam de ſpinis marinis, quæ acutiores, & longiores ſpinas habent ceteris ſpinis, capiti ejus impoſuerunt, quæ eum in capite in ſeptuaginta duobus locis crudeliter vulneravit. Nam erat ad modum pilei, ita quod undique caput tegeret, &*

(3) De Feſtis D. N. Jeſu Chriſti part. 1. §. 255. pag. 111.

& tangeret, ita ut aculei oſſa penetrarent. S. Brigitta lib. 4. Revelat. cap. 40. *Corona ſpinea capiti ejus arctiſſime impoſita eſt, quæ ad medium frontis deſcendebat*. (4)

5. *Expone nunc formam Crucis*.

℟. Ut ſalutiferæ Crucis forma cognoſcatur, prius ſciendum eſt ex Gretſero lib. 1. de Cruce cap. 1. & Lipſio, pariter lib. 1. de Cruce cap. 6. 7. 8. 9. Crucem aliam eſſe *ſimplicem* unico conſtantem ligno, cui ſontes vel clavis infiguntur, vel funibus alligantur: aliam *compoſitam*, quæ ex duplici ligno obliquato conſtruitur. Rurſus hanc dividi in *decuſſatam*, *commiſſam*, *&* *immiſſam*. *Decuſſatam*, ut patet ex nomine ipſo, conſtare lignis duobus decuſſatis in ſimilitudinem Græcæ litteræ & Latinæ X, qualis fuiſſe dicitur Crux, in quam S. Andreas Apoſtolus actus eſt. *Commiſſam* fieri, cum ligno erecto brevius alterum atque tranſverſum in ipſo vertice ita committitur, ut nihil emineat, cujus ſimilitudinem habet littera majuſcula Græcorum Tau, & Latinorum T. *Immiſſam* demum hanc eſſe †, in qua ſtipes ſupra lignum tranſverſum eminet. Quibus poſitis habendum eſt pro certo, Chriſtum neque *ſimplici*, neque *decuſſatæ* affixum fuiſſe, ſed *commiſſæ*, vel *immiſſæ*.

6. Qui-

(4) Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 12. *De numero ſpinarum nihil Scriptura, aut veteres Patres tradunt, licet aliqui dicant fuiſſe duas & ſeptuaginta, alii plures, alii pauciores. Sed res hæc incerta eſt; hoc conſtat, ſatis multas fuiſſe, cum ex illis integra corona fuerit contexta*. Idem docet Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 35. ſect. 3.

6. *Quinam ex Sanctis Patribus docent, Chriſtum affixum Cruci* commiſſæ, *& quinam* immiſſæ?

℟. *Commiſſæ* affixum ſentire videntur Tertullianus & Hieronymus, qui litteram Græcam Tau, & Latinam T Crucis ſpeciem exhibere ſcribunt. Tertulliani verba ſunt in libro 3. contra Marcionem cap. 22. *Ipſa eſt littera Græcorum Tau, noſtra autem T ſpecies Crucis.* (5) Hiero-
Pag. 354. nymi in commentariis ad cap. 9. Ezechielis: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus uſque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau littera Crucis habet ſimilitudinem.* Id quod ſcripſit etiam S. Paulinus Epiſcopus Nolanus epiſt. 24. ad Severum his ver-
Alias 2. bis: *Chriſtus non multitudine, nec virtute legionum, ſed jam tum in Sacramento Crucis, cujus figura per litteram Græcam T numero trecentorum exprimitur, adverſarios Principes debellavit.* (6) Cruci vero *immiſſæ* ſuffixum putant, qui quatuor fuiſſe Crucis extremitates ſeu fines cenſent, S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone §. 91. pag. 188. S. Irenæus l. 2. adverſus hæreſes cap. 42. Damaſcenus lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 12. Sedulius lib. 3. atque ut alios omittam a Gretſero lib. I. de Cruce cap. 3. recenſitos, S. Auguſtinus in Pſal. 103. ſerm. 1. §. 14. *Erat latitudo, in qua porrectæ ſunt manus: longitudo a terra ſurgens, in qua erat corpus infixum: altitudo ab illo devexo ligno ſurſum quod eminet: profundum, ubi fixa erat Crux.* Qui etiam tra-

(5) Nicolaus Rigaltius in annotat. ad hunc locum Tertulliani: *Hoc ipſum imitati videntur Patres noſtri, dum, ut in Miſſalibus antiquis initio Canonis in littera T ubi legitur:* Te igitur clementiſſime Pater, *ſolent pictam exhibere Crucem Chriſti, in cujus hodie locum ſucceſſit ipſa Crucis imago pagina proxime præcedenti.*

(6) Vide Muratorii diſſertationem 21. quæ eſt *de Cruce Nolana*, & exſtat tom. 1. Anecdotorum pag. 210.

tractatu 118. in Joan. §. 5. *Lata eſt in tranſverſo ligno, quo extenduntur pendentis manus: Longa eſt a tranſverſo ligno, uſque ad terram, ubi dorſum pedeſque figuntur: Alta eſt in cacumine, quo tranſverſum lignum ſurſum verſus exceditur.*

7. *Eſt ne via & ratio aliqua conciliandi Patres iſtos inter ſe?*

℞. Viam monſtrant Innocentius III. ſummus Pontifex, Nicephorus Calliſtus, & auctor Gloſſæ in Clementinam de ſumma Trinitate, & Fide Catholica. Innocentius ſerm. 1. habito in Concilio Oecum. XII. Lateranenſi IV. ita loquitur: *T eſt ultima littera Hebraici Alphabeti exprimens formam Crucis, qualis erat antequam Domino Crucifixo Pilatus titulum ſuperponeret.* (7) Nicephorus lib. 8. cap. 29. Dominicæ Crucis inventionem narrans, *Tres*, inquit, *ſparſim disjectæ Cruces, & tabula præterea alba inventa, in qua diverſis litteris Pilatus Regem Judæorum ſcripſerat, eaque ſupra caput Chriſti collocata in morem columnæ crucifixum illum Judæorum Regem eſſe promulgarat.* Auctor demum Gloſſæ affirmat. *Tabulam ſupra Crucem loco quarti brachii fuiſſe.* Quæ ſi ita ſunt, facile Patres inter ſe conciliantur. Nimirum qui Crucem Chriſti litteræ T ſimilem, atque ideo *commiſſam* faciunt, Crucem a tabula ſeu titulo inſtar columnæ Cruci impoſito ſejunctam deſcribunt: qui vero dicunt eam habuiſſe quatuor extremitates ſeu fines, ac proinde *immiſſam* fuiſſe, Cru-

(7) Apud Labbeum tom. XI. Conc. part. 1. pag. 133.

Crucem cum tabula ſuperpoſita conjungunt ; & de utraque ſimul loquuntur. (8)

8. *Numquid inſuper ſpectat ad formam Crucis?*

℟. Spectat lignum medio ſtipiti annexum, de quo Juſtinus, Irenæus, ac Tertullianus memorant. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone §. 91.
Pag. 188. *Unicornis cornua nemo dicere aut demonſtrare poſſit in alia re aut figura inveniri, niſi in ea, quæ Crucem exhibet. Rectum enim unum lignum eſt, a quo ſumma pars in cornu attollitur, cum adaptatum fuerit aliud lignum, & utrimque extrema, veluti cornua uni adjuncta cornu, apparuerint. Et illud, quod in medio figitur, ut ei inſideant, qui crucifiguntur, ipſum etiam veluti quoddam cornu eminet, & cornu ſpeciem exhibet cum aliis cornibus conformatum, & fixum.* Irenæus lib. 2. adver. Hæreſes cap. 42. *Ipſe habitus Crucis fines & ſummitates habet quinque. Duos in longitudine, & duos in latitudine; & unum in medio, in quo requieſcit, qui clavis affigitur.* Tertullianus lib. 1. ad Nationes cap. 12. *Pars Crucis, & quidem major eſt omne robur, quod de recta ſtatione defigitur. Sed nobis tota Crux imputatur, cum antenna ſcilicet ſua, & cum illo ſedilis exceſſu.* Idem adverſus Judæos cap. 10. & adverſus Marcionem lib. 3. cap. 18. *In antenna navis, quæ Crucis pars eſt, extremitates cornua vocantur; unicornis autem, media ſtipitis palus.* Gregorius vero Turonenſis, qui anno Chriſti 573. annis amplius trecentis poſt Tertullianum floruit, tabulæ affixos Chriſti pedes narrat lib. 1. de Gloria Marty-

(8) S. Iſidorus in Judic. cap. 5. *Notandum vero eſt, quod iſte trecentorum numerus* (militum Gedeonis) *in T littera continetur, quæ Crucis ſpeciem tenet: cui ſi ſuper tranſverſam lineam id, quod in Cruce eminet, addetur, non jam Crucis ſpecies, ſed ipſa Crux eſſet.*

tyrum cap. 6. *In ſtipite erecto foramen factum manifeſtum eſt. Pes quoque parvæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc vero tabulam tamquam ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ.* Non diſſimilia ſunt verba illa Innocentii III. ſerm. 1. de uno Martyre: *Fuerunt in Cruce Domini ligna quatuor; ſtipes erectus, & lignum tranſverſum: truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus.* His & talibus auctoribus uſi, præter *ſedile* etiam ὑποπόδιον *ſuppedaneum* Cruci aptatum fuiſſe, docent aliqui: alii *ſuppedaneum* tantummodo admittunt exiſtimantes, rem unam & eamdem eſſe, quamvis non eiſdem verbis a laudatis Patribus memoratam: & rurſus alii, rejecta Gregorii ſententia, *ſedile* duntaxat agnoſcunt eminens *ut cornu*, quod certe non habet formam tabulæ, ſed potius ligni palo infixi, cui, ut ait S. Juſtinus, ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι, *inſidentes vehuntur Crucifixi*. In tanta diſſenſione ſapientum exactam Dominicæ Crucis formam cogimur ignorare.

9. *Ex quo ligno conſtabat?*

℞. In diverſis diverſa lego. (9) In re dubia me

(9) Auctor Gloſſæ in Clementinam I. de ſum. Trin. & Fide Catholica: *Fertur etiam Crux quatuor genera lignorum habuiſſe, ſcilicet cedrum in ſtipite, palmam in palo per longum, cupreſſum in ligno ex tranſverſo, olivam in tabula ſuper Crucem loco quarti brachii; & datur verſus.*

Ligna Crucis ſunt palma, cedrus, cupreſſus, oliva.

Auctor Collectaneorum, quæ Bedæ perperam adjudicantur, pag. 495. tom. 3. *Crux Domini de quatuor lignis facta eſt, quæ vocantur Cupreſſus, Cedrus, Pinus, & Buxus. Sed Buxus non fuit in Cruce, niſi in tabella de ligno illo ſupra frontem Chriſti fuit, in qua conſcripſerunt Judæi titulum:* Hic eſt Rex Judæorum. Joannes Cantacuzenus in *Aſſert. contra Mahumetanos* apud Vincentium Ludovicum Gotti in Veritate Religionis Chriſtianæ tom. 4. part. 2. cap. 27. §. 1. num.

me inter eos poni malo, qui cum Juſto Lipſio, & Angelo Rocca ex una tantum ligni ſpecie, & quidem quercu compactam fuiſſe opinantur. (10) Primum quia viri fide digni affirmant, ſanctiſſimi ligni fruſta, quæ pluribus in locis hodie coluntur, (11) quercus ſpeciem referre: deinde quia crebra & frequens in Judæa olim fuerit, atque etiam nunc ſit arbor illa, & veriſimile videatur, Cruces ex obvio & prompto aliquo ligno & robuſto ad ſuſtinenda corpora fabricatas. Hinc Proba Falconia doctiſſima, & ſpectatiſſima femina, Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo æqualis, & illorum epiſtolis ad eam miſſis notiſſima, in Centone de Fidei noſtræ myſteriis ex Virgilii carminibus contexto cap. 34.

Bibl. Patr. tom. 5. pag. 1226.

In-

1. num. 2. pag. 127. ponit Cupreſſum in ſummo, Pinum in tranſverſo, Cedrum in imo.

Lipſius lib. 3. de Cruce cap. 13. hæc *curioſe magis dicta arbitratur, quam vere;* & Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 6. concludit, *incertum eſſe, ex quo ligno Crux Domini confecta fuerit.*

(10) Lipſius lib. 3. de Cruce cap. 13. pag. 672. tom. 3. Rocca de particula Sanctiſſimæ Crucis cap. 2. pag. 257. tom. 1.

(11) S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 10. §. 19. *Multa exſtant, dilecti, vera de Chriſto teſtimonia... Sanctum Crucis lignum, quod ad hodiernum uſque diem apud nos conſpicitur, ac per eos, qui fide impellente ex eo fruſta decerpunt, orbem fere totum hinc jam opplevit. Teſtatur palma in valle ſita, quæ ramos pueris Chriſtum olim encomio celebrantibus miniſtravit.* Idem ſupra dixit catech. 4. §. 10. & repetit infra catech. 13. §. 4.

S. Paulinus epiſt. 31. alias 11. *Crux in materia inſenſata vim vivam tenens ita ex illo tempore innumeris pæne quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie dividua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus.* Vide Baronium ad an. 326. §. 50. & Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. ſæculo IV. cap. 6. art. 12. pag. 219. tom. 4. ubi confutat Rivetum improbantem ea, quæ S. Cyrillus narrat.

Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituunt.

10. *Quæ erat ejus magnitudo?*

℟. Vix equidem auſim affirmare, quod quidam auctores ſunt, eam quindenos pedes altam fuiſſe, octonos latam: tum quia nullam apud antiquos Patres hujus rei mentionem invenio: tum quia, ut docet Baronius in annot. ad Martyrologium VII. Idus Aprilis, *altiores cruces parabantur duntaxat eminentioris ſtatus* ac fortunæ viris, qualem profecto nec Judæi, nec Romani Chriſtum Dominum habebant, ſed *fabri filium, & fabrum:* tum etiam quia nec Chriſtus verberibus, & multa ſanguinis effuſione debilitatus ac pæne confectus, nec Simon Cyrenæus feſſus de via Crucem hujuſmodi ferre potuiſſet, præſertim ſi fuit ex quercu, arbore valde gravi & ponderoſa. Itaque crediderim non exceſſiſſe magnitudinem Crucis ordinariam, atque ex earum genere fuiſſe, quæ vulgaribus hominibus parari conſueverant. (12) Matth. XIII. 55. Marc. VI. 3.

11. *Quid de inventione Crucis narrant veteres Patres?*

℟. S. Cyrillus in epiſt. ad Conſtantium Imperatorem §. 3. ita narrat: *Ac tempore quidem Deo amiciſſimi ac felicis recordationis Conſtantini Patris tui ſalutare Crucis lignum in Hieroſolymis eſt repertum, divina gratia viro pietatem recte quærenti hoc* Bar. ad an. 326. §. 42. 43. 44.

O lar-

(12) Erant aliquando Cruces adeo humiles, ut Crucifixi quadrupedum ferarum morſibus peti poſſent. Legitur id de Blandina martyre apud Euſebium lib. 5. cap. 1. Vide Lipſium de Cruce lib. 3. cap. 11. & Gretſerum pariter de Cruce lib. 1. cap. 7.

largiente, ut abſconditos ſanctos locos inveniret. Fuſius rem exponit S. Ambroſius in oratione de o-
Pag. 1209. tom. 2. bitu Theodoſii §. 43. & 45. *Venit ergo Helena, cœpit reviſere loca ſancta, infudit ei Spiritus, ut lignum Crucis requireret. Acceſſit ad Golgotha, & ait: Ecce locus pugnæ; ubi eſt victoria? Quæro vexillum ſalutis, & non invenio ....: Aperit itaque humum, decutit pulverem, tria patibula confuſa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus abſconderat. Sed non potuit obliterari Chriſti triumphus. Incerto hæret: hæret ut mulier, ſed certam indaginem Sanctus Spiritus inſpirat, eo quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum. Sed poterat fieri, ut patibula inter ſe ruina confunderet, caſus inverteret. Redit ad Evangelii lectionem, invenit, quia in medio patibulo prælatus titulus erat:* Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. *Hinc collecta eſt ſeries veritatis, titulo Crux patuit ſalutaris. Hoc eſt, quod petentibus Judæis Pilatus reſpondit:* Quod ſcripſi, ſcripſi, *id eſt non ea ſcripſi, quæ vobis placerent, ſed quæ ætas futura cognoſceret, non vobis ſcripſi, ſed poſteritati; propemodum dicens: Habeat Helena, quæ legat, unde Crucem Domini recognoſcat.* Etiam S. Chryſoſtomus ex ti-
Pag. 432. tulo recognitam Crucem Salvatoris docet hom. 84. in Joannem. Rufinus autem lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 8. Socrates lib. 1. cap. 17. & Theodoretus lib. 1. cap. 18. cognitam putant ex miraculo repente ſanatæ mulieris, quæ erat morti proxima; Paulinus epiſt. 31. & Sulpitius Severus lib. 2. Hiſt. Sacr. cap. 34. ex miraculo mortui contactu ejus ad vitam revocati: Sozomenus vero lib. 2. cap. 1. & Nicephorus lib. 8. cap. 29. ex utroque. (13)

12. *Quo*

(13) Partem ſanctiſſimæ Crucis, ac Titulum Romam detulit Helena, ac repoſuit in Eccleſia inde appellata *Sanctæ Crucis in Hieruſalem*. Titulus latuit mille circiter annos

12. *Quo anno inventa eſt?*

℟. Anno Chriſti 326. proximo poſt Concilium Nicænum Œcumenicum I. Imperii Conſtantini Magni 21. Silveſtri Pontificis 13. Id ſatis apparet ex Chronico Euſebii, ex Ruffino lib. 10. Hiſt. Eccleſ. cap. 7. & ex Sozomeno, qui lib. 2. cap. 1. refert, eodem ferme tempore, quo memoratum Concilium dimiſſum eſt, Crucem ab Helena inventam fuiſſe: (14) Bar. ad an. 326. §. 42.

O 2 13. *Re-*

hos *in altiore pariete teſtudinis dictæ Eccleſiæ*, ut ait Alexander VI. in Conſtitutione anno 1496. edita, in eo incluſus vel ab ipſa Helena, vel a Valentiniano III. qui anno 425. Imperium occepit. Inventus autem eſt ſub Innocentio VIII. anno 1492. in capſula plumbea cum inſcriptione hac: *Hic eſt Titulus veræ Crucis*: Erat autem hujuſmodi tabella lignea longitudinis unius palmi cum dimidio, in quam inciſa erant verba hæc rubro colore notata: *Jeſus Nazarenus Rex Judæor* corroſo *um*. Vide Conſtitutionem 4. Alexandri VI. ſupra memoratam tom. 1. Bullarii, Baronium ad an. 326. §. 49. Spondanum ad an. 1492. §. 7. & Honoratum Nicquetum in Hiſtoria Tituli Crucis lib. 1. cap. 23. 24. 25. & 26.

(14) Tertullianus De Corona militis cap. 3. *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumque nos converſatio exercet, frontem ſignaculo terimus.*

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 4. §. 14. *Ne Chriſti Crucem erubeſcamus, ſed etiam ſi alter abſcondat, tu palam in fronte obſigna, ut Dæmones regium ſignum intuentes procul fugiant tremebundi. Fac vero hoc ſignum, dum manducas & bibis, ſedes, recubas, exſurgis, loqueris, ambulas, verbo dicam, in omni negotio.* Vide Petavium tom. 5. Theologic. Dogmat. lib. 15. cap. 10. & Annotat. ad S. Epiphanium pag. 57. Durantum de ritibus Eccl. Cath. lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 45.

Micrologus de Eccleſiaſticis Obſervationibus cap. 55. pag. 488. tom. 18. Bibl. Patrum: *Euſebius Papa a B. Petro trige-*

13. *Reperti ne eodem tempere etiam Clavi?*

℞. Etiam. Ambroſius enim poſtquam narravit Crucem ab Helena repertam, ita ſtatim ait loco
Pag. 1211. citato §. 47. *Quæſivit etiam Clavos, quibus crucifixus eſt Dominus, & invenit*. Quod item apud Gregorium Turonenſem lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 6. ſcriptum legimus: *Specioſi omnique metallo nobiliores Dominicæ Crucis clavi, qui beata membra tenuerunt, ab Helena Regina poſt ipſius ſanctæ Crucis inventionem reperti ſunt*.

Bibl. Patr. tom. 11. Pag. 832.

14. *Quot fuerunt?*

Bar. ad an. 34. §. 118.

℞. Conſtat inter omnes, nec pauciores, quam tres, nec plures fuiſſe, quam quatuor. Sed quaternarius numerus doctiſſimis ſapientiſſimiſque magis placuit, utpote receptior apud antiquos. Gregorius enim Turonenſis, quem proxime nominavi, hæc habet: *Clavorum Dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hæc eſt ratio: duo ſunt affixi in palmis, & duo in plantis*. Hoc idem ſentit Innocentius III. Pontifex Maximus ſerm. 1. de uno martyre. Ejus teſtimonio utitur Lucas Tudenſis lib. 2. adverſus Albigenſes cap. 11. *Quatuor*, inquit,

Bibl. Patr. tom. 25. pag. 224.

geſimus ſecundus conſtituit, ut omnes Chriſtiani Inventionem S. Crucis V. Nonas Maji ſolemniter celebrarent.

Joannes Fronto in annotat. ad Kalendarium Romanum pag. 170. *Hic tertia Maji nulla mentio Inventionis S. Crucis. Antiquam hanc celebritatem credit Pamelius ob illa, quæ ait Micrologus: ſed qui animum adverterit ad ea, quæ dicit Micrologus, videbit, ad fabulam eum alludere. Hujus etiam nulla mentio apud Græcos. Itaque non niſi poſt annum a Chriſto 720. cœpit celebrari*.

Bollandus die 3. Maji num. 25. pag. 365. *Merito Joannes Fronto cenſuit, tale Feſtum* (Inventionem Sanctæ Crucis) *poſt annum 720. celebrari cœpiſſe, id eſt inter univerſalis Eccleſiæ Feſta communia numerari*.

quit, *clavos in Domini corpore fuiſſe fixos magnus ille Dei Vicarius, Eccleſiæ Doctor, & hæreſum perſecutor Innocentius III. teſtatur dicens*: Fuerunt in Paſſione Domini quatuor Clavi, quibus manus affixæ ſunt & pedes affixi. *Et poſt pauca*. Duos, *inquit*, pedes & duas manus quatuor clavis debet configere Chriſtianus. *Quid hac auctoritate clarius? Quid his verbis verius, quæ a throno Dei, hoc eſt a Romana Eccleſia per os ſacrum cunctorum Patris Innocentii exierunt?* Eſt etiam in Revelationibus S. Brigittæ, Chriſtum Dominum quatuor clavis crucifixum fuiſſe, lib. 1. cap. 10. lib. 2. cap. 6. & lib. 7. cap. 15. (15)

15. *Quis fuit horum Clavorum uſus?*

℟. Helena, ut ſupra laudatus Ambroſius auctor eſt, *de uno clavo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Miſit filio Conſtantino diadema. Miſit & frenum. Utroque uſus eſt Conſtantinus. In vertice corona, in manibus habena*. Rufinus vero lib. I. cap. 8. non Helenam, ſed Con-

 ſtan-

(15) Baronius ad an. 34. §. 118. *De Chriſto Domino noſtro antiquiores imagines quatuor ipſum affixum clavis repræſentant, nempe ſeorſum ſingulis pedibus ſingulis confixis clavis. Sed aliam ſententiam de tribus clavis recentior probavit uſus.* Franciſcus Quareſmius de Vulneribus Chriſti tom. 2. lib. 1. cap. 9. ſect. 5. probat eos, qui clavos quatuor fuiſſe, ſect. vero 6. eorum argumenta infirmat, qui tres fuiſſe contendunt.

Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 20. *Nec quidquam pietati officit, tribus ne an quatuor clavis Chriſtus crucifixus venerantium oculis ſubjiciatur, dummodo pax & concordia animorum inconcuſſa permaneat, utpote in controverſia nec a Sacris Litteris, neque a Conciliis, neque a Doctoribus Eccleſiæ definita. Nam quod Innocentius III. quatuor clavos deprædicat; id ut Concionator e pulpito, non ut Judex ſupremus ex Apoſtolica Cathedra decernendo facit.*

ſtantinum Clavos in frenum & coronam vertendos curaſſe prodit, quæ verborum diſcrepantia rei & facti veritatem non turbat. Sunt hæc Rufini verba: *Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium, ex quibus ille frenos compoſuit, quibus uteretur ad bellum, & ex aliis galeam nihilominus belli uſibus aptam fertur armaſſe*. Perinde ac Rufinus, etiam Ambroſius *Frenos* primo loco ſcripſerat, at poſtea ſcripſit *Frenum*, & *Habenam*. *Frenum* pariter habet Cyrillus Alexandrinus ad cap. 14. Zachariæ, & Gregorius Turonenſis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 6. qui tamen in eo non probatur, quod ait, ex duobus clavis frenum confectum fuiſſe. Itaque Ambroſio & Cyrillo magis credens, quam Gregorio Turonenſi, qui ſexto Chriſti ſæculo vixit, illud affirmo, ex clavo uno frenum fabricatum, ex altero coronam, quæ galeæ ſpeciem ſuperne referebat, galeam propterea a Rufino appellatam. *Tertius*, ut refert memoratus Gregorius Turonenſis, *projectus eſt in fretum* ad ſedandos motus maris Adriani. Quamquam, quod recte animadvertit Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 93. *forte non tam demerſus eſt in mare, quam immerſus. Vix enim credibile ſit, Helenam tanto theſauro, & ſolatio tam ſe, quam alios penitus privare voluiſſe*. Quod ſignificaſſe videtur Gregorius ipſe ſcribens paullo ante: *Provida Regina condolens excidia miſerorum, unum ex quatuor clavis deponi jubet in pelagus*. *Quartum*, ut narrat idem paucis interjectis, *aſſerunt eſſe defixum in capite ſtatuæ Conſtantini* Conſtantinopoli. (16) Sed qui id aſſerunt re-

(16) Eſt hic integer Gregorii Turonenſis locus lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 6. *Specioſi autem omnique metallo nobiliores Dominicæ Crucis clavi, qui beata membra tenuerunt, ab Helena Regina poſt ipſius ſacræ Crucis inventionem reperti ſunt: & de duobus quidem frenum Imperatoris munivit, quo ſa-*

recentiores Græci mendaces eſſe inveniuntur. Nam Socrates, qui omnium primus de ſtatua hac ſcripſit lib. 1. cap. 17. meminit quidem de particula Dominicæ Crucis incluſa in ea: at de Clavo capiti ejus inſerto nihil prorſus dicit, quamvis mox loquatur de Clavis ab Helena repertis & ad Conſtantinum filium miſſis. Cedrenus quoque in Compendio hiſtoriarum pag. 234. ſtatuam illam deſcribens, nullam facit Clavi mentionem. Similiter Nicephorus lib. 7. cap. 49. ubi ſingillatim recenſet *Reliquias* ſub ejus baſi repoſitas, Clavum nullum memorat, eodemque modo ſilet lib. 8. cap. 29. ubi partem Crucis eidem ſtatuæ inſertam, & Clavos quoſdam ab Helena ad Conſtantinum miſſos, narrat. Quamobrem aliis *pluribus & antiquioribus*, ut ait Gretſerus, *magis cre-*

facilius, ſi adverſæ gentes reſtitiſſent Principi, hac virtute fugarentur. De quibus non eſt ignotum, Zachariam vaticinaſſe Prophetam. Erit, *inquit*, quod in os equi ponitur, ſanctum Domini. *Eo enim tempore Adriaticum mare magnis fluctibus movebatur, in quo tam frequentia erant naufragia & demerſio hominum, ut Vorago navigantium diceretur. Tunc provida Regina condolens excidia miſerorum, unum ex quatuor clavis deponi jubet in pelagus, confiſa de Domini miſericordia, quod ſævas fluctuum commotiones facile poſſet opprimere. Quo facto redditur mare quietum, tranquillaque deinceps navigantibus flabra præſtantur. Unde uſque hodie nautæ ſanctificatum mare venerantur, & cum ingreſſi fuerint, jejuniis, orationibus, & pſalteriis vacant. Clavorum ergo Dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hæc eſt ratio: duo ſunt affixi in palmis & duo in plantis: & quæritur, cur plantæ affixæ ſint, quæ in Cruce ſancta dependere potius viſæ ſunt quam ſtare. Sed in ſtipite erecto foramen factum, manifeſtum eſt. Pes quoque parvæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc vero tabulam tamquam ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ. Quæritur etiam, quid de his clavis fuerit factum. Duo ſunt, quos ſupra diximus aptatos in freno; tertius projectus in fretum: quartum aſſerunt eſſe defixum in capite ſtatuæ Conſtantini, quæ civitate, ut ajunt, tota excelſior eſſe ſuſpicitur, ſcilicet ut tota, cui eminet munitione ſalutis, quodam modo galea coronata eſſet.*

dendum eſt, qui clavum vel in diademate, vel in galea ipſius Conſtantini poſitum affirmant. Etſi fortaſſis corona ſeu galea coronata ſtatuæ impoſita ad illius, quam geſtare ſolebat Imperator, ſimilitudinem fuerit effiɛta.

16. *Quamdiu clavi & frenum Conſtantinopoli fuerunt?*

℞. Uſque ad annum Chriſti 550. aſſervatos eſſe Conſtantinopoli, certum affirmo. Nam Vigilius ſummus Pontifex, cum eſſet in ea Urbe, pollicitus eſt Juſtiniano Imperatori, ſe damnaturum Tria Capitula jurans *per virtutem ſanɛtorum Clavorum, & per virtutem ſanɛti Freni*. (17) *Datum eſt hoc juramentum quinto decimo die menſis Auguſti, Indiɛtione XIII. Imperii Domini Juſtiniani XXIV. novies poſt Conſulatum Baſilii*, quæ
Ad an. Chronologicæ notæ reſpondent anno Chriſti 550.
550. §. 11. ut a viro doɛtiſſimo Antonio Pagio animadverſum eſt. Poſt annum hunc a Græcis ad Latinos tranſlati ſunt, fortaſſe per Gregorium illum Magnum, quem Conſtantinopoli Apocriſarii munere funɛtum apud Conſtantinum Tiberium Auguſtum, *magnis donatum muneribus, nempe ſacroſanɛtis Reliquiis*, Romam rediiſſe, docet Baronius ad an. 586. §. 25.

17. *Quot*

(17) Refertur hoc jusjurandum a Stephano Baluzio in addendis ad Concilium V. Oecumenicum tom. 1. novæ Colleɛtionis pag. 1544. Tria autem illa Capitula in eo jurejurando fuiſſe dicuntur hæc: *Theodorum Mopſueſtenum cum ſcriptis ſuis; & Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ; & Conſcripta Theodoreti contra orthodoxam fidem, & contra XII. Capitula ſanɛti Cyrilli diɛta*. De tribus Capitulis diximus in annotat. 3. & 11. ad vitam Vigilii Pontificis LXI. in Vitis Pontificum Romanorum deſcriptis a nobis.

17. *Quot nunc apud Latinos coluntur?*

℟. Quinque & viginti numerat vir eruditiſſimus Juſtus Fontaninus in diſſertatione de Corona Ferrea Langobardorum anno 1717. Romæ edita, cap. 13.

I. *Romæ in Baſilica S. Crucis in Hieruſalem.*
II. *Modoetiæ in Baſilica Præcurſoris.*
III. *Mediolani in Æde Metropolitana.*
IV. *Turni ad lacum Larium.*
V. *VI. VII. Venetiis in Baſilicis Patriarchali, Ducali, & Clariſſarum.*
VIII. *Torcelli in Æde Antoniana.*
IX. *Spoleti in templo ſancti Salvatoris.*
X. *Anconæ in Cathedrali Baſilica.*
XI. *Senis in noſocomio ſanctæ Mariæ de Scala.*
XII. *Apud Collenſes in Tuſcia.*
XIII. *Neapoli in cœnobio Sanctæ Patritiæ.*
XIV. *Catinæ in Sicilia.*
XV. *Apud Hiſpanos in Æde Laurentiana Eſcorialenſi.*
XVI. *Carpentoracti.*
XVII. *XVIII. Lutetiæ in ædibus Sancti Dionyſii, & Carmelitarum.*
XIX. *Treviris.*
XX. *Tulli Leucorum.*
XXI. *Aquiſgrani.*
XXII. *Coloniæ Agrippinæ.*
XXIII. *Viennæ Auguſtæ.*
XXIV. *Apud Andecenſes monachos in Bavaria.*
XXV. *Norimbergæ.*

18. *Qua ratione adeo auctus clavorum numerus?*

℟. Alii alio modo auctum exiſtimant, at ſimul docent ſingulis clavis jure a Fidelibus honorem

Bibl. rem tribui. Lucas Tudenſis, qui anno 1236. cla-
Patr. tom. 25. ruit, lib. 2. adverſus Albigenſes cap. 11. *Omnibus*,
pag. 225. inquit, *pie deferimus, licet tantum quatuor clavi
fixi fuerint in corpore Redemtoris. Potuerunt enim
per partes dividi, vel Crucis compages in tranſver-
ſo ligno, & Titulo fuerunt clavis ferreis colligatæ:
qui omnes conſecrati ſunt ipſo Dei Filio in Cruce
pendente, & merito a Fidelibus cunctis devotiſſime
adorantur. Non enim decipitur juſtus in Catholica
Fide fundatus, nec amitteret mercedem ſuam, ſi lo-
co vivifici Ligni, vel Clavorum Chriſti, a miniſtris
Eccleſiæ aliquid aliud ſibi oblatum devotione Fidei,
ut lignum, vel ferrum, fuerit amplexatus*. Non lon-
ge abeſt ab hac ſententia Baronius ad annum 326.
§. 54. *Forte accidit, ut ex aliquo clavorum Chriſti
modica ſingulis acceſſerit ferri portio, vel potius de-
perditis antiquioribus rem teſtantibus monumentis,
clavi illi, quibus compacta ſunt ligna ſanctiſſimæ
Crucis, crediti ipſi fuerint, quibus Chriſti membra
cruci fuerunt infixa: niſi forte alicubi accidit, ut
clavus aliquis inter ſacras reliquias aſſervatus, quo
myſtica membra Chriſti, nempe martyr quiſpiam cru-
cifixus eſt, idem unus ex ipſis Chriſti clavis fuerit
exiſtimatus. Quidquid ſit, fides (quod ait Ambro-
ſius) purgat facinus: cum nemo Fidelium ferrum
colat, ſed Chriſti potius paſſionem veneretur & ado-
ret in ferro*. Baronium, quod attinet ad poſtre-
mam partem, ſequitur Gerardus Joannes Voſſius
in Harmonia Evangelica lib. 2. cap. 7. §. 35. *Quia
Chriſtus in membris ſuis ſæpe ſit crucifixus. Nempe
ea loquendi forma, qua Chriſtus ipſe Saulo dicebat*:
Act. IX. 4. Cur me perſequeris? Cornelius Curtius de Cla-
vis Dominicis cap. 6. ſuſpicatur, ex Urbe Syriæ
Beryto per varias orbis plagas clavos eos diviſos
eſſe, quibus Chriſti imago ab Judæis veteri odio
& furore percitis crucifixa eſt, ut legere licet

Act.

Act. 4. Concilii Nicæni II. Oecumenici VII, (18).

19. *De Lancea quid habes dicere?*

℞. Lancea eodem tempore & loco, quo Crux & Clavi, a S. Helena inventa eſt, ſi credere libet Andreæ Cretenſi Epiſcopo, qui ſeptimo Chriſti ſæculo vixit. Scribit enim, illam ſimul cum aliis inſtrumentis paſſionis Chriſti defoſſam eſſe. (19) Beda, ſeu alius cap. 2. de locis ſanctis hæc habet: *Lancea militis inſerta habetur in Cruce lignea in porticu Martyrii*, id eſt in Eccleſia ſancti Sepulcri, *cujus haſtile in duas interciſum partes a tota veneratur civitate*. Anno 1092. reperta eſt Antiochiæ in Templo Principis Apoſtolorum, S. Andrea Apoſtolo illam manifeſtante Sacerdoti cuidam Maſſilienſi. Antiochia Hieroſolymam, atque inde Pag. 363. tom. 3.

(18) Apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 744. & apud S. Athanaſium tom. 2. pag. 345. §. 4.

Huc referri poteſt, quod de Reliquiis Sanctorum ait Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 1. diſputat. 55. ſect. 2. *Suppoſita dicta approbatione* (Pontificis vel Epiſcopi) *abſolute adorari poſſunt abſque explicita conditione : tum quia in rebus humanis non eſt major certitudo requirenda, & periculum formalis erroris, ut ita dicam, nullum eſt, cum in ratione formali adorandi non poſſit eſſe error, in qua ratione virtute continetur conditio errorem excludens : tum etiam quia ſi interdum materialiter erretur, nulla erit culpa, cum bona fide & prudenti modo procedatur. Et pie credendum eſt, non permiſſurum Deum hujuſmodi errorem in hoc publico cultu*. Vide Juſtum Fontaninum in diſſertat. de Corona Ferrea cap. 13. §. 5.

(19) Orat. in Venerabilem Crucis exaltationem, quæ eſt apud Gretſerum de Cruce tom. 2. pag. 74. & 75. *Poſtquam a morte in Cruce vitæ & mortis Dominus tribus poſt diebus revixit, invidiæ ſtimulis agitati Judæi, & timore perculſi, ne quid ex venerabilibus & ſacris paſſionis illius inſtrumentis, Judæis quidem in vindictam, Chriſtianis autem in tutelam reſervaretur, depoſitum theſaurum in ima terra defoderunt, crucem intelligo, & omnia, quæ ad crucem pertinent, clavos, lanceam, & titulum a Pilato ſcriptum, crucique affixum*.

de Conſtantinopolim, quo tempore Godefridus Bullionius hanc Urbem cepit, tranſlata eſt. Imperator Balduinus II. ærarii inopia compulſus ejus cuſpidem, & ſpongiam, qua potus Chriſto in Cruce ſitienti oblatus, ſimul cum filio Venetis oppignceravit pro magna pecuniæ vi. Utramque S. Ludovicus IX. Francorum Rex Imperatoris conceſſu redemtam in Regio ſacello Lutetiæ condidit. (20) Quod reliquum erat Lanceæ ferrum, ſervatum Conſtantinopoli in Eccleſia S. Joannis. Hoc Mahumetes II. Urbe anno 1453. capta, una cum theſauro Imperatoris, Reliquiis Sanctorum, & ornamentis Eccleſiarum cuſtodiri juſſit, & Bajazethes ejus filius ac ſucceſſor anno 1492. per Legatum muneri miſit Innocentio VIII. a quo in Æde Vaticana repoſitum eſt. (21)

CAP.

(20) Jacobus Philippus Bergomenſis in ſupplem. Chronici lib. 13. ad an. 1246. *Balduinus cum ægre ſe ab hoſtibus tueretur, ærarii inopia compulſus Venetis proprium filium ob æs mutuo acceptum pignori dedit, partemque Lanceæ, ſpongiamque Chriſti eadem ſub conditione tradidit. Quas poſtea Ludovicus Francorum Rex, cum ipſe Balduinus redimere non poſſet, ab ipſis Venetis, Balduino permittente, redemit, & in Franciam perduxit.* Porro illam Lanceæ partem fuiſſe cuſpidem, docet Stephanus Infiſſura apud Raynaldum ad annum 1492. §. 16. teſtimonio Legati ipſius Bajazethis: *Et cuſpis ejus eſt apud Regem Franciæ, prout ipſe magnus Turca nunciavit Papæ per prædictum ejus Oratorem.* Vide Quareſmium de vulneribus Chriſti tom. 2. lib. 1. cap. 11. ſect. 9. & 10.

Spongia *hodie ſummo honore aſſervatur Romæ in Baſilica Lateranenſi.* Baronius ad an. 34. §. 126. Auctor libelli de locis ſanctis cap. 2. apud Bedam tom. 3. pag. 364. ait, illam ſua ætate fuiſſe Hieroſolymis in Calice Domini reconditam.

(21) Vide Baronium ad an. 1098. §. 16. Spondanum ad an. 929. §. 2. & ad an. 1492. §. 8. Raynaldum ad annum eumdem §. 15. Gretſerum lib. 1. de Cruce cap. 96. & Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. XIV. num. 13. 15. XXII. 2. XXIV. 7. 55. XXX. 6. 14.

Digitized by Google

CAP. XVI.

De Chriſti reſurrectione, & aſcenſu ejus in Cælum.

1. *Quando Chriſtus reſurrexit?*

℟. TErtio a morte die, qui fuit Dominicus, vigeſimus ſeptimus Martii, ſummo mane; quo tempore Chriſti anima, quæ ad inferos deſcenderat, corpori iterum conjuncta eſt: atque ita is, qui triduum mortuus fuerat, egreſſus e ſepulchro clauſo & obſignato, cuſtodibus, quos attonitos obſtupefecerat pavor, nihil videntibus, ad vitam, ex qua moriens diſceſſerat, virtute ſua primus omnium rediit, & ſurrexit. (1) Matth. XXVIII. 2. 6. Bar. ad an. 34. §. 169.

2. *Quomodo dicis tertio die reſurrexiſſe?*

℟. *Scripturarum uſitatiſſimo loquendi modo, quo a parte totum intelligitur*, ut lib. 3. de conſenſu Evangeliſt. cap. 24. §. 6. ſcribit Auguſtinus, cujus verba explanans S. Thomas 3. part. quæſt. 51. art. 4. ad 1. *Ita ſcilicet*, inquit, *quod unam noctem, & unam diem accipiamus pro uno die naturali* (qui a nocte media ad mediam extenditur), *& ſic pri-* Bar. ad an. 34. §. 177.

(1) S. Auguſtinus in Pſal. 54. §. 18. *Veſpere Dominus in Cruce, mane in Reſurrectione, meridie in Aſcenſione*. Et epiſt. 55. cap. 13. §. 23. *Dies Dominicus non Judæis, ſed Chriſtianis reſurrectione Domini declaratus eſt, & ex illo habere cæpit feſtivitatem ſuam*. Et tract. 120. in Joan. §. 6. *Una Sabbati, quem jam diem Dominicum propter Domini reſurrectionem mos Chriſtianus appellat*.

Quo modo *beatiſſimum Dominicæ reſurrectionis locum, qui eſt Hieroſolymis, illuſtrem ac venerabilem cunctis mortalibus efficere* curavit Imperator Conſtantinus, ut ſcribit Euſebius de vita ejus lib. 3. cap. 25. & ſequentibus.

Quamvis anima Chriſti a corpore diſceſſerit, numquam tamen divinitas vel ab anima, vel a corpore ſeparata eſt.

primus dies computatur ab extrema parte ſui, quà Chriſtus in ſexta feria eſt mortuus & ſepultus. Secundus autem dies eſt integer cum viginti quatuor horis nocturnis & diurnis: nox autem ſequens pertinet ad tertium diem. Quamobrem præclare S. Leo

De Reſurrectione I. ſerm. 69. cap. 2: *Ne turbatos diſcipulorum animos longa mæſtitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum diem pars primi noviſſima, & pars tertii prima concurrit, & aliquantulum temporis ſpatio decideret, & nihil dierum numero deperiret.* (2)

3. *Quid*

(2) S. Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 35. §. 50. *Hoc modo locutionis, quo ſignificatur a parte totum; etiam illa de reſurrectione Chriſti ſolvitur quæſtio. Pars enim noviſſima diei, quo paſſus eſt, niſi pro toto die accipiatur, id eſt adjuncta etiam nocte præterita: & nox, in cujus parte ultimà reſurrexit, niſi totus dies accipiatur, adjuncto ſcilicet die illuceſcente Dominico, non poſſunt eſſe tres dies & tres noctes, quibus ſe in corde terræ prædixit futurum.* Matth. XII. 40.

Eadem habet lib. 1. Quæſtionum Evangelicarum quæſt. 7. Et lib. 4. de Trinitate cap. 6. §. 10. *Ipſum autem triduum non totum & plenum fuiſſe, Scriptura teſtis eſt: ſed primus dies a parte extrema totus annumeratus eſt; dies vero tertius a parte prima & ipſe totus, medius autem inter eos, id eſt ſecundus dies abſolute totus viginti quatuor horis ſuis, duodecim nocturnis & duodecim diurnis. Crucifixus eſt enim primo Judæorum vocibus hora tertia, cum eſſet dies ſexta Sabbati. Deinde in ipſa cruce ſuſpenſus eſt hora ſexta, & ſpiritum tradidit hora nona. Sepultus eſt autem, cum jam ſero factum eſſet, ſicut ſeſe habent verba Evangelii, quod intelligitur in fine diei. Unde libet ergo incipias, etiamſi alia ratio reddi poteſt, quomodo non ſit contra Evangelium Joannis, ut hora tertia ligno ſuſpenſus intelligatur, totum diem primum non comprehendis. Ergo a parte extrema totus computabitur, ſicut tertius a parte prima. Nox enim uſque ad diluculum, quo Domini reſurrectio declarata eſt, ad tertium diem pertinet.... Ab hora mortis uſque ad diluculum reſurrectionis horæ ſunt quadraginta, ut etiam ipſa hora nona connumeretur. Cui numero congruit etiam vita ejus ſuper terram poſt reſurrectionem in quadraginta diebus.... A veſpere autem ſepulturæ uſque ad diluculum reſurrectionis triginta ſex horæ ſunt... Nox tota cum die toto, & nocte tota.*

M4.

3. *Quid traditum eſt a Patribus de hora reſurrectionis?*

℞. Tres fuerunt de hora reſurrectionis Chriſti ſententiæ Patrum antiquorum. Una eorum, qui negarent, eam hominibus notam eſſe; in qua ſententia fuit etiam S. Hieronymus epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 6. *Angelum autem*, inquit, *non putemus idcirco veniſſe, ut aperiret ſepulcrum Domino reſurgenti, & revolveret lapidem, ſed poſtquam Dominus reſurrexit hora, qua ipſe voluit, & quæ nulli mortalium cognita eſt.* (3) Altera eorum, quibus vi- Pag. 804.

Manet in eadem ratione S. Hieronymus in cap. 2. Jonæ pag. 137. & in cap. 12. D. Matthæi pag. 23.

S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 114. & lib. 2. epiſt. 212. pag. 35. & 220. varie copioſeque diſputat *De tribus diebus ſepulturæ Domini*.

(3) S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 90. pag. 745. *Poſt reſurrectionem venit Angelus. Qua igitur de cauſſa venit Angelus, & abſtulit lapidem? Propter mulieres: ipſæ enim eum viderant in ſepulcro. Ut igitur eum reſurrexiſſe credant, vident ſepulcrum corpore vacuum. Ideo lapidem abſtulit, ideo etiam terræ motus factus eſt, ut ſurgerent & a ſomno excitarentur. Venerunt enim, ut corpus ungerent, ac noctu iſta fiebant, & veriſimile erat quaſdam etiam obdormiviſſe.*

Inter mulieres, quæ *venerunt, ut corpus ungerent*, fuiſſe *Mariam Deiparam credere conſentaneum eſſe*, ait S. Gregorius Nyſſenus Orat. 2. de reſurrectione Domini, & cum eo conſentit Sedulius lib. 5. ver. 23. pag. 1671.

Hoc luminis ortu
Virgo Parens, aliæque ſimul cum munere matres
Meſſis aromaticæ notum venere gementes
Ad tumulum, vacuumque vident jam corpore factum.

Id tamen ſibi haud facile perſuaderi poſſe, dicit Maldonatus in Matth. cap. XXVIII. 1. quod *videt, neminem Evangeliſtarum de ea mentionem feciſſe.*

Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thomæ quæſt. 53. diſputat. 46. ſect. 2. putat, S. Hieronymum, alioſque Patres ei conſentientes *exponi poſſe de hora & puncto indiviſibili reſurrectionis Chriſti: hoc enim modo ignotum eſſe nobis tempus reſur-*

videretur, Chriſtus reſurrexiſſe hora proxima poſt noctem mediam, ſeu hora noctis ſeptima; in qua ſententia Gregorius Nyſſenus, Cyrillus Alexandrinus, Victor Antiochenus, Euthymius fuerunt. Tertia eorum, qui cenſerent, reſurrexiſſe diluculo, quod docent Cyprianus, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Auguſtini diſcipulus Proſper Aquitanicus, Leo Magnus, D. Thomas. Horum ſententia receptior eſt. Neque enim alio modo ita commode dicta videri poſſunt verba illa D.
Cap. XVI. 9. Marci: *Surgens autem mane prima Sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ*. (4)

4. *Qui revixerunt cum Chriſto, iis ne iterum moriendum fuit?*

℞. *Duplex eſt opinio*, ait D. Thomas in 3. Part. quæſt. 53. art. 3. ad 2. *Quidam enim aſſerunt, quod redierunt ad vitam tamquam non iterum morituri, quoniam magis illis eſſet tormentum, ſi iterum morerentur, quam ſi non reſurgerent. Et ſecundum hoc intelligendum erit, ſicut Hieronymus dicit ſuper Matthæum, quod* non ante ſurrexerunt, quam reſurgeret Dominus. *Unde & Evangeliſta dicit, quod*
Matth. XXVII. 53. exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. *Sed Auguſtinus in epiſtola ad Evodium* 164. cap. 3. §. 9. *hanc opinionem commemorans dicit:* Scio quibuſdam videri, morte Domini Chriſti jam talem reſurrectionem præſtitam juſtis, qualis nobis in fine promittitur. Qui ſi non iterum re-

po-

ſurrectionis. Nam licet dicamus, Chriſtum reſurrexiſſe poſt inchoatam lucem diei Dominici, ignoramus tamen quantum temporis illius diei fuiſſet tranſactum.

(4) Locus hic diligentiſſime tractatus eſt a Franciſco Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thomæ diſputat. 46. ſect. 2. & 3. Vide Auguſtinum Calmet in Matthæum cap. XXVIII. 2. & ſupra poſitam annotat. 2.

poſitis corporibus dormierunt, videndum eſt, quomodo intelligitur Chriſtus *primogenitus a mortuis*, ſi cum in illa reſurrectione tot præceſſerunt. (5) Quod ſi reſpondetur, hoc eſſe dictum per anticipationem, ut monumenta illo terræ motu aperta intelligantur, cum Chriſtus in Cruce penderet, reſurrexiſſe autem juſtorum corpora non tunc, ſed cum ille prior reſurrexiſſet; illud adhuc reſtat, quod moveat, quomodo Petrus non de David, ſed de Chriſto aſſeruit fuiſſe prædictum, carnem ejus non vidiſſe corruptionem, per hoc, quod apud eos erat monumentum David, & ſic illos non convincebat, ſi corpus David ibi jam non erat: quia etſi ante in recenti ſua morte reſurrexiſſet, nec caro ejus vidiſſet corruptionem, poſſet *nihilominus* illud monumentum manere: durum autem videtur, ut David non fuerit in illa reſurrectione juſtorum, ſi eis jam æterna donata eſt, cujus Chriſtus ex ſemine commendatur. Periclitabitur etiam illud, quod ad Hebræos de juſtis antiquis dicitur: *Ne ſine nobis conſummarentur*, ſi jam in illa reſurrectionis incorruptione conſtituti ſunt, quæ nobis perficiendis in fine promittitur. *Sic ergo Auguſtinus ſentire videtur, quod reſurrexerint iterum morituri. Ad quod etiam videtur pertinere, quod Hieronymus dicit ſuper Matthæum, quod* ſicut Lazarus reſurrexit, ſic & multa corpora Sanctorum reſurrexerunt, ut Dominum oſtenderent reſurgentem: *quamvis hoc in ſermone de Aſſumtione ſub dubio relinquat .... rationes tamen Auguſtini multo efficaciores*

Ad Coloſ. I. 18.

Act. II. 27. 29.

Cap. XI. 40.

(5) Apocalypſis cap. I. 5. *Primogenitus mortuorum*. I. Cor. XV. 20. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium: non ob mortem, ſed ob vitam immortalem, quam omnium hominum primus poſt mortem eſt conſecutus*. Grotius in hunc locum inter Criticos Sacros pag. 1205.

res videntur. (6) Cum Auguſtino conſentiunt etiam Græci Patres, Chryſoſtomus hom. 40. in 1. ad Cor. & hom. 28. in epiſt. ad Hebræos, ac Theodoretus in eamdem epiſtolam cap. XI. 40. Quibus adde illud B. Virginis ad S. Brigittam: *Scias, quod nullum corpus humanum in cælo eſt, niſi corpus glorioſum Filii mei, & corpus meum*. (7)

Pag. 690. & 1933.

Revel. l. 6. c. 94. l. 7. c. 26.

5. *Quinam primum reſurrectionem Chriſti audiverunt?*

℞. Feminæ omnium primæ, ut ait S. Auguſtinus Serm. 232. cap. 2. §. 2. *reſurrexiſſe Dominum ab Angelis audiverunt*: (8) *feminæ viris nuntiarunt. Nam hoc eſt quod egit Dominus Jeſus Chriſtus, ut prius illum ſexus femineus reſurrexiſſe nuntiaret. Quia per ſexum femineum cecidit homo, per fe-*

(6) Sermonem de Aſſumtione non eſſe D. Hieronymi, conſentiunt hac ætate viri doctiſſimi.

(7) Ita docet ac ſentit etiam Auguſtinus Calmet in Diſſertatione de Reſurrectione ſanctorum Patrum præpoſita Evangelio D. Matthæi, quo itidem loco inquirit quinam illi fuerint, quando reſurrexerint, qua forma & quo corporis habitu ſe conſpiciendos præbuerint.

E contrario Pineda in Job cap. 19. ver. 25. num. 21. potius ſequitur Patres illos, ac Interpretes, qui *cenſent eos, qui cum Chriſto ſurrexerunt, ad immortalem vitam fuiſſe tranſlatos*. Hi a Tertulliano in libro de anima cap. 55. dicuntur *Appendices Dominicæ reſurrectionis*:

(8) S. Hieronymus in Matthæum cap. 28. pag. 66. *Angelorum miniſteria ab initio nativitatis ejus Deum probabant. Ad Mariam Gabriel venit: cum Joſeph Angelus loquitur: idem paſtoribus nuntiat: Angelorum poſtea auditur chorus dicentium*: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Tentatur in ſolitudine, & poſt victoriam ſtatim ſerviunt Angeli*. Triſtatur in horto, etiam hoc addi poterat, præſto eſt Angelus conſolator. *Nunc quoque Angelus venit cuſtos ſepulcri Dominici, & in veſtitu candido ſignat gloriam triumphantis. Nec non aſcendente ad Cælos Domino duo Angeli in Oliveti monte cernuntur pollicentes Apoſtolis ſecundum Salvatoris adventum*.

ſexum femineum reparatus eſt homo, quia Virgo Chriſtum pepererat, femina reſurrexiſſe nuntiabat. Idem tract. 3. in Epiſt. Joannis §. 2. *Viris reſurrectio ejus per feminas nuntiata eſt, ut contraria arte ſerpens vinceretur. Quia enim ille mortem primo homini per feminam nuntiavit, & viris vita per feminam nuntiata eſt.* Hilarius quoque in Matt. cap. 33. §. 9. ſimiliter ait: *Ut quia a ſexu iſto cœpta mors eſſet, ipſi primum reſurrectionis gloria & viſus & fructus & nuntius redderetur.* Item Euthymius: *Mulieribus pro Apoſtolis uſus eſt ad Apoſtolos, honorans genus, quod ex ſerpentis ſeditione infame factum fuerat.* (9)

6. Quibus viris reſurrectionem Domini feminæ nuntiarunt?

℟. Iis, quibus eam nuntiare ab Angelo juſſæ fuerant, Chriſti videlicet Diſcipulis, & nominatim Petro. Quoniam, ut animadvertit S. Gregorius hom. 21. in Evangelia, §. 4. *ſi hunc Angelus nominatim non exprimeret, qui Magiſtrum negaverat, venire inter Diſcipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne deſperet ex negatione.* Theophylactus comment. in Marcum cap. 16. aliam ſubjicit cauſſam, quod primus erat Diſcipulorum. *Petrum*, inquit, *ab aliis Diſcipulis ut præcipuum ſegregat, ac ob excellentiam nominat illum præ aliis.* Eodem ſcilicet modo, quo Lucas in Actis Cap. I. 14. ex mulieribus, quæ erant *perſeverantes unanimiter in oratione*, unam tantum Mariam Matrem Jeſu proprio nomine appellat.

Matth. XXVIII. 7. Marc. XXI. 7.

Pag. 289.

P 2 7. *Cui*

(9) Enarratione in Evangelium S. Matthæi cap. 68. pag. 593. tom. 19. Bibliothecæ veterum Patrum.

7. *Cui primum Chriſtus poſt reſurrectionem apparuit?*

℟. Rupertus Abbas ſentit, apparuiſſe primum B. Mariæ Virgini matri ſuæ. Sic enim lib. 7. de
Pag. 110. divinis officiis cap. 25. ſcribit : *Redivivus Filius illi ante omnes fortaſſe mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam ſuam annuntiavit; & dulcia carnis ſuæ vulnera, quam illa carnem de carne ſua conceptam peperit, deoſculanda præbuit. Quid ergo? repugnare videbitur Evangelio re-*
Marc. *ferenti, quod* ſurgens *Jeſus* primo Mariæ Magda-
XVI. 9. lenæ apparuit? *Abſit.* (10) *Sed omnibus* (*Beatam Virginem matrem excipimus*) *teſtibus præordinatis, quos ſolos nominare ad Evangeliſtas pertinuit, vel quos Chriſti reſurrectionem annuntiare decuit. Numquid illam nuntiare decebat, ut verba ejus tam-*
Luc. XXIV. 11. *quam* deliramenta *viderentur ante Apoſtolos? Si enim extranearum verba feminarum viſa ſunt eis tamquam deliramenta, quomodo non magis matrem amore filii delirare crederent? Veriſſime ergo matri filius reſurgens apparuit: ſed illa ut ab initio cœperat, ita & nunc* conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. *Quod ſi idcirco verum non videtur, quia nullus Evangeliſtarum ſcriptis hoc atteſtatur, conſequens eſt, quod numquam poſt reſurrectionem ſuam viſus ſit matri, quia quando, vel ubi apparuerit illi, nullus eorum edixit.* (11) *Sed abſit*

(10) Primo ante omnes Mariæ Magdalenæ Chriſtum apparuiſſe, negare videtur etiam D. Hieronymus. Ait enim epiſt. 16. pag. 122. *primam ante Apoſtolos* (non ante Mariam Virginem) *Chriſtum videre meruiſſe reſurgentem.*

(11) Eadmerus, ſeu Edmerus S. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi auditor & diſcipulus in libro de excellentia Virginis Mariæ cap. 6. *Si aliquis quærit, cur Evangeliſtæ non referant ipſum piiſſimum Dominum a morte reſurgentem huic ſuæ*

abſit hoc ab illo, qui in lege ſua patrem & matrem honorare præcepit. Abſit, inquam, ut matrem propter ſe doloris gladio tranſverberatam tam dura negligentia talis filius inhonoraverit. Neque vero ſcripſit hoc Rupertus, *nullo Patrum prælucente ſuffragio*, ut falſo pronunciat Hyacinthus Serry exercitat. 60. §. 7. Præluxit S. Ambroſius lib. de Virginitate extremo cap. 3. *Vidit ergo Maria reſurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit. Vidit & Maria Magdalena, quamvis adhuc iſta nutaret.* (12) Præluxit Poeta Sedulius, cujus hi ver-

Exod. XX. 12. Matth. XV. 4.

Pag. 217.

ſuæ dulciſſimæ matri, ut ejus dolores mitigaret, primo ac præcipue apparuiſſe; dicimus, quod a quodam ſapiente de hoc ipſo ſciſcitantes audivimus. Ait ergo: Tanta eſſe ſcitur auctoritas narrationis Evangelicæ, ut nihil in ea dependens, nihil inane, nihil ſuperfluum reperiatur: itaque ſi matri Domini, ſi Dominæ mundi ipſe filius ejus ab infero reſurgens ſcriberetur, ſicut alii cuilibet, apparuiſſe, eamque de ſua reſurrectione docuiſſe; quis non tale ſcriptum ſuperfluum duceret? reginam videlicet Cœli & terræ, omniſque creaturæ coæquaret illi vel illi, quibus apparuit, viro aut mulieri. Spiritus ejus in illa plene perfecteque quieſcebat, qui ſibi & eſſe illius, & facta ejus omnia luce clarius revelabat: & Evangeliſtæ ſcriberent tunc vel tunc illi talem ac talem ſemet exhibuiſſe. Exſt. cum Operibus memorati S. Anſelmi editis ſtudio Gabrielis Gerberon.

(12) Viri doctrinæ fama præſtantes Monachi Congregationis S. Mauri in hunc locum S. Ambroſii ita ſcribunt: *Adverte, Ambroſium aut labi memoria, quando contra expreſſum Marci cap. 16. verſ. 9. teſtimonium Chriſtum Magdalenæ ſecundo tantum loco apparuiſſe affirmat: aut piæ illorum opinioni ſubſcribendum eſſe, qui, ut Eſtius ait, Dei genitricem hic in Maria volunt ſignificatam.*

Auctor graviſſimus atque doctiſſimus Franciſcus Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thomæ diſputat. 49. ſect. 1. *Nihilominus abſque ulla dubitatione credendum eſt, Chriſtum poſt reſurrectionem primum omnium Matri ſuæ apparuiſſe: Quæ ſententia ex ipſis terminis adeo eſt per ſe credibilis, ut fere ſine controverſia omnium Fidelium, & Doctorum animis inſederit: atque ita docent omnes ſcriptores Catholici, qui hanc quæſtionem attigerunt. Unde videtur hic fuiſſe perpetuus Eccleſiæ ſenſus, quia nullum reperimus initium, quando hoc cœperit in* Ec-

verſus ſunt in lib. 5. Operis Paſchalis ver. 362.

Quæ cum clarifico ſemper ſit nomine mater,
Semper Virgo manet. Hujus ſe viſibus aſtans
Luce palam Dominus prius obtulit, ut bona mater
Grandia divulgans miracula, quæ fuit olim
Advenientis iter, hæc ſit redeuntis & index.

Pag. 394. tom. 6. In eadem ſententia eſt S. Bonaventura cap. 87. Meditat. vitæ Chriſti. Prorſus ut jure Baronius ad an. 34. §. 183. *Traditio per manus majorum ac per ſubſequentia ſæcula ad poſteros dilapſa teſtatur, eumdem Dominum noſtrum apparuiſſe primum omnium ſan-*

Eccleſia doceri. Et quamvis antiqui Patres id frequenter non afferant, non ideo eſt, quia contrarium ſentirent (numquam enim hoc negarunt) ſed quia ſolum enarrabant, quæ ab Evangeliſtis ſcripta ſunt. Neque vero omnino deſunt nobis antiquitatis veſtigia & teſtimonia. Nam D. Ambroſius lib. 3. de Virginibus (juxta antiquam editionem) *aliquantum a principio expreſſe id affirmat his verbis*: Vidit ergo Maria reſurrectionem Domini, & prima vidit & credidit. Vidit & Maria Magdalena, quamvis adhuc iſta nutaret. Hinc fit, ut ea ſaltem defenſio mihi deeſſe non poſſit, quæ eſt ipſi Theologo Serry familiaris: ita accepi S. Ambroſium, ut acceperunt alii. Utitur enim defenſione iſtiuſmodi in Animadverſionibus Anticriticis cap. I. pag. 12. 13. 15. 20. cap. II. pag. 23. cap. VI. pag. 50. cap. XI. pag. 82. 83. 84. 85. cap. XII. pag. 93. cap. XIII. pag. 95. cap. XIV. pag. 100. & in Mantiſſa, Animadverſione 6. pag. 21.

Idem Serry cit. exercitat. 60. §. 7. numerat Cornelium Janſenium Epiſcopum Gandavenſem inter eos, qui de prima Chriſti reſurgentis apparitione Mariæ matri ſuæ facta *non ambigunt modo, verum etiam conſtantiſſime diffitentur*, aitque id illum aſſerere cap. 45. Concordantiarum.

Cap. 45. Concordantiarum nihil habetur hujuſmodi, cap. autem 145. ita loquitur Janſenius: *Quamquam Dominus primo dicatur apparuiſſe Magdalenæ, pietas tamen non parum ſuadet, ut credamus, Dominum prius apparuiſſe dilectiſſimæ ſuæ Matri, licet eam prætermiſerint Evangeliſtæ, quod ad confirmandam Filii reſurrectionem inefficax eſſet Matris teſtimonium.*

ſanctiſſimæ genitrici, Mariæ, quod nemo pius, puto, negabit. (13)

P 4 8. *Quot*

(13) Queſnellus in obſervatione ad Judicium Chrodoberti Turonenſis Epiſcopi de muliere adultera: *Scio Janſenium utrumque in hæc verba:* Apparuit primo Mariæ Magdalenæ; *ſcribere, hæc non obſtare, quin Dominus antea apparuerit beatiſſimæ Matri ſuæ.* Pietas non parum ſuadet, ut credamus Dominum prius apparuiſſe dilectiſſimæ ſuæ Matri. *Maldonatus in Cap.* 28. *Matth.* Merito, *inquit*, a Catholicis creditur, quamvis ſcriptum non ſit, Chriſtum primum omnium Matri ſuæ apparuiſſe. *Et infra*, Primum quidem Matri ſuæ apparuiſſe, non quod Evangeliſtæ factum dicant, ſed quod fieri decuerit, credendum eſt: nec eorum mihi placet diligentia, qui in hac opinione in animis omnium fere Catholicorum jam inhærente refutanda multum operæ conſumunt. *Quin* B. Matri ante omnes apparuerit, nemo dubitat, *inquit Toletus in Joan. cap.* 10.

Eſtius in Marcum cap. 26. pag. 484. *Non ignoro eſſe piam multorum perſuaſionem, Chriſtum poſt reſurrectionem primo omnium apparuiſſe dilectiſſimæ Matri ſuæ. Quæ opinio non prorſus eſt improbanda. Ita enim ſentire videtur Ambroſius lib.* 3. *de Virginibus. Hanc opinionem ſi recipimus, dicendum erit, Dominum primo apparuiſſe Mariæ Magdalenæ inter eos, qui reſurrectionis teſtes erant futuri.... Quale eſt, ex quibuſdam rationibus congruentiæ velle probare, Chriſtum a morte redivivum primo ſuæ Matri apparuiſſe; cum Scriptura tam clare dicat, eum primo apparuiſſe Mariæ Magdalenæ, nec umquam alibi diverſum inſinuet? Quod ſi ſecundum hujuſmodi ratiunculas procedendum ſit, oportebit, ut Chriſtus etiam Matrem ſuam adhibuerit cœnæ noviſſimæ, eamque primo loco honoris cauſſa collocaverit, & ei primum corpus & ſanguinem ſuum diſtribuerit, ut bene argumentatur Heſſelius. Adde, quod Chriſtus voluerit iis primum apparere, qui conſolatione, aut confortatione fidei indigebant, ut Mariæ Magdalenæ, quæ valde diligebat, Petro, qui peccaverat; Diſcipulis aliis, qui dubitabant & ſcandalizati fuerant. At Mater Domini firma in fide & fortis in patientia his non egebat.* Num Eſtii rationes hæ potiores habendæ ſint rationibus Ruperti Abbatis, aliorum judicium facio.

Fevardentius Annotat. in S. Irenæum lib. 5. cap. 31. pag. 492. *Non inficiatur Irenæus, eumdem* (Chriſtum redivivum) *ſanctiſſimæ Matri ſuæ Virgini Mariæ prius & privatim manifeſtum ſe feciſſe, cum id ex veterum traditione ſequentium ſæcu-*

8. *Quot numerantur ab Evangeliſtis Chriſti apparitiones?*

℞. *Invenimus*, ait S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 25. §. 83. *apud quatuor Evangeliſtas decies Dominum viſum eſſe ab hominibus poſt reſurrectionem. Semel ad monumentum mulieribus. Iterum eiſdem regredientibus a monumento in itinere. Tertio Petro. Quarto duobus euntibus in caſtellum. Quinto pluribus in Hieruſalem, ubi non erat Thomas. Sexto ubi eum vidit Thomas. Septimo ad mare Tiberiadis. Octavo in monte Galilææ ſecundum Matthæum.* Cap. XVI. 14. *Nono, quod dicit Marcus,* noviſſime recumbentibus, *quia jam non erant in terra cum illo convivaturi. Decimo in ipſo die, non jam in terra, ſed elevatum in nube, cum in Cælum aſcenderet, quod Marcus, & Lucas commemorant.* (14)

9. *Explica latius memoratas ab Auguſtino apparitiones.*

℞. Chriſtum Dominum ipſo reſurrectionis die quin-

rulorum Patribus perſuaſiſſimum fuerit, & ante nos Hylaretus noſter in Concionibus Paſchalibus obſervavit. De hoc enim ſcripſit Ambroſius: Vidit Maria (*Virgo*) *reſurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit.*

Caſaubonus Exercitat. 16. §. 118. pag. 600. *B. Virgini Chriſtum a reſurrectione apparuiſſe omnium primæ, aſſerit Baronius ex veteri, ut ait, traditione. Neque ego ſane velim contra tendere. Scio Sedulium Poetam id olim dixiſſe, poſtea alios.*

(14) *Rodulphus* De Vita Chriſti part. 2. cap. 81. *quatuordecim fuiſſe dicit has Apparitiones, quarum decem tantum Evangeliſtas meminiſſe, putat. At Maldonatus in* Cap. 28. Matthæi, *tredecim in Sacris Litteris Apparitiones ſe inveniſſe dicit.* Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. 50. §. 6.

quinquies apparuiſſe, docent S. Auguſtinus loco, quem modo indicavi, & S. Thomas 3. part. quæſt. 55. art. 3. ad 3. Primum dedit ſe in conſpectum Mariæ Magdalenæ ad ſepulcrum ejus ploranti ſub olitoris ſpecie, ideoque habitus cultor horti, in quo erat ſepulcrum, ſed mox agnitus tamquam magiſter. Poſtea occurrit eidem Magdalenæ, aliiſque mulieribus revertentibus a ſepulcro Hieroſolymam, quæ, cum ſingula Apoſtolis narraſſent, varia narrare viſæ ſunt. Quod divino conſilio factum exiſtimo, ut Petro ſubinde nuntianti, ſibi Chriſtum apparuiſſe, tamquam ſummo Eccleſiæ univerſæ inter homines Antiſtiti, ab Apoſtolis primum crederetur, & primus Apoſtolorum primus teſtis eſſet reſurrectionis. (15) Eodem die veſperaſcente cælo, idem Chriſtus Dominus *in alia effigie*, viatoris nimirum, ſe itineris ſocium adjunxit duobus Diſcipulis proficiſcentibus Hieroſolyma Emmauntem, eſtque ab iis cognitus in fractione panis, quem fuiſſe Euchariſtiam, veteres Patres referente Calmeto docuerunt. (16) S. Lu-

Marc. XVI. 9. Joan. XX. 15. Matth. XXVIII. 9. Luc. XXIV. 10. 34. 35. Marc. XVI. 12. In Luc. XXIV. 30. Cap. XXIV. 18.

(15) Euthymius in Marcum cap. 48. tom. 19. Bibl. Patrum pag. 614. *Sane his non eſt habita fides. Petro vero tamquam ſummo ac principi ceterorum creditum eſt: & ita duo, qui apud Lucam ab Emmaus reverſi ſunt, invenerunt Apoſtolos dicentes:* Surrexit Dominus vere, & viſus eſt a Simone.

(16) Id *certum & exploratum non eſſe*, contendit Natalis Alexander epiſt. 34. Appendicis ad Tom. 1. Theologiæ Dogmaticæ & Moralis.

Auctor Quæſt. & Reſponſ. ad Orthodoxos apud Juſtinum quæſt. 116. pag. 490. *Si reſurgens Dominus ex monumento linteos in ſepulcro reliquit; quomodo illum poſt reſurrectionem aut nudum apparuiſſe, aut aliunde veſtimenta ſumſiſſe, Scriptura non enarravit? Quod ſi nec aliunde amiculum ſumſit, nec nudus his, qui eum tunc viderunt, apparuit; quomodo verum eſt veſtimenta illum in ſepulcro reliquiſſe?*

Reſp. *Salvatoris quidem veſtimenta milites, poſtquam illum crucifixere, partiti ſunt, quæ autem cum eo in ſepulcrum illata ſunt,* *ad*

Lucas diſcipulorum alterum vocat Cleopham, qui ab aliis S. Joſephi frater, & Chriſti patruus, ab aliis vir Mariæ ſororis Mariæ Virginis, & Chriſti avunculus fuiſſe creditur: (17) alterum, cu-

ad uſum viventis idonea non erant. Quæ vero poſt reſurrectionem Dominus veſtimenta geſtavit, ea vel creavit, vel aliunde ſumſit, quemadmodum & pullum ſumſit, cui inſideret. Utrumque enim poterat, & creare, & aliunde ſumere. Cum autem multa ſint de Domino dicta, quorum hiſtoriam divina Scriptura non continet; neceſſario & Chriſti veſtimenta cum in hoc numero ponenda ſint; æquum non eſt ex tot rebus, quæ narratæ non fuerunt, de hac una cauſſam quærere, cur narrata non fuerit: neque ex eo quod narrata non fuerit, dubitatio conſtanda de Domini veſtimentis, ſed ex ejus potentia fides Domini veſtimentorum repetenda.

D. Thomas 3. part. quæſt. 55. art. 3. *Ad veritatem reſurrectionis manifeſtandam ſufficit, quod pluries eis apparuit, & cum eis familiariter eſt locutus, & comedit, & bibit, & ſe eis palpandum præbuit: ad gloriam autem reſurgentis manifeſtandam noluit continue converſari cum eis, ſicut prius fecerat, ne videretur ad talem vitam reſurrexiſſe, qualem prius habuerat.* Et ad 2. *Incognitum eſt quibus in locis intermedio* (quadraginta dierum) *tempore corporaliter eſſet, cum hoc Scriptura non tradat, & in omni loco ſit dominatio ejus.* Et art. 4. *Chriſtus quibuſdam ad credendum diſpoſitis poſt reſurrectionem apparuit in ſua effigie. Illis autem in alia effigie apparuit, qui jam videbantur circa fidem tepeſcere. Unde dicebant:* Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redemturus Iſrael. *Unde Gregorius dicit in hom. 23. ſuper Evang. quod* talem ſe exhibuit eis in corpore, qualis apud illos erat in mente: quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat a fide, ire ſe longius finxit, *ſcilicet ac ſi eſſet peregrinus.*

(17) Apud Auguſtinum Calmet in Lucam cap. XXIV. 13. pag. 176. Cleophæ autem domum a Paula in Eccleſiam fuiſſe mutatam diſcimus ex S. Hieronymo epiſt. 27. cap. 3. *Repetitoque itinere Nicopolim, quæ prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in Eccleſiam dedicavit.* Quam dedicationem non Paulæ, ſed Chriſto Euchariſtiam celebranti tribuit Maldonatus in Lucam cap. XXIV. 45. quem ſequitur Calmet in eundem Lucam ver. 29.

Latina Eccleſia Cleophæ memoriam colit die 25. Septembris, Græca die 13. Octobris.

cujus nomen Lucas non expreſſit, Origenes lib. 2. contra Celſum §. *62*. appellat Simonem, S. Epiphanius hær. 23. §. *6*. Nathanaelem, S. Ambroſius in Lucam lib. 10. §. 173. Ammaonem, & Pag. 154. Nicephorus lib. 1. cap. 34. Lucam ipſum fuiſſe, prodit contra Lucæ ipſius teſtimonium, qui Evangelii initio profitetur, ſe non eſſe ex numero Diſcipulorum, qui Chriſtum viderunt. Jam vero *noctis exordio*, ut ait S. Auguſtinus lib. 3. de conſ. Evang. cap. 25. §. 82. januis clauſis ingreſſus eſt ad Diſcipulos, abſente Thoma, in unum locum congregatos, eiſque data prius pace conceſſit poteſtatem remittendi peccata, & Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, ut Lucas cap. XXIV. *36*. & Joannes cap. XX. 21. narrant. Octavo autem ab reſurrectione die III. Nonas Aprilės, ut idem Joannes refert, eoſdem Diſcipulos foribus pariter occluſis adivit, ac Thomæ, Cap. XX. 26. qui tunc præſens aderat, vulnera tractanda offerens noſtram fidem roboravit. (18) Septimo oſten-

(18) Chryſoſtomus in Joan. hom. *86*. pag. 445. *Ut reſurrectio crederetur, talem ſe exhibuit, & ut ipſum, qui crucifixus fuerat, eſſe, & neminem alium pro eo reſurrexiſſe, intelligas, propterea cum ſignis Crucis reſurrexit, & manducavit: quod reſurrectionis ſignum Apoſtoli plurimi fecerunt dicentes:* Qui cum eo manducavimus & bibimus.

S. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 13. cap. 22. *Fides Chriſtiana de ipſo Salvatore non dubitat, quod etiam poſt reſurrectionem jam quidem in ſpiritali carne, ſed tamen vera cibum ac potum cum Diſcipulis ſumſit. Non enim poteſtas, ſed egeſtas edendi ac bibendi talibus corporibus aufertur.*

S. Leo ſerm. *61*. de Aſcenſione 1. cap. 3. *Ad ſananda infidelium cordium vulnera clavorum & lanceæ erant ſervata veſtigia: ut non dubia fide, ſed conſtantiſſima ſcientia teneretur, eam naturam in Dei Patris conſeſſuram throno, quæ jacuerat in ſepulcro.*

S. Auguſtinus ſerm. 88. §. 2. *Numquid non poterat Dominus ſine cicatricibus reſurgere? Sed in corde diſcipulorum vulnera noverat, propter quæ ſananda cicatrices in corpore ſuo ſervaverat.*

ſtendit ſe ad mare Tiberiadis quatuor Apoſtolis Petro, Thomæ, Jacobo, & Joanni, item Nathanaeli, quem eumdem eſſe, ac Bartholomæum,
Cap. XXI. 1. falſo rentur aliqui, (19) itemque duobus Diſcipulis, quos nominatim Joannes non memoravit. Tum Petro ter interrogato, an diligeret ſe, Agnos & Oves paſcendas verbis ampliſſimis commendavit, *quarum curam*, ut ait S. Chryſoſtomus lib.
Pag. 14. tom. 4. 2. de Sacerdotio cap. 1. *tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat*. Poſt hæc eumdem in mon-
Matth. XXVIII. 16. te Galilææ, qui Ithabyrius ſeu Thabor dicitur, Diſcipuli undecim viderunt, quo pariter tempore *viſum eſſe plus quam quingentis fratribus ſimul*,
Epiſt. 1. cap. XV. 6. ut ſcribit Paulus ad Corinthios, cenſent interpretes, atque hanc omnium celeberrimam Domini manifeſtationem eſſe confirmant. Nonam deſcribit Marcus cap. XVI. 14. verbis illis: *Noviſſime*, id eſt ipſo quadrageſimo die, ut explicat Auguſtinus loco citato §. 83. *recumbentibus illis undecim apparuit; Et conveſcens*, ut addit Lucas in
Cap. I. 4. Actis Apoſtolorum, *præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris* Spiritum Sanctum, cujus virtute atque ubertate
Act. VIII. 17. 18. Idibus Maji ita confirmati ſunt atque repleti, *ut non ſolum illum haberent in ſe ipſis, ſed & per impoſitionem manuum ſuarum communicationem ejus credentibus impertirent*, quemadmodum loquitur S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 14. §. 25. (20) Pe-

(19) Lege Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam in S. Bartholomæo Interrog. 1.

(20) S. Chryſoſtomo in Acta hom. 1. pag. 451. vox Græca συναλιζόμενος non eſt *congregans in unum locum*, ut aliquibus placet, ſed *conveſcens*, ut habetur in Vulgata. Inquit enim: καὶ οὐδὲ τούτῳ ἠρκέσθη, ἀλλὰ καὶ τράπεζαν προστίθησι· ὅπερ οὖν καὶ προϊὼν λέγει, καὶ συναλιζόμενος αὐτοῖς: *Ac neque hoc contentus fuit, ſed & menſam appoſuit: quod igitur & progreſſus dicit*: & conveſcens cum illis.

Oecumenius in Act. cap. I. pag. 3. *Et conveſcens. Simul edens*

Peracto convivio deduxit eos in Bethaniam, ac montem Olivarum, ſexcentos viginti quinque paſſus ab Urbe diſſitum, (21) unde cum prius eis *elevatis manibus benedixiſſet*, videlicet fauſta & felicia omnia precatus eſſet, eiſdem videntibus in Cælum ſublatus eſt III. Nonas Majas die Jovis *hora diei nona*, ut eſt in Chronico Paſchali, *meridie*, ut tradit ex Auguſtino diſcipulus ejus S. Proſper Aquitanicus. (22)

Luc. XXIV. 50. Act. I. 9.

Pag. 180.

10. *Præter has ſunt ne aliæ Chriſti apparitiones?*

℟. Eſt illa certe, quam inter alias D. Paulus epiſt. Bar. ad an. 34. §. 211.

edens ac bibens. Dicitur enim συναλίζων, *hoc eſt ſale & menſa communicans.*

Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. pag. 700. *Non aquam, ſed vinum poſt reſurrectionem bibit.*

Vide Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 51. ſect. 2.

D. Thomas 1. part. quæſt. 51. art. 3. ad 5. *Quamvis in corpus Chriſti poſt reſurrectionem cibus non converteretur, ſed reſolveretur in præjacentem materiam; tamen Chriſtus habebat corpus talis naturæ, in quod poſſet cibus converti. Unde fuit vera comeſtio.*

(21) Joſephus lib. 20. Antiquit. Judaic. cap. 8. §. 6. ait, *montem Olivarum e regione Urbis ſitum quinque abeſſe ſtadia*: ſtadia autem quinque conficiunt paſſus 625. cum ſingula paſſus 125. complectantur.

(22) S. Chryſoſtomo in Acta hom. 3. pag. 467. *videntur hæc in Sabbato geſta fuiſſe*: at hujuſmodi opinio repugnat traditioni Eccleſiæ, quæ Chriſto in Cœlum aſcendenti honorem habet die quadrageſimo ab ejus reſurrectione.

Chriſtum Dominum benedixiſſe Apoſtolis ſuis adhibito Crucis ſigno, opinantur aliqui. Eo inclinare videtur ſententia Hieronymi in Eſaiam cap. 66. pag. 226. & 227. *Et ponet in eis ſignum, quod in Ezechiele principio ſub Tau litteræ Hebraicæ interpretatione monſtratur.... Hoc nobis ad Patrem aſcendens Dominus dereliquit, ſive in noſtris frontibus poſuit, ut libere diceremus*: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.

Verba S. Proſperi ſunt hæc ſent. 204. alias 203. pag. 572.

epiſt. 1. ad Corinthios cap. XV. 7. memorat verbis his: *Deinde viſus eſt Jacobo. Non tunc autem primum accipere debemus viſum eſſe Jacobo, ſed aliqua alia propria manifeſtatione ſingulariter*, ut interpretatur S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſ. Evangel. cap. 25. §. 85. (23) Sane cum Paulus Jacobum nominatim perinde ac Cepham ſeu Petrum exprimat, ſatis ſignificat, ſicut Petro, ita Jacobo ſingulariter Chriſtum apparuiſſe. Quando autem apparuerit, haud ita certo conſtat. Quidam dicunt apparuiſſe ipſo die reſurrectionis ſummo mane, propterea quod, ut Hieronymus de Script. Eccleſiaſticis ex Evangelio ſecundum Hebræos refert, Jacobus juraſſet, *ſe non comeſturum*

In Jacobo pag. 266.

pa-

572. *Vigor fidei Chriſtianæ tribus temporibus initiatur, veſpere, mane, & meridie. Veſpere enim Dominus in cruce, mane in reſurrectione, meridie in aſcenſione.*

S. Auguſtinus in Pſal. 90. ſerm. 2. §. 8. *Sublatus eſt Chriſtus in manibus Angelorum, quando aſſumtus eſt in Cœlum, non quia ſi non portarent Angeli, ruiturus erat; ſed quia obſequebantur Regi*. Idem de Civit. Dei lib. 18. cap. ultimo 54. *Poſt quadraginta dies aſcendit in Cœlum: poſt decem dies, id eſt quinquageſimo poſt ſuam reſurrectionem, miſit Spiritum Sanctum ... per Idus Majas*. Ex his vides, Chriſtum III. Nonas, ſeu die 5. Maji in Cœlum aſcendiſſe. Ab hoc enim die ad Idus Majas dies decem numerantur.

S. Thomas 3. part. quæſt. 57. art. 1. ad 4. *Dicit quadam Gloſſa, quod quia per quadraginta horas mortuus fuerat, quadraginta diebus ſe vivere confirmat.*

Qui Chriſtum aſcendentem in Cœlum ſpectaverant, *adorantes*, ut ait Lucas cap. XXIV. 52. *regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno*, Græce, ut eſt apud Maldonatum in hunc locum, ϗ αὐτοὶ προσκυνήσαντες αὐτὸν. & ipſi cum adoraſſent eum. *Non legimus, niſi hoc loco Chriſtum a diſcipulis ſuis adoratum. Nam etſi Deum eſſe credebant, tamen quia ſolum in eo videbant hominem, tamquam cum homine verſabantur. Nunc demum adorant, cum in Cœlum ferri vident, coacti re ipſa confiteri Deum, quem ante ſola fide confitebantur. Extorquet ab illis nunc adorationem rei evidentia.*

(23) Idem Auguſtinus: *Noviſſime autem omnium, inquit, quaſi abortivo apparuit & mihi: ſed hoc jam de Cœlo poſt non parvum tempus Aſcenſionis ſuæ.*

panem ab illa hora, qua biberat Calicem Domini, donec videret eum reſurgentem a mortuis. Sed hac ratione rejecta, D. Thomas lect. 1. in memoratum Pauli locum ait, *dicendum, quod ideo ſingulariter Chriſtus apparuit Jacobo, quia ſpecialem devotionem Jacobus ad Chriſtum habuit*. Et ex verbis Auguſtini modo recitatis liquet, apparitionem hanc factam eſſe poſt eas, de quibus Paulus antea fecerat mentionem. (24) Pag. 86. tom. 16.

11. *Quæ potiſſimum de re cum diſcipulis egit in iſtis apparitionibus?*

℟. *De Regno Dei*, ut ait Lucas in Actis Apoſtolorum cap. I. 3. non Cæleſti ſolum, æternaque beatitate, quâ illi donandi erant poſt exantlatos in evulganda ejus doctrina labores: ſed etiam de Eccleſia, quam fundare jam cœperat, rebuſque ad ipſam pertinentibus. Etenim quemadmodum ſcribit S. Cyprianus extremo libro de Idolorum vanitate: *Apparuit diſcipulis ſuis talis, qualis & fuerat, & agnoſcendum ſe videntibus præbuit, ſimul junctus & ſubſtantiæ corporalis conſpicuus, ad dies quadraginta remoratus eſt, ut de eo ad præcepta utilia inſtrui poſſent, & diſcerent, quæ docerent*. Similiter Tertullianus Apologetici cap. 21. *Cum diſcipulis autem quibuſdam apud Galilæam Judææ regionem ad XL. dies egit, docens eos quæ decerent. Dehinc ordinatis eis ad officium prædicandi per orbem, circumfuſa nube in Cælum eſt ereptus;* (25)

(24) Fuit hic Jacobus Alphæi cognomento *Parvus* ſeu *Minor*, frater Domini, Epiſcopus Hieroſolymorum. Vide noſtram Hiſtoriam Apoſtolicam in S. Jacobo min. Interrog. 4. & 6.

S. Leo ſerm. 71. de Aſcenſione Domini I. cap. 2. *Non ergo ii dies, qui inter Reſurrectionem Domini, Aſcenſionemque fluxerunt, otioſo tranſiere decurſu: ſed magna in his confirmata Sacramenta, magna ſunt revelata myſteria.*

(25) atque, ut eſt in extremo Sedulii libro 4. Operis Paſchalis

Ad dextram ſedet ipſe Patris, totumque gubernat. (26)

12. *Chriſtus aſcendens in Cælum reliquit ne pedum ſuorum veſtigia?*

Pag. 377. tom. 8.

℟. Id teſtatur in primis auctor libelli de locis Hebraicis in Actis Apoſtolorum apud S. Hieronymum, quem libellum Scaliger & Eraſmus valde probant. *Mons Oliveti*, inquit, *ad Orientem Hieroſolymæ, torrente Cedron interfluente, ubi ultima veſtigia Domini humo impreſſa hodieque monſtrantur. Cumque terra eadem quotidie a credentibus hauriatur: nihilominus tamen eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum continuo recipiunt. Denique cum Eccleſia, in cujus medio ſunt, rotundo ſchemate & pulcherrimo opere conderetur, ſummum tantum cacumen, ut perhibent, propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi & concamerari potuit: ſed tranſitus ejus a terra ad cælum uſque patet apertum*. Similia in ſua ſacra hiſtoria lib. 2. cap. 33. ſic tradit Sulpitius: *Helena mater Conſtantini Ba-*

(25) Oecumenius in Act. cap. I. vocem illam *de regno Dei* explanans: *Hinc diſcimus, quod etiam poſt reſurrectionem docebat diſcipulos. Unde creditur*, ut ait Fromondus in eumdem locum, *hoc tempore inter alia inſtituiſſe & explicuiſſe diſcipulis materias & formas quorumdam Sacramentorum, quæ ante Paſſionem nondum inſtituerat: item multa eos docuiſſe, quæ ſcripta non ſunt, ſed viva voce Apoſtoli poſteris ſuis tradiderunt, quæ Traditiones Apoſtolicæ vocantur*.

(26) Catechiſmus Rom. de ſexto Symboli art. cap. 7. §. 3. *Sedere autem hoc loco non ſitum, & figuram corporis ſignificat, ſed eam regiæ ſummæque poteſtatis ac gloriæ firmam & ſtabilem poſſeſſionem, quam a Patre accepit, declarat*. Sedere igitur regnare eſt. Sic dicitur Benedictus XIV. nunc Romæ ſedere.

Baſilicam in loco Dominicæ paſſionis, & reſurrectionis, & Aſcenſionis conſtituit. Illud mirum, quod locus ille, in quo poſtremum inſtiterant divina veſtigia, cum in Cœlum Dominus nube ſublatus eſt, continuari pavimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit. Siquidem quæcumque applicabantur, inſolens humana ſuſcipere terra reſpueret, excuſſis in ora apponentium ſæpe marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulveris adeo perenne documentum eſt, ut veſtigia impreſſa cernantur. Et cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non ſentit, & eadem adhuc ſui ſpeciem velut impreſſis ſignata veſtigiis terra cuſtodit. S. Paulinus quoque Nolanus Epiſcopus epiſt. 31. ad Severum §. 4. eadem ſcribit. Auguſtinus vero in Joan. tract. 47. §. 4. *Ibi ſunt*, inquit, *veſtigia ejus, modo adorantur, ubi noviſſime ſtetit, unde aſcendit in Cœlum*. Quod Auguſtinus ſæculo quarto, & quinto, id poſtea dixit auctor libelli de locis Sanctis cap. 7. ſeu Beda is fuerit, ſeu quiſpiam alius. Quare Caſaubono exercitat. 16. §. 154. *Miraculum de ſanctis Domini veſtigiis priſtinum ſtatum continuo recipientibus, quidquid homines molirentur, propter conſenſum tot ſcriptorum, & in his magni Hieronymi, qui fuit oculatus teſtis, fide videtur digniſſimum*. Illa igitur ad verbum impleta eſt Zachariæ vaticinatio: *Et ſtabunt pedes ejus in die illa ſuper montem Olivarum, qui eſt contra Hieruſalem ad Orientem*. (27)

Pag. 366. tom. 3.

Pag. 678.

Cap. XIV. 4.

(27) Euſebius de vita Conſtantini lib. 3. cap. 41. ſcribit, locum aſcenſionis Chriſti fuiſſe in montis vertice: & cap. 43. ſubjungit ibi fuiſſe ſpeluncam, in quam abductos a Chriſto diſcipulos arcanis myſteriis initiatos eſſe, λόγος ἀληθὴς ἔχει, *traditio vera habet*.

Synopſis Criticorum in Act. cap. 1. pag. 1395. A monte Oliveti) *Inde ergo Chriſtus in Cœlum aſcendit: idque primo quia hic inchoavit paſſionem ſuam in horto ſudans, a Juda* *pro-*

13. *Quinam ſpectarunt Chriſtum aſcendentem in Cælum?*

Cap. XVI. 14. 19. ℟. Undecim Apoſtoli, ut Marcus narrat, qui præter hos nullum memorat. Si quis alios addere velit, maxime vero ejuſdem Chriſti matrem Mariam Virginem, non auſim repugnare. Illud admoneo, nullam hujus rei mentionem aut in Sacris Litteris, aut in ſanctis Patribus, quod ſciam, inveniri. Nec illud prætereundum cenſeo, alienos eſſe a veritate, qui in commentariis ad cap. I. Act. Apoſt. ſcribunt, Chriſti aſcendentis ſpectatores ac teſtes fuiſſe numero centum viginti notatos his verbis: *Erat autem turba hominum quaſi centum viginti*. Hoc enim loco ſermo eſt de iis, qui convenerant ad electionem Matthiæ in locum Judæ proditoris. (28)

14. *Quan-*

proditus, captus: hic ſæpe oravit & pernoctavit, *Luc.* 21. & 22. *Secundo ut in conſpectu impiæ Hieroſolymæ glorioſe aſcenderet. Erat enim hic mons tantæ altitudinis, ut inde pœne omnes Urbis plateæ conſpicerentur. At Chriſtus dicitur* eduxiſſe eos in Bethaniam, & inde elatus in Cœlum, Luc. 24. v. 50. *Reſp. Hæc non diſcrepant. Nam Bethania erat pars montis, in ejus deſcenſu ſita.*

Narrant, qui loca ſancta perluſtrarunt, veſtigia Chriſti verſa eſſe in Occidentem, ideoque Chriſtum in Cœlum aſcenſurum ad Occidentem ſpectaſſe.

Simile quid *Deus Optimus Maximus indulſit Juſtinæ Virgini Patavinæ Protomartyri noſtræ, cujus genibus & digitis marmora alioqui duriſſima ceſſere; velut Veneti oſtendunt, & nos alias oſtendebamus in vetere columna, quæ temere, ne dicam impie, in alios uſus conceſſit.* Laurentius Pignorius in Symbolis Epiſtolicis Epiſt. 10. ad Cæſarem Nigheſolam.

(28) S. Auguſtinus epiſt. 205. ad Conſentium cap. 1. §. 2. *Quæris*, utrum nunc corpus Domini oſſa & ſanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta. *Quid ſi adderes*, utrum etiam veſtimenta, *non ne augeretur quæſtio?... Nam ſi veſtis Iſraelitarum per tot annos in eremo ſine tritura eſſe potuit, ſi morticina pellis calceamentorum tamdiu ſine labe du-*

14. *Quando cœptum eſt celebrari feſtum Aſcenſionis?*

℞. Initio ſæculi quinti ab univerſa Eccleſia celebrabatur, teſte Auguſtino, & quidem die quadrageſimo ab reſurrectione Chriſti, ut a nobis celebratur, quod docet S. Leo ſerm. 71. cap. 1. & Auguſtinus ipſe ſerm. 267. cap. 3. §. 3. ubi feſtum hoc vocat *Quadrageſimam*, id eſt feſtum diei quadrageſimæ. (29) Libro quinto Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 19. ſtatuitur celebrandum

Q 2

duravit, poteſt ubique Deus quorumlibet corporum per quantum voluerit tempus incorruptam protendere qualitatem. Ego proinde Domini corpus ita in Cœlo eſſe credo, ut erat in terra, quando aſcendit in Cœlum. Dixerat autem diſcipulis, ut in Evangelio legimus (Luc. XXIV. 39.) *de ſua reſurrectione dubitantibus, & illud, quod videbant, non corpus, ſed ſpiritum eſſe putantibus*. Videte manus meas & pedes: palpate & videte, quia ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis habere. *Sicut eorum, cum eſſet in terra, contrectatus eſt manibus; ſic eorum eſt, cum iret in Cœlum, deductus aſpectibus. Ibi vox Angelica ſonuit:* Sic veniet, quemadmodum eum vidiſtis euntem in Cœlum. (Act. I. 11.) *Fides adſit, & nulla quæſtio remanebit.*

(29) Idem S. Auguſtinus epiſt. 54. cap. 1. §. 1. *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe ſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri, ſicut ut quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cœlum, & Adventus Spiritus Sancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrit, quod obſervatur ab univerſa, quacumque ſe diffundit, Eccleſia.*

S. Bernardo ſerm. 2. in Feſto Aſcenſionis §. 1. pag. 918. dicitur *Conſummatio & adimpletio reliquarum ſolemnitatum, & felix clauſula itinerarii Filii Dei.*

Feſta Nativitatis, Epiphaniæ, & Transfigurationis Domini inſtituta fuiſſe ſub exitum ſæculi IV. ſcribit Spanhemius part. 2. Theologic. Oper. pag. 925.

Cap. 7. pag. 366. tom. 3. dum die Jovis feria hebdomadæ quinta. (30) Sæculo, quo Beda ſeu alius auctor libelli de locis ſanctis vivebat, celebrabatur magno lucernarum apparatu, quæ tota nocte ardebant in Eccleſia Aſcenſionis, *ut non illuſtrari tantum, ſed & ardere mons & ſuppoſita loca viderentur.* (31) Idemque tradit, *in die Aſcenſionis Dominicæ per annos ſingulos Miſſa peracta, validi flaminis procellam deſurſum venire conſueviſſe, & omnes, qui in Eccleſia eſſent, terræ proſternere.*

15. *Sunt ne alia geſta Chriſti præter ea, quæ narrant Evangeliſtæ?*

Cap. XXI. 25. ℟. *Sunt & alia multa, quæ fecit Jeſus*, inquit S. Joannes, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Quæ verba ſecundum Hieronymum in Matth. cap. 21. ſignificant, Chriſti geſta, ſi ſingula ſcripta eſſent, ſuperatura legentium fidem, & ſecundum Auguſtinum in Joan. tract. 124. §. 8. *legentium capacitatem*, qui tamen e veſtigio ſubjungit, S. Joannem locutum per ſuperlationem ſeu

(30) Durandus in Rationali Divinorum Officiorum lib. 4. cap. 6. §. 21. *Primitiva Eccleſia obſervabat quintam feriam, & fiebat in ea proceſſio in memoriam Dominicæ Aſcenſionis, ſed multiplicatis Sanctorum feſtivitatibus, ſublata eſt ſolemnitas quintæ feriæ, & ejus proceſſio per Agapitum Papam in Dominicam tranſlata eſt, ut a populo tunc ad Eccleſiam conveniente ſimul & ſolemniter valeat celebrari, ut propter hoc dies Jovis dicatur vulgariter cognata diei Dominicæ, quia videlicet antiquitus par ſolemnitas fuit utrique.*

(31) Eccleſiam hanc in monte Oliveti Helena condidit: matris ſuæ magnificentiam aureis argenteiſque ornamentis & aulæis auxit Magnus Conſtantinus, referente Euſebio lib. 3. de vita ejuſdem Conſtantini cap. 43. Vide Baronium ad an. 326. §. 39.

ſeu hyperbolem, quæ figura etiam *in nonnullis aliis divinis litteris invenitur*. (32)

CAP. XVII.

De forma & ſtatura Corporis Chriſti.

1. *Scire ne licet qua forma Chriſtus & ſtatura fuerit?*

℟. SI Nicephoro Calliſto credere libet, *Egregius vividoque vultu fuit. Corporis ſtatura ad* Lib. I. Cap. 40.
palmos prorſus ſeptem. (1) *Cæſariem habuit ſubflavam ac non admodum denſam, leniter quodammodo*

(32) S. Philaſtrius Brixiæ Epiſcopus hær. 106. pag. 78. *Dominus, quæ in uno anno geſſit & docuit, hæc ſola præcepit conſcribi. Nam quæ ante facta ſunt ab eo ac dicta primis triginta annis*, ſcripta non ſunt *ſecundum Beatum Joannem, qui dicit mundum non capere poſſe, ſi univerſe ſcriberentur, quæ fecerat*. S. Gaudentius proximus Philaſtrii ſucceſſor tract. 3. pag. 249. *Poſt illud baptiſma, quod pro nobis in Jordane ſuſceperat, uſque ad Paſſionis ſuæ diem unius anni tempus impletur; & ea tantum ſcripta ſunt in Evangeliis, quæ in illo anno vel docuit, vel fecit, nec ipſa tamen omnia. Sic enim dicit Evangeliſta Joannes*: Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum (*eorum quippe, quos poſt baptiſmum ſcribitur elegiſſe*) quæ non ſunt ſcripta in hoc libro. *De his autem, quæ ante illum geſſit annum ſic idem Joannes in poſtremis ſermonibus libri teſtatur*: Sunt autem & multa alia, quæ fecit Jeſus; quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere eos libros, qui ſcriberentur. Vide Baronium ad an. 34. §. 144. Scaligerum de emendatione Temporum lib. 6. pag. 551. Grotium in Lucam cap. IV. 19. tom. 6. Critic. Sacr. pag. 355. & annotat. in cit. locum S. Philaſtrii.

(1) Franciſcus Vavaſſor de forma Chriſti cap. 3. §. 5. exiſtimat, Nicephorum *numerum mutaſſe, proque pedibus ſex, quos Epiphanius*, cujus veſtigia ſequitur, *differte litterarum notis, non numerorum conſignatos habet, ſeptem ſubſtituiſſe*.

Digitized by Google

do ad criſpos declinantem: ſupercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis fulvis, & ſubflaveſcentibus mirifica prominebat gratia. Acres ii erant, & naſus longior. Barbæ capillus flavus, nec admodum demiſſus. Capitis porro capillos tulit prolixiores. Novacula enim in caput ejus non aſcendit, neque manus aliqua hominis, præterquam Matris in tenera duntaxat ætate ejus. Collum fuit ſenſim declive, ita ut non arduo & extento nimium corporis ſtatu eſſet. Porro tritici referens colorem non rotundam aut acutam habuit faciem: ſed qualis Matris ejus erat, paullum deorſum verſus vergentem ac modice rubicundam: gravitatem atque prudentiam cum lenitate conjunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem præ ſe ferentem. Perſimilis denique per omnia fuit divinæ & immaculatæ ſuæ Genitrici. (2)

2. *A quibus hæc Nicephorus accepit?*

℞. *A Veteribus accepiſſe* ſe ſtatim initio profitetur, legentium fidem ſibi concilians. Non credit tamen ei Theologus Serry exercitat. 47. §. 1. quod *nullos ex nomine appellaverit; nec appellare vere potuerit, cum nulli umquam tam accurati tamque diligentes Chriſti delineatores tota retro antiquitate inventi ſint*. At id qui affirmare certo velit, neceſſe eſt, ut totam antiquitatem cognitam habeat, nullumque ea de re monumentum aut latere, aut periiſſe probe ſciat. (3) Ego itaque ver-

(2) Non minus accurate deſcribitur forma Chriſti in epiſtola Lentuli neſcio cujus apud Joannem Albertum Fabricium in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti tom. 1. pag. 302.

(3) S. Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 4. §. 5. *Neque enim omnia, quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ litteriſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus*. Lege Mabillonium in li-

verbis Nicephori nihil detraho fidei, præſertim cum Euſebius lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 18. ſcriptum reliquerit, ſe Chriſti pictas imagines ad ſuam uſque ætatem religioſe ſervatas vidiſſe, quas ad poſteros deinceps potuiſſe pervenire, nemo inficiabitur. (4) Quia tamen neminem antiquiorem Nicephoro alium auctorem habeo, neque affirmata res mea opinione ſit, nec pro vana prætermiſſa.

3. *Quid præterea contra Nicephorum eſſe dicitur?*

℞ Idem Theologus Serry in eadem exercitatione 47. §. 2. & 7. ſcribit, primum eſſe illud, quod ignoretur, ubinam *exſtent hodie viſæ ab Euſebio pictæ* (Chriſti) *imagines, numve ad vivum expreſſæ fuerint*. Quaſi vero quod hodie ignoratur, Nicephori ætate notum eſſe non potuerit. Secundum illud, quod *videri poſſint periiſſe ea ipſa Euſebii ætate, ad quam ſervatæ fuerant:* quoniam Euſebius Conſtantiæ Licinii uxori petenti, ut mitteret ad ſe imaginem Chriſti, reſcripſit, id quod petebat, fieri non poſſe. Sed manifeſtum eſt, ut capite ſequenti oſtendam, ita reſpondiſſe Auguſtæ feminæ, quia profitebatur ſectam Aria-

libro de ſtudiis Monaſticis part. 2. cap. 13. de Critica & regulis in ipſa ſervandis, & annotat. noſtram 18. ad cap. XIX.

(4) Etiam S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 10. §. 16. ſcribit, pictas Chriſti imagines pluribus locis viſas. S. Irenæus lib. 1. adverſus Hæreſes cap. 24. de Gnoſticis loquens: *Etiam imagines quaſdam quidem depictas, quaſdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Chriſti factam a Pilato illo in tempore, quo fuit Jeſus cum hominibus.*

S. Epiphanius Hær. 27. quæ eſt Carpocratianorum §. 6. *Habent porro depictas coloribus imagines quidam etiam aureas aut argenteas, vel ex alia materia factas, quas eſſe Jeſu effigies affirmant, eaſdemque a Pontio Pilato ad Chriſti ſimilitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat.*

norum ſeu Theopaſchitarum, qui imagines Chriſti non admittebant: alioquin Chriſti imaginem ad eam mittere poterat, cum lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 18. ſcribat, ſe Chriſti pictas imagines ad ſuam uſque ætatem ſervatas in tabulis vidiſſe. (5) Tertium illud, quod ait S. Auguſtinus lib. 8. de Trinitate extremo cap. 4. §. 7. *Ipſius Dominicæ facies carnis innumerabilium cogitationum diverſitate variatur, & fingitur, quæ tamen una erat, quæcumque erat*. At quis non videt, Auguſtinum ibi loqui de variis illis Chriſti ſimulacris, quæ ſibi quiſque animo fingit, cum Chriſtum cogitat, ejuſque geſta & dicta legit, vel audit: Nicephorum vero talem nobis exhibere formam Chriſti, qualem *a veteribus acceperat?*

4. *Conſentiunt ne Sancti Patres Nicephoro?*

℞. Et ſunt, qui conſentiunt, & ſunt, qui contradicunt. Qui conſentiunt, illud Pſalmi XLIV. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum*, non ut alii, ad pulcritudinem divinitatis vel animæ duntaxat, ſed etiam ad ſpeciem corporis referunt. In his Chryſoſtomus, & Hieronymus. Chryſoſtomi hæc ſunt ex hom. 28. in Matthæum: *Ut in faciendis ſignis erat mirabilis; ſic viſu gra-*
Pag. 276. *tioſiſſimus traditur fuiſſe; Id ipſe Propheta ſignificans multo ante clamaverat*: Specioſus pulchritudine ſuper filios hominum. (6) Hieronymi autem hæc

(5) Locum integrum Euſebii habes infra pag. 253. & Fragmenta epiſtolæ ejus ad Conſtantiam Auguſtam annotat. 6. ad cap. XIX.

(6) Idem Chryſoſtomus eodem loco: *Quod autem dicit Eſaias*: Non habebat ſpeciem neque pulcritudinem, *aut quoniam ad Deitatis ſuæ ineffabilem gloriam, aut quoniam paſſionis cruentam deformitatem, & lividos tumores reſpexit, id ita dixit: vel etiam quia tenui eum & victu & veſtitu uſurum ſignificare voluit.*

Hie-

hæc in eumdem Matthæum cap. 9. *Certe fulgor ipſe, & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.* Et Epiſt. 140. *Niſi habuiſſet & in vultu quiddam oculiſque ſidereum, numquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent.* (7) Pro- Pag. 13. Pag. 769.

Hieronymus quoque ac Thomas locis citatis docent, Eſaiam Davidi non eſſe contrarium; ſed verba Eſaiæ, ut ait Thomas, *exprimere contemtum Chriſti in paſſione, in qua deformata fuit ſui corporis forma præ multitudine afflictionum.*

(7) Origenes contra Celſum lib. 6. §. 7. pag. 689. tom. 1. *Conſtat ex Scripturis, Jeſu corpus fuiſſe aſpectu deforme, ſed non etiam abjecto vultu, ut Celſus expoſuit: nec exigua ſtatura illud fuiſſe, clare indicatur. Hæc ſunt Eſaiæ verba cap. LIII. 1. 2. 3. quibus prædicit illum venturum huc eſſe non decora ſpecie, nec excellenti pulcritudine:* Domine, quis credidit auditui noſtro? Et brachium Domini cui revelatum eſt? annunciamus in conſpectu ejus, ut parvulus, ut radix in terra ſitiente. Non eſt ſpecies ei, neque gloria, & vidimus eum, & non habebat decorem, neque pulcritudinem: ſed ſpecies ejus indecora, & deficiens præ filiis hominum.

Carolus Delarue locum Origenis illuſtrat hoc modo: *Thadæus unus ex ſeptuaginta diſcipulis apud Euſebium lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 13. Abgaro regi promiſit ſe poſtridie locuturum eſſe* De exiguitate, vilitate, & abjectione exterioris ejus humanitatis. *In eumdem modum Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 1.* Dominum vero ipſum facie deformi natum, per Eſaiam Spiritus teſtatur: *Et vidimus eum, & non habuit ſpeciem, neque decorem, ſed ſpecies ejus inhonorabilis, deficiens citra filios hominum.* Et quis melior aut præſtantior eſt Domino? At non ea pulchritudine carnis, quæ oculis corporis videtur, quæ ſolet oculis & imaginatione concipi; ſed veram & animæ, & corporis pulcritudinem Propheta innuit, animæ quidem beneficentiam, carnis vero immortalitatem. *Idem ſtrom.* VI. Non ſine cauſſa Dominus habere voluit vilem corporis formam, ne quis videlicet formoſitatem laudans, & pulcritudinem admirans abſiſteret a ſermonibus Domini, & in rebus mortalibus & tranſituris adhærens, abſcinderetur ab iis quæ ſunt mentis & intellectus. *Tertullianus libro de Patientia:* Naſci ſe Deus in utero patitur matris, & expectat; & natus adoleſcere ſuſtinet;

net; & adultus non geſtit agnoſci, ſed contumelioſus inſuper ſibi eſt. *Idem lib. de Carne Chriſti:* Adeo nec humanæ honeſtatis corpus fuit, nedum cœleſtis claritatis: tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aſpectu ejus, ipſæ paſſiones, ipſæque contumeliæ loquuntur: paſſiones quidem humanam carnem; contumeliæ vero inhoneſtam. An auſus eſſet aliquis ungue ſummo perſtringere corpus novum? ſputaminibus contaminare faciem niſi merentem? *Adde contra Judæos cap.* 14. *Cyprianus item lib.* 2. *adverſus Judæos pariter ex Eſaia colligit, Chriſtum, quamdiu vixit, figuram non habuiſſe, nec ſpeciem, figuram eius fuiſſe ſine honore, & deficientem præter ceteros homines. Idem habere videntur Baſilius in pſalm.* 44. *Iſidorus Peluſiota epiſt.* 130. *lib.* 3. *& Theodoret. in pſalm.* 44. *Eadem tradit Cyrillus Alexandrinus libro primo Glaphyrorum in Exod. ad illa verba pſalm.* 45. Specioſus forma præ filiis hominum. Ut intelligamus ea quæ carnis ſunt, collata cum gloria Deitatis, prorſus nullius eſſe momenti aut pretii. Filius enim in ſpecie apparuit admodum deformi. *Auguſtinus in pſalm.* 43. Ut homo, *inquit*, non habebat ſpeciem, neque decorem, ſed ſpecioſus forma, ex eo quod eſt præ filiis hominum. *Idem ad pſalm* 118. Et ipſe ſponſus non carne, ſed virtute formoſus. *Idem ad pſalm.* 127. Ergo perſequentibus fœdus apparuit. Et niſi eum fœdum putarent, non inſilirent, non flagellis cæderent, non ſputis inhoneſtarent. Sed quia fœdus illis apparebat, fecerunt illi iſta. Non enim habebant oculos, unde Chriſtus pulcher videretur. *Sic igitur illi veteres de formia Chriſti ſenſerunt, arbitrati id non in Chriſti contumeliam, ſed in maſculæ potius ac divinæ religionis argumentum cedere. Verum dici non poteſt, quantum recentiores ab iis diſceſſerint, qui ſecum invicem in eo certaſſe videntur, ut ad Chriſti formoſitatem aliquid adderent, rati id ſuæ eſſe in ipſum obſervantiæ, aut etiam religionis. Atque ut pictores prætermittam, quibus audere quidlibet ſemper licuit, Græci ſane ac Latini nihil, quod ad eam rem pertineret, omiſerunt, figuræ nimirum maieſtatem, dignitatem frontis, conjunctionem ſuperciliorum, oculorum vim & aciem, capillitii criſpi ac promiſſi venuſtatem, naſi aquilini juſtum modum, eximiam oris conformationem, barbæ bifidæ decus, cervicis mediocrem flexum, digitorum longitudinem, pedum gratiam, triticeum cutis colorem, & cetera id genus minutiſſime perſecuti antiquis ignorata Patribus. His certe lineamentis depinxerunt Chriſtum Joannes Damaſcenus, Theophanes, Nicephorus, Antoninus in Itinerario terræ ſanctæ. Fatendum his recentioribus veteres aliquot quadamtenus præiviſſe. Origenes tractatu* 35. *in Matth. teſtatur,*

ex

Probabilior viſa eſt D. Thomæ ſententia, eoque fere ab omnibus accepta. *Pulcritudo conſiſtit in proportione membrorum & colorum. Et ideo alia eſt pulcritudo unius, alia alterius: & ſic hanc pulcritudinem Chriſtus, ſecundum quod competebat ad ſtatum & reverentiam ſuæ conditionis, habuit. Non eſt ergo intelligendum, quod Chriſtus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubeus: quia hoc non decuiſſet eum: ſed illam pulcritudinem corporalem habuit ſumme, quæ pertinebat ad ſtatum & reverentiam & gratioſitatem in aſpectu; ita quod quoddam divinum radiabat in vultu ejus, quod omnes eum reverebantur, ut Auguſtinus dicit.* Idemque in illud Eſaiæ cap. 53. Et non erat aſpectus: *magnificus*, inquit, *ſecundum quod dicitur, quod ſpecies Priami digna eſt imperio.* (8)

In Pſal. 44. pag. 56. tom. 13.

Pag. 43. tom. 13.

ex Chriſti vultu ſplendorem quemdam inſolitum, quo homines ad ſe traheret, identidem erupiſſe, pro eorum qui ipſum aſpicerent dignitate & merito. Id autem ad omnem ejus vitam extenderunt Hieronymus, ac Chryſoſtomus. Hieronymus enim ad Principiam ſcribens ait, Chriſtum, niſi in vultu & oculis quiddam ſidereum habuiſſet, numquam uno verbo Apoſtolos fuiſſe tracturum. Chryſoſtomus vero ad Matth. 8. ℣. 18. hom. 27. aſſeverat, Chriſtum, non modo cum miracula ederet, ſed etiam ipſo aſpectu gratum fuiſſe. Vide Natalem Alexandrum in Hiſt. Eccl. ſæc. II. diſſertat. 8. pag. 395. tom. 3.

(8) Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 1. diſputat. 31. ſect. 2. docet, *aſſumſiſſe Chriſtum perfectam corporis pulcritudinem, quam in corpore humano ac virili eſſe oportebat: quod ſine cauſſa ac temere negare auſus eſt Michael Medina, de recta in Deum fide* cap. 7. Vide Franciſci Vavaſſoris librum de forma Chriſti, & Auguſtini Calmet Diſſertationem de forma ejuſdem præpoſitam commentariis in Eſaiam pag. 594. tom. 5.

CAP.

CAP. XVIII.

De ſtatua Chriſto poſita in Urbe Paneade ab Hæmorrhoiſſa.

1. *Cur Hæmorrhoiſſa ſtatuam Chriſto poſuit?*

℟. UT exſtaret aliquod accepti ab ſe beneficii monumentum. Cum enim, ut Evangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas narrant, fluxu ſanguinis annos duodecim laborans, magnos ſumtus erogaſſet in medicos, & quotidie magis ingraveſceret morbi vis, audito tranſitu Chriſti Jeſu, conjecit ſe in turbam, & a tergo accedens ad eum tanta fide veſtium fimbrias tetigit, ut non ſolum a profluvio ſanguinis, ſed etiam a plaga ſanaretur. Itaque in Phœnices Urbe Paneade, in qua orta erat, & domicilium habebat, ſtatuas æneas duas, Chriſto unam, ſibi alteram erexit, quæ rem poſteris indicarent: atque ita ſimul miraculi a Chriſto patrati, ſimul beneficii a Chriſto accepti memoriam honore quanto poterat maximo conſecravit. (1)

Matth. IX. 20. Marc. V. 25. Luc. VIII. 43.

2. *Qui-*

(1) Auctor Sermonis 46. de Salomone cap. 4. §. 14. in Appendice S. Ambroſii pag. 454. tom. 2. arbitratur, mulierem Hæmorrhoiſſam fuiſſe Martham Lazari & Mariæ ſororem. At Baronius ad an. 31. §. 74. id negat, *cum non liceret ullo pacto Judæis ſimulacrum cujuſvis quavis occaſione formare*. Quare Joſephus lib. 8. Antiquit. cap. 7 §. 5. contendit, Salomonem *in legis præceptis obſervandis lapſum eſſe, quando boum æneorum ſimulacra fecit mari ſubtus attollendo, & leonum effigies ſuum circa ſolium (neque enim iſtas facere licitum erat) fabricari curavit*. De hoc mari mentio eſt lib. 3. Reg. cap. VII. 23.

Macarius, cognomine *Magnus*, quarti, ut creditur, ſæculi ſcriptor, mulierem Hæmorrhoiſſam facit Edeſſæ Prin-

ci-

Digitized by Google

2. *Quinam de hac ſtatua ab Hæmorrhoiſſa Chriſto poſita teſtantur?*

℞. Euſebius in primis. Verba ipſa, quibus rei totius hiſtoriam exponit, præſtat, ut opinor, adſcribere. Sunt autem in lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 18. juxta editionem Valeſii hoc modo: *Sed quandoquidem hujus Urbis* (Paneadis, ſeu Cæſareæ Philippi) *mentionem fecimus, non incongruum fuerit rem quamdam memoria in primis dignam poſteris tradere. Etenim mulierem illam ſanguinis profluvio laborantem, quam ex ſacris Evangeliis diſcimus a Servatore noſtro curatam fuiſſe, ex hac civitate originem traxiſſe ferunt, domumque ejus ibidem conſpici, & collati in eam a Servatore noſtro beneficii illuſtria exſtare monumenta. Quippe juxta januam domus illius ænea mulieris effigies ſtare dicitur, columnæ lapideæ impoſita, genibus flexis, protenſiſque manibus inſtar ſupplicantis. Ex adverſo autem effigies viri ex eodem metallo conflata ſtantis ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis. Ad cujus pedes in ipſa baſi ignota quædam naſci dicitur planta, quæ ad fimbriam uſque æneæ diploidis aſſurgens depellendis omnis generis morbis præſentiſſimum remedium eſt. Hanc ſtatuam Jeſu Chriſti ſpeciem referre, ajebant. Manſit porro ad noſtra uſque tempora, noſque adeo urbem illam ingreſſi ipſam conſpeximus. Nec vero mirandum eſt, Gentiles a Servatore noſtro beneficiis affectos hæc præſtitiſſe, cum & Apoſtolorum Petri ac Pauli, Chriſtique ipſius pictas imagines ad noſtram uſque memoriam ſervatas in tabulis viderimus. Quippe priſci illi abſque ullo diſcrimine cunctos de ſe benemeritos, Gen-*

cipem, ac vult, nomen ejus tunc notum ac celebre fuiſſe etiam in Meſopotamia, referente Tillemontio in vita Imperatoris Conſtantini art. 93. pag. 309. tom. 4.

Digitized by Google

Gentili quadam conſuetudine, tamquam ſervatores colere hujuſmodi honoribus conſueverunt. Hæc Euſebius. Sanctus vero Aſterius Amaſenus apud Pho-
Pag.1507. tium in Bibliotheca cod. 271. affirmatiſſime ſcripſit, Chriſtum ænea ſtatua ab Hæmorrhoiſſa in Urbe Paneade ornatum, *& ſtatuam per multos annos duraſſe ad redargutionem eorum, qui Evangeliſtis mendacium adſcribere audebant*, non tamen ſtetiſſe ad ſua uſque tempora, hoc eſt uſque ad annum Chriſti 400. quo hæc ſcribebat. De eadem ſtatua meminere Rufinus lib. 7. cap. 14. Philoſtorgius lib. 7. cap. 3. Sozomenus lib. 5. cap. 21. Theo-
Pag. 33. phanes in Chronographia: Glycas in annalibus part. IV. & poſtea Nicephorus Calliſtus lib. 6.
Pag. 195. cap. 15. Antipater quoque Boſtrenſis in Arabia Epiſcopus, qui medio circiter ſæculo quinto floruit, & ſcripſit Ἀντίῤῥησιν, ſeu *Refutationem Apologiæ Euſebii Cæſarienſis pro Origene*, ejuſdem rei teſtis eſt clarus: cujus teſtimonium recitavit Gregorius Diaconus act. 4. Concilii Nicæni II. Oecumenici VII. (2) Sanctus etiam Gregorius hujus nominis II. in epiſtola ad Germanum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Sanctus ipſe Germanus in epiſtola ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos, poſitum ab illa femina monumentum, ut eſſet indicium grati animi erga Chriſtum, laudant, atque commendant. (3) Demum Epiphanius Diaconus (prætereo auctorem vitæ Sancti Martyris Procopii, itemque auctorem vitæ S. Artemii apud Surium die 8. Julii, & 20. Octobris) coram Patribus memorati Concilii Nicæni II. act.

(2) Apud Lab. tom. 7. Conc. pag. 207. & apud Harduinum tom. 4. pag. 170. *Hæc ſalutari fimbria comprebenſa dicebat mulier, quæ fluxum ſanguinis patiebatur... perceptoque dono ſtatuam erexit Chriſto. Et quidem divitias in medicos expenderat, ſed divitiarum reſidua obtulit Chriſto.*

(3) Apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 286. & 315. apud Harduinum tom. 4. pag. 234. & 259.

act. *6.* aſſeveranter pronuntiavit, hiſtoriam ſtatuæ ab Hæmorrhoiſſa Chriſto poſitæ *ex diverſis hiſtoriis teſtimonium habere, & multis ſcriptoribus confirmari poſſe.* (4)

3. *Statua hæc quamdiu ſtetit?*

℟. Nullo modo probari poteſt, quod tradit Aſterius Epiſcopus Amaſenus apud Photium in Bibliotheca cod. 271. ſtatuam hanc ſublatam a Maximino impio idolorum cultore, qui ante Conſtantinum Romanorum Imperator fuit. Nam Euſebius, qui poſt mortem Maximini ſcripſit, aperte docet, ſe Paneadem profectum illam conſpexiſſe, & Sozomenus, Theophanes, & Glycas ſuperius citati, impium facinus Juliano Apoſtatæ tribuunt. (5) Illud tamen veriſſime dictum ab Aſte- Pag. 1507.

(4) Apud Lab. tom. 7. Conc. pag. 451. & apud Harduinum tom. 4. pag. 371. *Præterea cum multis, quæ nobis ſine ſcripto tradita ſunt, etiam imaginum factio in Eccleſia ab Apoſtolorum prædicatione dilatata eſt. Indicat autem hoc & hiſtoria de Hæmorrhoiſſa, quæ ex diverſis hiſtoriis teſtimonium habet, & ſecundum quod ſanctum Evangelium refert, ſanitatem adepta eſt; quia hæc ſtatuam erexit Domini, & ſe tangentem fimbriam ſtatuæ poſuit. Inter illam autem & Chriſti imaginem herba quædam oriebatur, appropinquans pedi ſtatuæ, omnis languoris remedium.*

Rurſus apud eumdem Labbeum pag. 838. & apud Harduinum 371. *Quod autem cum multis aliis, quæ in Eccleſia obſervantur ſine Scriptura, nobis imaginum veneratio tradita ſit ab Apoſtolorum temporibus, late per hiſtorias traditum eſt, de imagine maxime Hæmorrhoiſſæ, quam multis ſcriptoribus confirmare poſſumus.*

(5) Sozomenus lib. 5. cap. 21. *Ex iis porro, quæ regnante Juliano acciderunt, illud minime prætereundum eſt, quod & potentiæ Chriſti, & divinæ adverſus Imperatorem iræ argumentum eſt maximum. Nam cum Imperator didiciſſet, Cæſareæ Philippi (urbs eſt Phœnices, quam Paneadem nominant) inſignem eſſe ſtatuam Chriſti, quam mulier ſanguinis profluvio, quo jamdudum laborabat, liberata ibi dedicavit, ea ſubver-*

Aſterio, hoc æneum Chriſti trophæum ſua ætate non exſtitiſſe, ab Ethnicis jam confractum.

4. *Sunt ne, qui hujus ſtatuæ hiſtoriam fabuloſam dicant?*

℟. Sunt enimvero heterodoxi neſcio qui, ſacrarum imaginum hoſtes. Ajunt enim, mulieri, quam Chriſtus a profluvio ſanguinis liberaverat, non potuiſſe ſuppetere ſumtus in ſtatuas æneas: namque ex D. Marco Evangeliſta *fuerat multa perpeſſa a compluribus medicis, & erogaverat omnia ſua:* & ex D. Luca *in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam*. Deinde dicunt, ſcriptores ante Euſebium in Apologeticis, quibus Chriſtianorum cauſſam tuentur, nuſquam harum ſtatuarum meminiſſe: miraculum perpetratum a planta ad baſim ſtatuæ Chriſti enaſcente dubium eſſe, tum quod Euſebius id narrans utatur verbo *dicitur*, tum quod planta virtutis plane divinæ tempore Euſebii multo notior fuiſſet: Euſebium dixiſſe quidem ſtatuam a ſe viſam eſſe, ſed non affirmaſſe Chriſto poſitam, quandoquidem rogatus a Con-

Cap. VI. 26.

Cap. VIII. 43.

verſa imaginem ſuam ejus loco poſuit. Statim vero ignis ſumma vi e cœlo delapſus pectus ſtatuæ & vicinas pectori partes diſcidit, caputque una cum collo dejecit, & pronum humi infixit quatenus pectoris pars diſrupta erat. Atque ex eo tempore ſtatua ad hanc uſque diem ejuſmodi ſpecie perſeverat, fuligine fulminis obſita. Chriſti vero ſtatuam tunc quidam Pagani trahentes per Urbem confregerunt. Poſtea vero Chriſtiani collectam in Eccleſia repoſuerunt, ubi etiamnum ſervatur. Neque diſſimili modo narrat Caſſiodorus lib. 6. Hiſt. Tripartitæ cap. 41. & Nicephorus lib. 6. cap. 15. ut conſtet ex his, ſtatuam illam ſtetiſſe uſque ad annum Chriſti 362. quo Julianus Apoſtata in Chriſtianos ſævire cœpit.

Hanc ſtatuam a Paneadenſibus *a baſi revulſam*, narrat Philoſtorgius lib. 7. cap. 3. at id factum eſſe Juliani juſſu, ſtatuamque ejus ſubſtitutam in locum ſtatuæ Chriſti, non dicit.

Conſtantia Licinii Imperatoris uxore, ut mitteret ad ſe imaginem Chriſti, præciſe reſpondit, id fieri nullo modo poſſe: vix credibile eſſe, ænea illa ſimulacra annos tercentos Paneade integra & inviolata manſiſſe, ſævientibus perſecutionibus: demum auctorem librorum Carolinorum lib. 4. cap. 15. de hac hiſtoria dubitare.

5. *Argumenta hæc quomodo confutantur?*

℟. Ita videlicet. Nam quod Evangeliſtæ Marcus & Lucas dicunt, Hæmorrhoiſſam erogaſſe in medicos *omnia ſua*, *omnem ſubſtantiam ſuam*; id non ad verbum, ſed ad ſententiam intelligendum eſt, ut nimirum ſignificare voluerint, eam ſumtus maximos feciſſe valetudinis cauſſa. Ita enim verba illa accipienda eſſe, Antipater Boſtrorum Epiſcopus docet: *Perceptoque dono*, ait, *ſtatuam erexit Chriſto: Et quidem divitias in medicos expenderat, ſed divitiarum reſidua obtulit Chriſto*. (6) Præterea in priſtinam valetudinem reſtituta potuit res ſuas componere, & eas opes acquirere, quæ ad ſtatuarum impenſas ſatis eſſent: rurſus ſi non ipſa potuit, potuit aliquis Paneadenſis Civis id præſtare ad miraculi memoriam retinendam. Scriptores, qui Euſebium ætate præceſſerunt, vel non viderant, quod ipſe Euſebius oculis ſuis conſpexit, vel judicarunt, id eſſe haud magni momenti ad Ethnicos convincendos. Quam enim rationem habuiſſent ſtatuæ Chriſto poſitæ, qui Chriſti nomen ſummo odio proſequebantur? Euſebius non ſolum referens miraculum plantæ utitur verbo *dicitur*, ſed etiam referens hiſtoriam ſtatuarum Hæmorrhoiſſæ, & Chriſti, quas ſuiſmet oculis viderat. Quare verbo illo *dicitur* non ſignificavit,

Cap. III. 26. Cap. VIII. 43.

(6) Apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 207. & apud Harduinum tom. 4. pag. 170.

vit, miraculum plantæ dubium eſſe; niſi dicere velis, ipſum dubitaſſe etiam de ſtatuis, quas intuitus fuerat. Quemadmodum autem fieri facile potuit, ut quamplurimi admirabilem ac plane divinam hujus plantæ virtutem cognoverint; ita difficile eſt reddere rationem, cur de ea ſiluerint, ſicut etiam difficile eſt cauſſam afferre, cur ſiluerint de ſtatua, quæ multo notior erat, quam planta. Porro quod ſcribit idem Euſebius: *hanc ſtatuam Jeſu Chriſti ſpeciem referre ajebant:* id non indicat, illum dubitaſſe de ſtatua Chriſto poſita, ſed tantum dubitaſſe, num ſtatua illa Chriſti ſpeciem referret. Qui enim Chriſtum numquam de facie noverat, non potuit niſi aliorum teſtimonio aſſerere, effigiem Chriſti ac lineamenta per ſtatuam illam æneam deſignari. Quoniam autem ſequebatur ſectam eorum Arianorum, qui dicebant, carnem Chriſti converſam eſſe in divinitatem, ob eamque cauſſam nulla imagine exprimi poſſe: ideo reſpondit Conſtantiæ Auguſtæ, non poſſe fieri, quod petebat. (7) Perſecutores Chriſtianorum non ſuſtulerunt Chriſti ſtatuam, quia fortaſſe eam Chriſti eſſe non noverant:, & Deus, qui ſervari voluit tam illuſtre monumentum, efficere potuit, atque adeo effecit, ne umquam de eo evertendo cogitarent. Auctor Librorum Carolinorum quadringentis annis poſt Euſebium vixit. Itaque magis credendum Euſebio, qui Paneadenſium teſtimonio permotus memoriæ prodidit, eam fuiſſe ſtatuam Chriſti a muliere Hæmorrhoiſſa collocatam. (8)

CAP.

(7) Hoc idem argumentum pluribus refutabimus capite ſequenti, ubi eos refellemus, qui non manu factam imaginem Chriſti Edeſſenam oppugnant.

(8) Vide Natalem Alexandrum ſæc. VIII. diſſertat. 6. §. 2. Ludovicum Vincentium Gotti in Vera Eccleſia tom. 2. part. 2. art. 16. de veneratione ſacrarum imaginum §. 3. num.

CAP. XIX.

De imaginibus Chriſti non manu factis.

1. *Quot feruntur imagines Chriſti non manu factæ?*

℞. TRes. Prima illa eſt, quam Chriſtus miſit ad Abgarum Regem Edeſſenorum ſui videndi cupidum: ſecunda habetur Sudarium Berenices, ſeu Veronicæ: tertia eſt ſanctiſſima Sindon illa, quæ nudo corpori Chriſti demortui circumpoſita, & faſciis ligata jacentis in ſepulcro imaginem exhibet. (1) Bar. ad an. 34. §. 138.

2. *Tres iſtæ imagines agnoſcuntur ne ab omnibus?*

℞. Minime vero. Nam quod attinet ad primam, rejicitur illa a nonnullis tamquam com- Bar. ad an. 31. §. 61.

R 2 men-

num. 10. & §. 15. n. 88. Pamelium in Apologeticum Tertulliani annotat. 184. & annotat. 5. ad Hadrianum I. Pontif. XCVII. in Vitis Pontificum, quas nos ipſi deſcripſimus.

(1) Gretſerus in Syntagmate de imaginibus non manu factis cap. 1. pag. 179. tom. 15. recenſet Camulienſem, agitque de ea cap. 12. 13. 14. & 15. Coſmas Diaconus act. 5. Concilii Nicæni II. Oecum. VII. apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 378. & 806. apud Harduinum tom. 4. Conc. pag. 314. & 674. *Invenimus*, inquit, *& codicem hunc in Scevophylacio venerabilium Oratoriorum Patriarchii, continentem diverſorum Martyrum agones: cum his autem & de imagine non manu facta Camulienſium. Porro reciderunt folia, in quibus erant de imaginibus ſcripta.*

Eamdem imaginem Conſtantinopolim tranſlatam eſſe anno Juſtini II. nono, Chriſti 574. ſcribit Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum pag. 308. *Allata quoque tunc eſt imago nulla manu effecta Camulianis pago Cappadociæ*. Vide Baronium ad annum 574. §. 1.

mentitia: ſed perperam. Etenim de illa quamplurimi teſtes ſunt. Primum ejus imaginis a Chriſto ad Abgarum miſſæ mentio invenitur in Actis Samonæ & Guriæ martyrum Edeſſenorum, quæ non ita multo poſt eorum mortem anno Chriſti 306. conſcripta ſunt, & habentur apud Surium ad diem XVII. Kal. Decembres, ipſiuſque Baillieti judicio ex Codice probato depromta videntur. Deinde ex Procopio ſæculi VI. ſcriptore meminit Evagrius lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 27. vocat-

Pag. 401. que θεότευκτον, *a Deo confectam*. Præterea mentionem ejus facit Nicephorus Calliſtus lib. 2. extremo cap. 7. qui licet ſit Evagrio junior, antiquius tamen teſtimonium afferre videtur, quam Procopius ſit, ſcilicet *tabularia & archiva Civitatis Edeſſæ*. Ineunte ſæculo VII. de eadem imagine narrat Theophylactus Simocatta lib. 2. Hiſtoriarum cap. 3. & ſub initium ſæculi VIII. S. Joannes Damaſcenus, & Gregorius II. quo pariter ſæculo ad exitum vergente Hadrianus I. (2) & Syno-

(2) S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 16. *Fertur autem etiam ejuſmodi hiſtoria quædam: puta, cum Abgarus Edeſſenorum Rex pictorem miſiſſet, qui Domini exprimeret effigiem, neque id pictor ob ſplendorem ex ejus vultu emicantem aſſequi poſſet; Dominum ipſum admoto divinæ vivificæque faciei ſuæ pallio imaginem ſuam in eo depinxiſſe, quam ad Abgarum miſit, ut hoc pacto deſiderio ejus faceret ſatis.*

Gregorius II. in epiſtola ad Leonem Iſauricum apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 14. & Harduinum tom. 4. pag. 6. *Cum Hieroſolymis ageret Chriſtus, Abgarus, qui tum temporis dominabatur, & Rex erat Urbis Edeſſenorum, cum Chriſti miracula inaudiſſet, epiſtolam ſcripſit ad Chriſtum, qui manu ſua reſponſum, & ſacram glorioſamque faciem ſuam ad eum miſit.*

Hadrianus I. in epiſtola ad Carolum Magnum pro Synodo Nicæna II. apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 923. & Harduinum tom. 4. pag. 782. *Quod ſi faciem meam corporaliter cernere cupis: en tibi vultus mei ſpeciem transformatam in lin-*

nodus Nicæna II. Oecum. VII. quæ act. 5. ejuſdem imaginis teſtimonium protulit ad convincendos hæreticos Iconoclaſtas. (3) Sæculo autem inſequente IX. Haymo Epiſcopus Halberſtadienſis lib. 2. de Chriſtianarum rerum memoria cap. 5. poſt memoratam epiſtolam Chriſti ad Abgarum, & Abgari ad Chriſtum, imaginem quoque ſuam a Chriſto ad Abgarum miſſam, ſubjungit. His adde Græcos ſcriptores nec paucos, nec ignobiles, Georgium Cedrenum, Michaelem Glycam, Photium, Zonaram, Joannem Curopalatam, Conſtantinum Porphyrogenitum, alioſque a Jacobo Gretſero laudatos in Syntagmate de Imaginibus non manu factis cap. 5. & ab Auguſtino Calcagnino in Obſervationibus Hiſtoricis de imagine Edeſſena obſervat. 2. Poteſt autem verum non eſſe, quod tam magno teſtium numero confirmatur?

3. *Cur igitur eam imaginem aliqui rejiciunt?*

℞. Primum quia Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 13. ubi refert epiſtolam Abgari ad Chriſtum & Chriſti ad Abgarum, de ea non meminit:

 dein-

linteo dirigo, per quam & deſiderii tui fervorem refrigeres, & quod de me audiſti, impoſſibile nequaquam fieri exiſtimes.

Quod ſi non conſtat inter omnes *de ortu hujus imaginis*, ait Conſtantinus Porphyrogenitus de translatione ejuſdem imaginis, *attamen in eo, quod eſt præcipuum in hac hiſtoria, omnes conſentiunt, & confitentur ex facie Dominica admirabiliter in linteo fuiſſe formam expreſſam: in nonnulla autem rei circumſtantia, ſeu in tempore differunt; quod quidem nihil lædit veritatem, ſeu prius factum ſit, ſeu poſterius.* Exſtat Conſtantini Porphyrogeniti narratio de non manu facta Chriſti Dei noſtri imagine miſſa ad Abgarum, & ex Edeſſa Conſtantinopolim translata apud Surium die 16. Auguſti.

(3) Apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 379. & apud Harduinum tom. 4. pag. 315.

deinde quia primus omnium Evagrius meminit. At quod ſpectat ad primum, unius vel alterius ſcriptoris ſilentium non eſt anteponendum teſtimoniis ſcriptorum, qui rem expreſſe memorant & exponunt: deinde idcirco Euſebius nihil dixit de imagine Chriſti Edeſſena, *quia Arianus erat, & quidem ex illis, qui dicebant, quod poſtea ab Eutyche pertinacius & pernicioſius aſſertum eſt, carnem Chriſti in Divinitatem mutatam eſſe, ac proinde nulla imagine deſcribi, aut circumſcribi poſſe.* (4) Id quod animadverſum eſt ab Epiphanio Diacono act. *6.* Concilii Nicæni II. (5) ac patet ex ipſius Euſebii epiſtola ad Conſtantiam Licinii Imperatoris uxorem. Petenti enim, ut mitteret ad ſe Chriſti Salvatoris imaginem, reſpondet, non poſſe fieri quod petebat: Quia cum duplici natura conſtet Chriſtus Dominus, divina ſcilicet & humana, neutrius imago exprimi poteſt: non divina, quam nemo intelligentia conſequitur, nedum exprimit penicillo: non humana, cujus mortalitas a gloria divinitatis abſorpta eſt. (*6*) At

(4) Gretſerus de imaginibus non manu factis cap. 9. pag. 190. tom. 15. Lege Photii epiſtolam 144. ad Conſtantinum Patritium.

(5) Apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 498. & apud Harduinum tom. 4. pag. 410. *Ex his ergo ſcriptis ejus* (Euſebii) *oſtenditur Arii, & comparium ejus dogmata prædicare... conſtat, eos Theopaſchitas eſſe: & qui hujus hæreſeos participes ſunt, imagines non admittunt, quemadmodum nec impius Severus, & Petrus Cnaphæus, & Philoxenus, & omnis, quæ circa eos eſt polycephalos, & ſine capite hydra. Hujus ergo factionis etiam Euſebius exiſtens, ſicuti demonſtratum eſt tam ex epiſtolis, quam ex hiſtoricis ejus conſcriptis, imaginem Chriſti tamquam Theopaſſianus abjicit, & hac pro cauſſa Conſtantiæ uxori Licinii ſcribit, non aliquando apud ſe inveniendam imaginem. Quoniam & in ea epiſtola dicit, quia mutata eſt incarnata ejus forma in divinitatis ejus naturam.*

(*6*) Verba ipſa Euſebii ex memorata epiſtola ad Conſtantiam Auguſtam refert Gregorius Epiſcopus, qui Concilio

At Euſebius lib. 7. cap. 18. meminit ſtatuæ Chriſto poſitæ ab Hæmorrhoiſſa in Urbe Paneade. Verum: ſed ita meminit, ut animum ſuum imaginibus Chriſti adverſum ſatis patefaciat: namque ſubjicit, id feciſſe Gentilem feminam *Gentili quadam conſuetudine*. (7) Quod attinet ad ſecundum, jam dictum eſt ſupra, ejus mentionem inveniri in Actis ſanctorum Guriæ & Samonæ, qui initio ſæculi IV. multo ante Evagrium vixerunt, mortemque pro Chriſto ſubiere: quamquam idem Evagrius Procopium citat: meminit igitur ante Evagrium etiam Procopius. Quod ſi Procopii locus non habetur in digreſſione libri 4. de bello Gothico cap. 14. ubi miracula nonnulla obſidionis Edeſſenæ commemoratur, dici debet, eum alibi ea de re ſcripſiſſe. Non enim Evagrius ſuæ aſſertionis auctorem citaſſet Proco-

 pium

lio Nicæno II. interfuit, apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 494. & apud Harduinum tom. 4. pag. 406. *Quia vero*, inquit, *de quadam imagine quaſi Chriſti ſcripſiſti, hanc volens tibi a nobis mitti; quam dicis & qualem hanc, quam perhibes Chriſti imaginem? Utrum veram & incommutabilem, & natura characteres ejus referentem? an iſtam, quam propter nos ſuſcepit, ſervi formæ ſchemate circumamictus? Sed de forma quidem Dei nec ipſe arbitror te quærere, ſemel ab ipſo edoctam, quoniam neque Patrem quis novit, niſi Filius, neque ipſum Filium novit quis aliquando digne, niſi ſolus Pater qui eum genuit. Et poſt aliqua. Sed utique ſervi formæ imaginem quæris, & corpuſculi, quo amictus eſt propter nos. Sed & id gloria divinitatis temperatum didicimus, & abſorptum eſſe mortale a vita. Et poſt pauca. Quis ergo huiuſmodi dignitatis & gloriæ vibrantes & præfulgentes ſplendores exarare potuiſſet mortuis & inanimatis coloribus & ſcripturis umbraticis? quandoquidem nec aſpicere in eum in monte egregii ſuſtinuere diſcipuli, qui etiam cecidere in faciem, importabile quod ſibi viſum fuerat confitentes*. Integram Euſebii epiſtolam ex Codice Regio exhibet Joannes Boivin in Annotationibus ad Nicephorum Gregoram lib. 19. pag. 65. & 66. editionis Venetæ.

(7) Integrum Euſebii locum habes ſuperiore capite XVIII. Interrogat. 2.

pium ſcriptorem ſuæ ferme ætatis, niſi legiſſet in ſcriptis ejus id, quod aſſerebat. Inſuper Caſaubonus ipſe, quem ducem ſequuntur imaginis Chri-
Pag. 258. ſti Edeſſenæ oppugnatores, Exercitat. 13. §. 31. fatetur, Procopii librum ſecundum rerum Perſarum mutilum eſſe, & *finem* Edeſſenæ *obſidionis hodie deſiderari*. Quidni igitur mutilus ſit etiam liber quartus Gothicorum, & mentio illius imaginis deſideretur? Nam quod addunt, Gregorium II. Joannem Damaſcenum, & Concilium Nicænum II. meminiſſe tantum imaginis Chriſti Edeſſenæ, nullam autem rationem rei probandæ cauſſa attuliſſe, id nullo negotio excluditur. Non enim neceſſum eſt in hiſtoria probare ſingula facta rationibus Dialecticorum more concluſis, præſertim ſi nota ſint Traditione majorum, cujuſmodi erat Chriſti imago Edeſſena. Vides hinc adverſariorum argumenta infirma eſſe ad probabilis hujus hiſtoriæ fidem penitus convellendam. (8)

4. *Ce-*

(8) Veteres criminationes, quibus in Edeſſenam Imaginem uſus eſt Hyacinthus Serry exercitatione 46. §. 9. ſecutus Caſaubonum exercitat. 13. §. 31. luculenter confutavit Auguſtinus Calcagninus de imagine Edeſſena, obſervatione 2. & 3. atque ante hunc Jacobus Gretſerus in Syntagmate de Imaginibus non manu factis cap. 9. pag. 189. Quod Syntagma exſtat etiam cum Codino de Officiis magnæ Eccleſiæ pag. 249. editionis Venetæ.

Quod autem memoratus Theologus Serry in Animadverſionibus Anticriticis cap. 10. pag. 76. queritur, me illi *calumniam impingere*, *dum* illum *Caſauboni in criminanda Edeſſena Chriſti Servatoris imagine ſuccedaneum*, *& pediſſequum dicito*, id obligat fidem meam, ut alterum cum altero conferendo, æquiſſimo legentium judicio miram utriuſque concordiam fideliſſime exponam. Dicit igitur Caſaubonus exercitat. 13. §. 31. pag. 257. *Hiſtoriam de imagine a Chriſto expreſſa*, *& ad Abgarum miſſa*, *falſam eſſe & commentitiam*. Dicit Serry exercitat. 46. §. 9. pag. 315. confictam eſſe a Græcis fabularum avidiſſimis media ætate. *Alterum* (Chri-
ſtum

4. *Cedo nunc hujus imaginis hiſtoriam.*

℞. Cum Abgarus Chriſti imaginem ſuſcepiſſet eo honore, quo proſequi par erat munus ejus, quem

ſtum videlicet expreſſam linteo imaginem ſuam ad Abgarum illius cupidiſſimum tranſmiſiſſe) *nulla veterum auctoritate nititur; ſed a Græcis fabularum avidiſſimis media ætate confictum eſt, ab Evagrio ſcilicet lib. 4. Hiſtor. cap. 26. & Joanne Damaſceno lib. 4. de Fide cap. 17. quibus ſecutis inde temporibus adſtipulatus eſt Nicephorus Calliſtus, qui & fabellam novis pigmentis obduxit, lib. 2. Hiſtor. cap. 7.*

Pergit Caſaubonus: *Primus omnium, qui fecit illius mentionem, eſt, opinor, Evagrius, ſcriptor a fabuloſis narrationibus, ut res arguit, non nimis alienus:* & paulo poſt: *Meminit ejuſdem & Joannes Damaſcenus de Fide Orthodoxa lib. 4. cap. 17.* Serry non opinatur, ſed aſſerit, *a Græcis fabularum avidiſſimis media ætate confictam eſſe, ab Evagrio ſcilicet lib. 4. Hiſtor. cap. 26. & Joanne Damaſceno lib. 4. de Fide cap. 17.*

Caſaubonum, ut commentitiam putet, *movet ſilentium Euſebii, qui poſt epiſtolam a Chriſto miſſam ad Abgarum, nullum inter illos commercium interceſſiſſe oſtendit.* Serry quoque *næniis ac fabellis* ab Evagrio, S. Joanne Damaſceno, ac Nicephoro memoratis *Euſebii Cæſarienſis ſilentium opponit.*

Caſaubonus, *Concilium Nicænum ſecundum*, inquit, *ſi inter tot faceta argumenta, & putidas fabellas, quæ in Actis ejus leguntur, imaginem refert, nihil hoc ad rem: nullum enim argumentum inibi affertur, quo rei veritas probetur.* Serry: *Haud me fugit, tranſmiſſæ hujus a Chriſto Domino ad Abgarum prodigialis imaginis mentionem fieri actione quinta Septimæ Synodi Oecumenicæ*, Nicænæ ſecundæ. *Sed nec illud ignotum, falſa & apocrypha documenta non pauca Septimæ Synodi actis fuiſſe inſerta pro tuenda ſacrarum imaginum cauſſa, quæ ſpongia Eruditorum omnium judicio egeant.*

Quæ cum ita ſint, ſequitur primo, omnia Hyacintho Serry *hac in cauſſa cum Caſaubono fuiſſe communia:* ſequitur deinde, eumdem Serry non feciſſe *Imaginis hujus hiſtoriam dubiam duntaxat*, ſed commentitiam ac fabuloſam: ſequitur tandem, me ad neutrius judicium accedere, cum affirmantem opinionem de Edeſſena Chriſti Domini imagine probabilem voco, & adverſariorum argumenta minus firma ad ejus fidem penitus convellendam eſſe oſtendo.

quem ut Deum colebat, auro ornatam ſupra Urbis ſuæ Edeſſæ portam exponi juſſit, ut ingredientibus ſimul & egredientibus ſpectaculo eſſet, & venerationi, ſub eaque figi auream laminam his inciſam litteris: *Chriſte Deus, qui in te ſperat, a ſpe non excidit*. (9) Ex inſcriptione hac orta fides Edeſſenorum, numquam futurum, ut Urbs ſua ab hoſtibus caperetur: de qua fide meminere Comes Darius, & S. Ephræm, qui quidem exiſtimavit, poſtrema verba epiſtolæ Chriſti ad Abgarum ſignificare, patrocinium Urbis Edeſſæ in perpetuum a Chriſto ſuſceptum. (10) Sed Evagrius lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 27. recte monet, *ea, quæ a Fidelibus jactabantur, Edeſſam numquam in poteſtatem hoſtium venturam eſſe, non legi in ea Epiſtola, quam Chriſtus Deus noſter ad Abgarum miſit, ut ſtudioſi colligere poſſunt ex hiſtoria Euſebii Pamphili, qui Epiſtolam illam iiſdem plane verbis Operi ſuo inſeruit*. (11) Traditio hæc quamvis falſa ad ſextum uſque ſæculum viguit, & ad ipſius Choſroes I. Perſarum Regis aures pervenit, qui re intellecta Edeſſam obſidere conſtituit, ut oſtenderet, vanam eſſe opinionem illam, Edeſſenos invictos fore. Sed pravum conſilium in ipſius

Evagrius loc. cit.

(9) Tradit hæc Conſtantinus Porphyrogenitus in narratione de non manu facta Chriſti imagine Edeſſena apud Surium die 16. Auguſti.

(10) Comes Darius epiſt. 230. alias 263. inter epiſtolas D. Auguſtini §. 5. *Affuit Deus Regi, ſanatus eſt, & amplificato petitionis munere per epiſtolam non modo ſalutem ut ſupplici, ſed etiam ſecuritatem ut Regi tranſmiſit*.

S. Ephræm in Teſtamento pag. 292. tom. 3. *Cujus* (Abgari) *fidem admiratus Dominus mittens eo per nuntios, perpetuo civitati illi benedixit firmans ipſius fundamenta: benedictio illa inhabitans in ea permanebit, donec Sanctus e Cælo apparebit Jeſus Chriſtus filius Dei, & Deus ex Deo*. Lege Auguſtinum Calcagninum obſervatione 8. de imagine Edeſſena.

(11) Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 1. cap. 13. Vide noſtram Hiſtoriam Apoſtolicam in Vita S. Thomæ, Interrogat. 10.

ipſius caput recidit. Nam cum Edeſſam præſidio imaginis Chriſti validam & munitam fruſtra tentaſſet, & exercitus partem amiſiſſet, domum cum ignominia reverti coactus eſt. Edeſſæ fuit imago hæc uſque ad medium ſæculum X. & annum Chriſti 944. quo anno ab Edeſſenis Imperatori Conſtantino VIII. tradita Conſtantinopolim translata eſt, (12) & *in Phari Templo*, ut ait Conſtantinus Porphyrogenitus, *repoſita ad gloriam Fidelium, & cuſtodiam Imperatorum, & ad tutelam totius Civitatis & ſtatus Chriſtianorum*. Translationis dies, qui fuit ſextus decimus Auguſti, quotannis deinde a Græcis rite celebratus. (13) Tandem ſingulari Dei providentia factum eſt, ut Romam Chriſtianæ religionis ſedem ac domicilium perferretur, *ubi hactenus colitur in titulo S. Silveſtri*, ut ait Baronius, qui tamen nec tempus translationis notat, nec occaſionem. Auguſtinus Juſtinianus lib. 4. Annal. Reip. Genuenſ. ad annum 1384. refert, delatam in Italiam ab Leonardo de Montaldo Genuenſium Duce, ei dono datam ab Imperatore Conſtantinopoleos.

Apud Surium die 16. Auguſti & apud Bar. ad an. 994 §. 14.

§. 15.

5. *Se-*

(12) Curopalata apud Baronium ad an. 944. §. 5. *Cum vero Romanorum copiis Edeſſa obſideretur, Edeſſeni malis obſidionis graviter oppreſſi Legatos ad Imperatorem miſerunt, petentes, ut exercitus ab obſidione recederet; ſeque polliciti ſunt pretium daturos ſanctam Chriſti effigiem. Soluta igitur obſidione, tradita eſt imago, & ad regiam Urbem perducta, eam excipiente Imperatore cum ſplendido atque decenti ſatellitio per Regii cubiculi præfectum Theophanem.*

(13) In eorum Menologio ad memoratum diem 16. Auguſti ita legitur: *Commemoratio formæ non manu factæ Domini & Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ex Urbe Edeſſa egreſſæ, in hanc a Deo ſervatam & regiam Urbem deportatæ:* In Menæo autem ita: *Reportatio ex Edeſſa non manu factæ imaginis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſive ſancti Mantilis.* Apud Gretſerum in Syntagmate de imaginibus non manu factis cap. 11. pag. 196. tom. 15.

5. *Secundam imaginem qua occaſione Chriſtus Veronicæ ſudario impreſſit?*

℞. *Habet Chriſtiana traditio*, (14) quamdam feminam Veronicam nomine præbuiſſe Chriſto eunti ad Crucem ſudarium, ſeu lineum capitis ſui velamen, quo ſudorem & ſanguinem e vultu manantem abſtergeret, abſtergentemque Chriſtum in eo vultus ſui imaginem expreſſiſſe. (15) Paullo aliter narrant ſcriptores duo ſæculi duodecimi
Pag. 88. apud Mabillonium tom. 1. Muſei Italici. Referunt enim tamquam acceptum a majoribus, imaginem illam expreſſam a Chriſto nocte, quæ mortem ejus præceſſit, in horto Gethſemani, *quando ſudor ejus factus eſt ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*.

6. *De hac imagine eſt ne memoria oppido antiqua?*

℞. Omnium antiquiſſima eſt; quod quidem invenerim, S. Methodii Tyriorum Epiſcopi, qui exitu ſæculi III. floruit. De ea enim memorat apud Marianum Scotum lib. 2. Chronicorum, ad annum
Pag. 550. Chriſti 39. Petrus quoque Monachus Caſſinenſis, qui anno 1140. ceſſit e vita, in libro MS. de lo-
Pag. 88. cis ſanctis apud Mabillonium tom. 1. Muſei Itali-

(14) Bollandus die 4. Februarii pag. 449. §. 1. num. 1.
(15) *Hæc de Sudario a Chriſto ſanctæ Veronicæ tradito apud Chriſtianos Orthodoxos indubitata ſunt, & a Jacobo Gretſero noſtro tractatu de Imaginibus non manu factis, aliiſque contra rabiem hæreticorum hujus temporis propugnata*. Bollandus 4. Februarii pag. 450. §. 1. num. 4.
Mabillonio, Tillemontio, Papebrochio, & Natali Alexandro *Veronicæ* nomen ortum videtur ex vocabulis duobus *Vera Icon*, hoc eſt *vera imago*. Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 31. num. 14.

lici de eadem imagine mentionem facit. Aliorum Scriptorum & Pontificum teſtimonia, quæ ſunt apud Gretſerum in ſyntagmate de imaginibus non manu factis cap. 17. & apud Auguſtinum Calcagninum de imagine Edeſſena obſervat. 27. recitare nihil attinet: quandoquidem ipſa *effigies Chriſti, quam Veronicæ in Sudario dediſſe, traditio eſt, etiamnum Romæ exſtat, tanta in veneratione, ut de illa dubitare poſthac, non modo miracula non permittant, ſed nec aſpectus ipſe*. (16)

7. Sunt ne qui rejiciant imaginem hanc?

℞. Rejicit Hyacinthus Serry exercitat. 53. §.4. Negat enim ullam in iis mulieribus, quæ Chriſtum comitarentur, *Veronicam* nomine exſtitiſſe, totamque ejus facti hiſtoriam his verbis infirmat. *Silentium facti hujus altiſſimum eſt, non modo in Evangelio, verum etiam apud omnes Eccleſiæ Patres, vetereſque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tractatores, imo & apud omnes mediæ ætatis Scriptores. Primus omnium eam nobis Hiſtoriam prodidit Marianus Scotus in Chronico, Auctor lubricæ fidei, eruditionis exiguæ, recentis ætatis: quippe qui cadente duntaxat undecimo ſæculo ſcripſit. Laudat ille quidem Methodium quemdam, ex quo ſuam illam Hiſtoriam hauſerit: at quis ille, cujuſve ætatis fuerit, ignoratur. Certe non fuiſſe illum Magnum Methodium Tyriorum*

(16) Jacobus Pamelius in Apologeticum Tertulliani cap. 12. num. 184. pag. 93.

Bzovius ad an. 1216. §. 17. *In veneratione apud fideles ſemper fuiſſe, conſtans fama eſt* Methodio, Sigeberto, Mariano Scoto, Conſtantino Porphyrogenito in oratione apud Lippomanum tom. 6. Jacobo Philippo Bergomate, Polydoro Virgilio, Mutio Juſtinopolitano, Petro Galeſio, Daniele Mallonio, Viguerio, Chriſtiano Adricomio; Matthæo Spembergem, *& præſertim in Eccleſia Ambroſiana in Officio divino in lectionibus, ut fertur, a S. Ambroſio ſcriptis*.

rum Epiſcopum, *res illa probat vel maxime*, *quod nihil hujuſmodi in ejus ſcriptis legere ſit*: *fabulaſque ex ſuo illo Methodio venditet Scotus*, *quas notæ Sanctitatis*, *& eruditionis Epiſcopo nemo tribuerit*. (17)

8. *Allatæ rationes quomodo confutantur?*

℞. Primam jam confutavit Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 97. diſputans contra Calvinum his verbis: *Quanta Calvini cæcitas & ſtupiditas eſt hunc in modum argumentari*: Evangeliſtæ de Veronica & imagine Chriſti in linteo delineata nihil memoriæ prodiderunt: igitur quod de hac re traditur, & creditur jam ab antiquis temporibus, falſum eſt & commentitium: *Quanta*, *inquam*, *cæcitas eſt*, *hujuſmodi argumento adverſarios velle premere*, *cum Evangeliſta Joannes elata voce clamet*, Cap. XXI. 25. *multa alia ſupereſſe*, *quæ fecerit Jeſus*, *quæque ſi lit-*

(17) Idem ſubjicit: *Tota retro antiquitate* Veronicæ *nomen ignotum eſt*. *Unde & illi ipſi*, *qui primi Hiſtoriam hanc retulere ſæculo duodecimo*, *piam illam*, *religioſamque mulierem*, *alii quidem* Venicem, *alii* Veronicem, *nonnulli* Berenicem *appellant*: *unde poſtmodum per depravationem* Veronica *dicta eſt*. *Depravationem illam nominis aliunde natam exiſtimant viri eruditi*, *quibus aſſentior maxime*: *quod nimirum*, *ut primum pingi cœpit pia mulier Chriſti faciem ſudario impreſſam manibus geſtans*, Veronica *dicta ſit facies ipſa ſudario impreſſa*: Veronica *enim idem Græce ſonat*, *ac* vera imago: *ignari autem*, *quorum infinitus eſt numerus*, Veronicam *nomen eſſe exiſtimarunt non imaginis ſudario impreſſæ*, *ſed mulieris geſtantis imaginem*. *Hinc orta* Sancta Veronica, *quæ numquam in Cœlo*, *imo & numquam ſub Cœlo fuit*, *quamvis in nonnullis Martyrologiis locum invenerit*.

Hæc aperte oſtendunt id, quod ego jam dixi ab eo negari, non *in incerto duntaxat relinqui*, ut contendit in Animadverſionibus Anticriticis cap. 11. pag. 81. in piis illis, religioſiſque mulieribus, quæ Chriſtum ad ſupplicii locum comitabantur, ullam fuiſſe *Veronicam* nomine, ideoque Hiſtoriam illam totam rejici, qua dicitur Chriſtus proficiſcens ad mortem, impreſſam ſudario *Veronicæ* vultus ſui imaginem eidem *Veronicæ* tradidiſſe.

litteris mandarentur, non tantum quatuor Evangeliſtarum voluminibus, ſed ne longe pluribus quidem includi, & comprehendi poſſent! Eamdem rationem refellit etiam in Syntagmate de Imaginibus non manu factis cap. 16. adverſus Calvini aſſeclam Hoſpinianum hoc modo: *Reſpondeo, ſanctum Lucam generatim ita loqui cap.* 23. Sequebatur autem eum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. *An ex hac turba mulierum flentium & lamentantium ulla nominatim deſignatur? Nulla prorſus: ita ut nihil prorſus cauſſæ ſit, cur Veronica ab hac innominata turba excludatur. Sanctus Matthæus cap.* 27. *ita ſcribit:* Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ ſecutæ erant Jeſum a Galilæa, miniſtrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joſeph mater, & mater filiorum Zebedæi. *Aliquot hic nominatim exprimuntur, & tamen multæ fuerunt: cur inter has multas non poteſt eſſe Veronica?* (18) Idem Gretſerus in eodem Syntag- Pag. 201. tom. 15.

(18) Duplex eſt *negativi* argumenti genus: alterum *pure negativum*, alterum, quod *poſitivi* aliquid habet admixtum. Argumentum *pure negativum* eſt, ſi E. G. dicatur: *Nemo ante Martinum Polonum ſæculi XIII. ſcriptorem meminit Joannæ Papiſſæ, quæ ſæculo IX. vixerit: ergo hæc fabula emerſit ævo Martini Poloni.* Argumentum vero *negativum cum poſitivo mixtum* eſt, ſi dicatur: *Nemo ante Martinum Polonum meminit Joannæ Papiſſæ, omneſque auctores æquales, ſuppares, & poſteriores uſque ad Martinum Polonum ſtatim poſt Leonem IV. ſtatuunt Benedictum III. non vero Joannam: ergo hoc monſtrum antiquius non eſt Martino Polono.* Atque ex hoc quidem poſteriore argumentandi genere concludi aliquid poteſt, ex illo priore non poteſt. Siquidem *ne in praxi argumenti mere negativi fallamur, neceſſum eſt, nedum ſingulos evolviſſe ſcriptores, ex quorum ſilentio tale argumentum eruitur, ſed inſuper nullatenus ambigere, num aliqui nobis deſint, qui fuerint ipſis contemporanei. Contingere namque poteſt, quod Auctor, cujus ſcripta ad nos uſque minime devenerint, rei alicujus mentionem fecerit, quæ tamen a ceteris fuerit prætermiſ-*

Digitized by Google

tagmate cap. 9. confutavit etiam ſecundam, allatam a Caſaubono viro pariter Heterodoxo, rejiciente paullo ante memoratam imaginem Chriſti Edeſſenam, quod ſancti Patres nihil de ea loquerentur: *Futilis objectio*, inquit, *quaſi vero plurium auctorum monumenta non perierint*. Tertia ratio propria eſt ipſius Hyacinthi Serry. Negat enim, Methodium, quem laudat Scotus, eſſe illum Magnum Methodium Tyri Epiſcopum: *quod nihil hujuſmodi in ipſius ſcriptis legere ſit*. (19) Sed hæc quoque facili negotio labefactatur. Nam & auctores præſtantiſſimi (20) ajunt conſtanter, quod Serry negat; & ex eo, quod in Methodii ſcriptis nihil de imagine Veronicæ legatur, conclu-

Pag. 191.

miſſa. Preterea manifeſta quadam ratione certi ſimus oportet, quod nihil de iis, quæ evenerunt in materia, de qua agitur, Scriptorum illius ævi, qui nobis ſuperſunt, ſolertiam præterierit. At quis eſt, quantumvis eruditus, cui hæc omnia cognita ſint? Ita docent Joannes Mabillonius de ſtudiis Monaſticis part. 2. cap. 13. Juſtus Fontaninus de Corona Ferrea Langobardorum cap. 8. & Honoratus a S. Maria tom. 1. Animadverſionum in regulas, & uſum Critices diſſertat. 3. art. 2. Itaque ex argumento Hyacinthi Serry parum, atque adeo nihil efficitur, cum ſit *pure negativum*. Ideo enim rejicit Veronicæ imaginis hiſtoriam, quod *ſilentium facti hujus altiſſimum eſt, non modo in Evangelio, verum etiam apud omnes Eccleſiæ Patres, vetereſque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tractatores, imo & apud omnes mediæ ætatis Scriptores*. Lege Diſputationem noſtram 14. & 18. ex iis, quas ſcripſimus ad Vitas Pontificum Romanorum.

(19) Miror, eumdem Serry in Animadverſionibus Anticriticis cap. 11. pag. 84. tantopere obſtupeſcere, quod *hanc rejiciendæ Scoticæ narrationis rationem, ejus propriam eſſe* dixerim. Cujus enim illam eſſe putarem, cum ille nominatim appellet neminem, unde accepit? Utinam nominaſſet Scriptores omnes, quicumque aliquam ſymbolam contulerunt, eorumque ſententiam poſuiſſet fide integra. Jam nulla eſſet cauſſa, cur ego illi tribuerem aliquando, quod ſuum non eſt, nulla, cur ille toties de me quereretur, aliis intactis & inultis ſe unum refelli.

(20) *Methodius Olympi & Pataræ maritimarum Lyciæ urbium,*

cludi quidquam non poteſt, quandoquidem nunc ſuperſunt tantum fragmenta aliqua, ut docet Gulielmus Cave in Hiſtoria Litteraria, & Caſimirus Oudinus in Commentario de Scriptoribus Eccleſiaſticis. (21) Nec illud omnino concedendum, *primum omnium eam nobis hiſtoriam prodidiſſe Marianum Scotum in Chronico*, quandoquidem Pag. 96. Pag. 301. tom. 1.

S me-

bium, ac poſtea Tyri Epiſcopus in Chalcide Græciæ martyrio coronatus..... in aliquo opuſculo hiſtoriam imaginis Chriſti a Veronica velo exceptæ, ac Romam delatæ expoſuit. Henſchenius apud Bollandum 4. Februarii pag. 450. num. 6. Baronius ad an. 34. §. 138. Gretſerus de Imaginibus non manu factis cap. 16. Cornelius a Lapide in Matth. cap. XXVII. 32. Simon Majolus in Hiſtoria totius Orbis, omniumque temporum pro defenſione ſanctarum imaginum cent. 1. Quareſmius in Elucidatione Hiſtorica, Theologica, & Morali Terræ Sanctæ lib. 4. cap. 14. & Honoratus a S. Maria tom. 2. Animadverſionum in regulas & uſum Critices lib. 4. diſſert. 8. art. 1. qui quidem opinionem ſuam roborat conjectura hac. Inter ſcriptores Eccleſiaſticos, referente Gulielmo Cave in Hiſtoria Litteraria, Methodii tres reperiuntur. Unus Monachus Conſtantinopolitanus, qui medio circiter ſæculo tertio decimo floruit, ex quo nihil excerpere potuit Marianus Scotus ſæculi undecimi Hiſtoricus. Alius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui medio ferme ſæculo nono obiit, ex quo hauſiſſe Marianum Scotum ea, quæ memorat de Veronica, credendum non eſt. Nulla enim hujus rei mentio invenitur in ejus operibus, quæ ſuperſunt omnia. Tertius eſt S. Methodius Tyriorum Epiſcopus, cujus fragmenta aliqua nobis ſervarunt ſcriptores, qui poſtea floruernnt. Potuit igitur etiam Marianus Scotus, quemadmodum alii alia, ex ejuſdem Methodii ſcriptis teſtimonium ſumere de Veronica.

(21) Honoratus a S. Maria tom. 2. Animadverſionum in regulas & uſum Critices lib. 4. diſſertat. 8. art. 1. pag. 588. & 589. *Tillemontius conatur infirmare hoc* (Methodii) *teſtimonium aſſerens*, hoc eſſe injurioſum huic Sancto martyri, ei attribuere fabulas, quas Marianus Scotus ex S. Methodio memorat. Ad id cognoſcendum ſatis eſſe, *addit*, locum ipſum legere. *Quamquam ego hanc narrationem non defendo, id tamen animadverto, Tillemontium rationem facilem inveniſſe, qua ſe ab auctoritate, qua implicabatur, expediret, ac neceſſitatem afferendæ probationis effugeret*.

meminit de ea Conſtantinus Porphyrogenitus, qui integro amplius ſæculo vixit ante Marianum Scotum. (22) Multo autem minus illud concedendum eſt, eumdem Marianum Scotum eſſe auctorem *lubricæ fidei*, *eruditionis exiguæ*. Etenim a Trithemio dicitur *vir in divinis Scripturis eruditus*, *& ſæcularium ſcripturarum non ignarus*, *hiſtoriographus & computiſta inſignis*: a Sigeberto commendatur, *quod ſcripſerit Chronicam a nativitate Chriſti uſque ad annum nati Chriſti milleſimum octogeſimum ſecundum mira ſubtilitate oſtendens errorem priorum Chronographorum ita ponentium nativitatem Chriſti*, *ut annus paſſionis ejus non concordet veritati Evangelicæ*: & a Voſſio ipſo fide dignus habetur, & in eo valde utilis, *quod*, *cum ſuo ævo meliores habuerit codices*, *quam hodie ſuperſint*, *non pauca ex eo in Euſebio*, *Caſſiodoro*, *atque item Beda poſſunt emendari*. (23)

9. *Quando Romam translata eſt?*

℟. Tempore Tiberii Imperatoris imago Veronicæ ſudario impreſſa Romam translata eſt. Nam S. Methodius, quem ſupra nominavi, apud Marianum Scotum ad an. Ch. 39 narrat, Tiberium, auditis miraculis, quæ a Chriſto in Judæa perpetrabantur, legatos ad eum miſiſſe orantes, ut Romam veniens moleſtiſſimum morbi genus, quo Imperator affligebatur, depelleret. Hieroſolymam cum perveniſſent, eos didiciſſe, Chriſtum a Pilato jam morti addictum, ſed ad vitam, ex qua

(22) Apud Honoratum a Sancta Maria tom. 2. Animadverſionum in regulas & uſum Critices lib. 4. diſſertat. 8. art. 1. pag. 500.

(23) Sigebertus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 159. Trithemius pariter de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 340. Exſtat uterque in Bibliotheca Eccleſiaſtica Joannis Alberti Fabricii. Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. 2. cap. 47.

qua moriens deceſſerat, rediiſſe; ejuſque imaginem ſervari a matrona quadam, cui *Veronicæ* nomen. Hanc ab iis conventam, & Romam ad Imperatorem adductam, qui, Chriſto per illam imaginem virtutem & præſentiam ſuam declarante, a lepra ſanatus eſt. Petrus etiam Monachus Caſſinenſis in libro MS. de locis ſanctis apud Mabillonium tom. 1. Muſei Italici ita ſcribit: *Sudarium vero, cum quo Chriſtus faciem ſuam exſterſit, quod ab aliis* Veronica *dicitur, tempore Tiberii Cæſaris Romam delatum eſt*. Præterea hujus imaginis ſub Tiberio Romam translatæ hiſtoria continetur etiam in libello MS. qui referente Baronio ad an. 34. §. 138. *aſſervatur in Vaticana Bibliotheca*. Imago autem hæc *Veronica* dicta, nunc in Æde S. Petri religioſe cuſtoditur. Pag. 88.

10. *Quid demum narras de ſacra Sindone?*

℞. Mos erat apud Hebræos, mortuos ſindone involutos & faſciis ligatos ſepelire. Id patet ex hiſtoria Lazari, quam refert S. Joannes cap. XI. 44. *Prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata*. Iſto prorſus modo Chriſtum ſepelierunt Joſephus ab Arimathæa, & Nicodemus. De Joſepho ita narrat Matthæus cap. XXVII. 59. *Et accepto corpore, involvit illud in ſindone munda*: de utroque Joannes cap. XIX. 40. *Acceperunt corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire*. Hinc Petrus poſt Chriſti reſurrectionem ingreſſus ſepulcrum, ut ait idem Joannes cap. XX. 6. 7. *vidit linteamina poſita* (nimirum ſindonem, & faſcias) *& ſudarium, quod fuerat ſuper caput ejus*. Itaque Sindon, lineum involucrum corporis Chriſti, imaginem ejuſdem corporis exhibet partim ſanguine, partim liquo-

re aromatum & unguentorum, quibus pollinctum fuerat, expreſſam. Lini, ex quo conſtat, materies ſatis craſſa apparet. Longa fertur pedes duodecim, & tres lata. Ejus media pars ita ſubſtrata fuit Chriſti corpori ſuperimpoſito, ut reliqua a capite ad pedes rejecta totum corpus contegeret. Hieroſolymis diu cuſtodita, inde Camberiacum in Sabaudia delata eſt, & in ſacello magnificentiſſime extructo poſita, atque inde demum translata Auguſtam Taurinorum, (24) ubi nunc magna Fidelium pietate colitur. Sindonem hanc ipſiſſimam eſſe, in qua Chriſtus Dominus involutus fuit, teſtantur Pontifices ſummi Paulus II. Sixtus IV. Julius II. & Clemens VII. Et quidem Sixtus IV. anno 1480. decrevit, ſacelli honore decorandam, & *in quodam tractatu, quem compoſuit de ipſo ſanguine*, *affirmat*, in ea *ipſius Jeſu Chriſti verum ſanguinem & imaginem conſpici*, ut eſt in diplomate Julii II. apud Raynaldum ad an. 1506. §. 44. Ipſe autem Julius II. deceſſoris ſui ſententiam confirmans ſtatuit, quemadmodum Crucem, *in qua Chriſtus pependit*, ita *ipſam Sindonem, in qua ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus in monumento poſitus involutus fuit... in qua reliquiæ humanitatis Chriſti, quam divinitas ſibi copulaverat, videlicet ipſius veri ſanguinis, ut præfertur, manifeſte conſpiciuntur, venerari & adorari debere*. Quod præſtitit etiam Clemens VII. ut legitur apud memoratum Raynaldum ad an. 1533. §. 62. mandans Ludovico S. Cæſarei Presbytero Car-

(24) Translatio facta eſt anno 1578. juſſu Ducis Emmanuelis Philiberti. Is enim cognito, S. Carolum Borromæum Archiepiſcopum Mediolanenſem decreviſſe pedibus conferre ſe Camberiacum ad honorem habendum ſacræ Sindoni, mandavit illam transferri Taurinum, ut laborem itineris minueret ſancto viro. Formam itineris accurate deſcripſit Joannes Petrus Juſſanus S. Caroli familiaris in ejus vita lib. 5. cap. 5.

Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato de latere, ut diligenter curaret, ſacram Sindonem ab incendio ſervatam *loco congruenti & honeſto recondi, & cum debita veneratione teneri & cuſtodiri*. Horum tamen Pontificum auctoritatem nihil verentur hæretici, & qui ſequuntur hæreticos. (25)

CAP. XX.

De ſcriptis & dictis Chriſti.

1. *Numquid ſcripſit Chriſtus?*

℟. S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 7. §. 11. *Sed illud prius diſcutiendum eſt*, inquit, *quod ſolet nonnullos movere, cur ipſe Dominus nihil ſcripſerit, ut aliis de illo ſcribentibus neceſſe ſit credere*. Cap. 9. & 10. alia in hanc rem ſubjungit, quæ D. Thomas 3. part. quæſt. 42. art. 4. ita coarctat: *Aliquos Gentiles exiſtimaſſe, Chriſtum quoſdam libros ſcripſiſſe continentes quædam magica, quibus miracula faciebat, quæ diſciplina Chriſtiana condemnat. Et illi tamen, qui Chriſti libros tales ſe legiſſe affirmant, nulla talia faciunt, qualia illum libris talibus feciſſe mirantur. Divino enim judicio ſic errant, ut eoſdem libros ad Petrum & Paulum dicant tamquam epiſtolari titulo prænotatos, eo quod in pluribus locis ſimul eos cum Chriſto pictos viderunt. Nec mirum, ſi a pingentibus fingentes decepti ſunt: toto enim tempore, quo Chriſtus in carne mortali cum ſuis diſcipulis vixit, nondum erat Paulus diſcipulus ejus.*

 2. *Quid*

(25) Joannes Jacobus Chifflетius de linteis ſepulcralibus Chriſti cap. 25. pag. 147. ſecutus Pingonium exiſtimat, *in Sindone Allobrogica*, ſeu Taurinenſi, *non fuiſſe involutum Chriſti corpus in ſepulcro, ſed tantum ante pollincturam, ex quo e Cruce refixum eſt.*

2. *Quid igitur ſentis de epiſtola, quæ fertur a Chriſto ad Abgarum miſſa?*

Bar. ad an. 31. §. 60. & ad an. 43. §. 18. ℟. Eam re vera a Chriſto Domino ſcriptam eſſe, nec ab Auguſtino verbis recitatis tamquam ſuppoſititiam excludi. Etenim Auguſtinus non negat, Chriſtum ſcripſiſſe aliquid familiariter, & per litteras interrogatum reſpondiſſe; ſed affirmat illud unum, nihil ſcripſiſſe, quo geſta & doctrinam ſuam poſteris traderet atque explicaret. Nititur interpretatio hæc teſtimonio D. Hieronymi, qui in cap. 44. Ezechielis affirmat qui- Pag. 478. dem, *Salvatorem nullum volumen doctrinæ ſuæ proprium dereliquiſſe, quod in plerisque Apocryphorum deliramenta confingunt*; nullo autem modo inficiatur, epiſtolas, ſi quando opus eſſet, ab eo ſcriptas fuiſſe. (1).

3. *Evangeliſtæ memorant ne de aliqua ſcriptione Chriſti?*

Cap. VIII. 6. 8. ℟. Unus Joannes narrans hiſtoriam mulieris adulteræ memorat, Chriſtum bis ſcripſiſſe in terra. *Jeſus autem inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra*. Et paucis interjectis: *Iterum ſe inclinans ſcribebat in terra*. (2) Quid autem ſcripſerit, non licet pro certo affirmare. S. Hieronymus

(1) Vide Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam in S. Thoma Interrogatione 11. & ſequentib. ubi probatum eſt, veram eſſe Epiſtolam a Chriſto ad Abgarum ſcriptam, & reſponſum argumentis adverſariorum. Vide inſuper Joannis Alberti Fabricii Codicem Apocryphum Novi Teſtamenti pag. 303. ubi agit *De ſcriptis, quæ ad Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum tamquam auctorem relata ſunt*.

(2) Synopſis Criticorum in locum citatum Joannis pag. 1249. Scribebat in terra) *In pulvere in pavimento Templi characteres non permanentes formans, ſed ſuperficie tenus delineans*.

mus lib. 2. contra Pelagianos cap. 6. exiſtimat, Pag. 586.
ſcripſiſſe *eorum, qui accuſabant, & omnium pecca-
ta mortalium, ſecundum quod ſcriptum eſt in Pro-
pheta:* Relinquentes autem te in terra ſcribentur. Jer.
S. Ambroſius epiſt. 25. §. 4. *Quid*, ait, *ſcribebat*, XVII. 13.
niſi illud propheticum: Terra terra ſcribe hos vi- Pag. 893.
ros abdicatos? Et epiſt. 26. §. 13. cenſet, ſcripſiſ- Pag. 896.
ſe verba hæc: *Feſtucam, quæ in oculo eſt fratris
tui, vides; trabem autem, quæ in oculo tuo eſt,
non vides*. Sed alii alia opinantur. (3)

4. *Eſt ne aliquod Chriſti dictum, quod reperiatur in aliis Canonicis libris, quam in Evangeliis?*

℟. Eſt hoc unum, quod Paulus apud Lucam in Actis Apoſtolorum Cap. XX. 35. recitat: *Beatius eſt magis dare, quam accipere. Melius enim eſt habere, quam egere*, ut addit S. Auguſtinus lib. 2. contra Maximinum cap. 14. §. 7. Ceterum idem Paulus epiſt. 1. ad Corinthios cap. XI. 24. 25. nonnulla Chriſti verba ad inſtitutionem Euchariſtiæ pertinentia refert, quæ apud Evangeliſtas non reperiuntur.

(3) Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ pag. 125. *Beda putat, eum ſemel atque iterum ſcripſiſſe eamdem illam ſententiam, quam tunc ore protulerat, nempe*, Qui ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat, *ac ſi diceret*, Puniatur, ſed non a prævaricatoribus Legis. *Haymo exiſtimat, eum notas quaſdam in ſolo delineaſſe, quibus quiſque accuſantium ſuis oculis propria conſpiciebat ſcelera, & menti objecta cernebat. Euthymius, qui ſolus de Græcis mulieris adulteræ hiſtoriam explanavit, nihil arbitratur ſcriptum a Chriſto, ſed duntaxat ab eo ſimulatum ſcriptionis geſtum & actionem, quod frequenter facere ſolent, qui reſpondere nolunt importuna indignaque rogantibus. Cognita enim illorum machinatione, fingebat, ſe in terra ſcribere, nec his attendere, quæ dicebantur, ut, dum ipſe in eos non reſpiceret, erubeſcerent levius redarguti, utque ita in ſcribendo occupato, liceret eis ſenſim abſcedere, antequam manifeſtius condemnarentur. Nam ſua ſumma benignitate etiam ipſis parcebat.*

5. *Sunt ne etiam apud ſanctos Patres dicta aliqua Chriſti haud Evangelica?*

℞. Sunt hæc: apud S. Clementem Romanum epiſt. 2. ad Corinthios cap. 4. *Si fueritis mecum congregati in ſinu meo, & non feceritis mandata mea, abjiciam vos, & dicam vobis: diſcedite a me, neſcio vos, unde ſitis, operarii iniquitatis:* Item cap. 12. *Interrogatus a quodam ipſe Dominus, quando venturum eſſet regnum ejus, dixit:* Cum duo erunt unum, & quod foris ut quod intus, & maſculum cum femina neque mas neque femina: (4) apud S. Irenæum lib. I. adverſus hæreſes cap. 17. *Sæpius concupivi audire unum ex ſermonibus iſtis, & non habui, qui diceret mihi:* a-
Pag. 143. pud S. Juſtinum in Dialogo cum Tryphone Judæo §. 47. *In quibus vos deprehendero, in his & judicabo:* apud S. Clementem Alexandrinum lib. 1. Strom. pag. 346. *Petite magna, & parva vobis adjicientur.* (5) apud Origenem commentariis in Mat-

(4) Idem S. Clemens ſtatim addit: *Duo autem ſunt unum: quando alter ad alterum loquemur veritatem, & in duobus corporibus abſque ſimulatione fuerit una anima.* Et quod foris ut quod intus *hoc ait: animam vocat* quod intus, & *corpus* quod foris. *Quo modo igitur corpus tuum conſpicuum eſt: ita & anima tua manifeſta ſit in bonis operibus.* Et maſculum cum femina neque mas neque femina; *hoc...* Reliqua deſiderantur. Supplentur autem ex tertio Stromate Clementis Alexandrini a Gottifredo Vendelino apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 187. in hunc modum: *hoc dicit: Animum* (θυμὸν) *ejuſque impetum vocat* maſculum: *concupiſcentiam* (ἐπιθυμίαν) *intelligit* feminam. *Cum igitur quis neque animo, neque concupiſcentiæ obſequitur (quæ quidem utraque & conſuetudine & prava educatione invaleſcente obnubilant atque obſcurant rationem) ſed potius depulſa caligine hinc oborta, pudore ſuffuſus per pœnitentiam ſpiritum & animam unierit in obedientia rationis:* Tunc, *ut ait Paulus,* non ineſt nobis mas, nec femina.

Matthæum pag. 308. *Propter infirmos infirmus fui, & propter eſurientes eſurii, & propter ſitientes ſitii*: apud S. Hieronymum extrema epiſtola ad Minervium & Alexandrum: *Eſtote probati nummularii*. (6) Præterea iidem, atque alii veteres Patres alia Chriſti dicta referunt, ex Apocryphis Evangeliis ſecundum Hebræos, & ſecundum Ægyptios deſumta, quæ in unum collegit Joannes Erneſtus Grabius tom. 1. Spicilegii pag. 25. & Joannes Albertus Fabricius in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti part. 1. pag. 321.

C A P. XXI.

De Scriptoribus profanis, qui de Chriſto meminerunt.

1. *Quinam ſunt præcipui ex profanis Scriptoribus, apud quos Chriſti mentio eſt?*

℟. SUnt hi: Suetonius Tranquillus, Cornelius Tacitus, Ælius Lampridius. Suetonius in Claudio cap. 25. *Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit*. (1) Tacitus in Annalibus lib. 15. cap. 44. *Ergo abolendo rumori Nero ſub-*

Bar. ad an. 51. §. 1.

(5) Recitatis verbis hæc addit Origenes in libro de Oratione §. 2. *& petite cæleſtia, & terrena vobis adjicientur*. Quibus ſimilia habes apud Matthæum cap. VI. 33.

(6) Conſentiunt Joannes Caſſianus Collat. 1. cap. 20. *Efficiamur ſecundum præceptum Domini, probabiles trapezitæ*. Origenes tom. 19. in Joan. ad cap. 8. ver. 20. *Servantibus illud Jeſu mandatum, Eſtote probi trapezitæ*. Chryſoſtomus ſerm. 63. Cur in Pentecoſte legantur Acta pag. 833. tom. 5. *Socrates* lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 16. pag. 155. Vide Cotelerium in Conſtitut. Apoſt. lib. 2. cap. 36. annotat. 8. pag. 249. & Gazæum annotat. in citatum locum Caſſiani.

(1) Ethnici ignari rerum noſtrarum Chriſtum *Chreſtum*, &

ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos vulgus Chriſtianos appellat. Auctor nominis ejus Chriſtus, Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Lampridius in Alexandro Severo cap. 29. *Uſus vivendi eidem hic fuit. Primum ut, ſi facultas eſſet, id eſt non cum uxore cubuiſſet, matutinis horis in larario ſuo (in quo & Divos principes, ſed optimos electos, & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham, & Orpheum, & hujuſmodi Deos habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat.* Et cap. 43. *Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere.* (2) *Quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri: quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur* Hadria-

& Chriſtianos *Chreſtianos* vocabant. Tertullianus Apologetici cap 3. *Sed & cum perperam Chreſtianus pronuntiatur a vobis (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos) de ſuavitate vel benignitate compoſitum eſt.* Lactantius lib. 4. Divinarum inſtitutionum cap. 7. *Sed exponenda hujus nominis ratio eſt propter ignorantium errorem, qui eum immutata littera Chreſtum ſolent dicere.* Nimirum nomen Salvatoris deducebant a voce Græca χρηστὸς, *utilis, bonus, benignus,* non a χριστὸς, *unctus*, quod nomen honoris & officii nomini Jeſu additum eſt. Quare S. Juſtinus Apologia 1. §. 4. pag. 45. Χριστιανοὶ (al. χρηστιανοὶ) γὰρ εἶναι κατηγορούμεθα. τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον: *Chriſtiani enim eſſe accuſamur: utile autem odiſſe, non juſtum.* Vide annotat. Monachi S. Mauri in hunc locum, Baronium ad an. 43. §. 13. Calmetum in Act. Apoſt. cap. XVIII. 2. pag. 969. tom. 7. & Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam in S. Petro, annotation. 54.

(2) Philippus Camerarius centuria I. Horarum ſubciſivarum, ſive meditationum hiſtoricarum cap. 98. *Ferunt hoc dicto Chriſti Servatoris noſtri:* Omnia quæcumque volueritis, ut faciant vobis homines, hoc itidem facite eis, *Marcum Aurelium Severum Alexandrum Juliæ Mameæ Auguſtæ vel Chriſtianæ, vel Chriſtianorum patronæ filium ita delectatum fuiſſe, ut id in Palatio, & publicis operibus perſcribi juſſerit.* Vide Lampridium loc. cit. cap. 51.

driani, *quæ ille ad hoc* (ut ea Chriſto dedicaret) *paraſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra repererant, omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & templa reliqua deſerenda*.

2. *Nonne ante hos de Chriſto ſcripſit Pilatus?*

℞. Ita eſt. Conſtat, Tiberium Cæſarem de rebus a Chriſto geſtis per litteras admonitum a Pilato. *Quoniam*, ut ait Euſebius lib. 2. cap. 2. *vetus hæc erat conſuetudo provinciarum rectoribus, ut quidquid novi apud ipſos contigiſſet, Imperatori nuntiarent, ne quid ipſum lateret*: (3) *Pilatus de Reſurrectione Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cujus per univerſam Palæſtinam celebris erat fama, ad Tiberium Principem retulit: multa quoque alia ejuſdem miracula ſe auditu accepiſſe ſignificans, & qualiter ad vitam denuo revocatus, a pleriſque jam Deus haberetur. Ac Tiberium quidem rem ad Senatum retuliſſe perhibent, ſed Senatum ejuſmodi relationem aſpernatum eſſe: ſpecie quidem eo quod Senatus auctoritas ad id non expectata videbatur, cum tamen vetus lex eſſet apud Romanos, ne quis abſque decreto Senatus pro Deo haberetur: re autem ipſa eo quod ſalutaris divina doctrinæ prædicatio auctoritate, & auxilio hominum minime indigeret. Cum igitur Senatus relationem de Servatore noſtro ita, ut dictum eſt, repudiaſſet, Tiberius tamen in priſtina ſententia perſeverans, nihil adverſus doctrinam Chriſti durius molitus eſſe dicitur. Hæc Tertullianus vir legum Romanarum peritiſſimus, & inter Latinos ſcriptores celeberrimus, in Apologia ab ipſo quidem Latine conſcripta, poſtea vero in Græcum ſermonem tran-*

Bar. ad an. 34. §. 219.

(3) Juxta morem hunc Plinius junior epiſt. 97. libri 10. res in Bithynia geſtas refert ad Trajanum, eumque conſultat, quid agat de Chriſtianis, quorum numerus mirifice in dies augebatur.

translata, *prodit his verbis:* quæ ſubjicere juvat, ut Latine habentur cap. 5. Apolog. *Vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi a Senatu probatus. Scit M. Æmilius de Deo ſuo Alburno. Facit & hoc ad cauſſam noſtram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo jam Deo propitius eſſe debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſæculum intravit, annuntiata ſibi ex Syria Palæſtinæ, quæ illic veritatem iſtius divinitatis revelaverant, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia non in ſe probaverat, reſpuit.* (4) *Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Idem cap. 21. ubi de Chriſti Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione, deque diſcipulis ab eo

(4) Hic rationem reddit Tertullianus, quare Senatus recuſaverit habere Chriſtum in numero Deorum. Nimirum quia Tiberius divinitatem ſibi oblatam rejecerat.

Aliam rationem affert S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 17. & 18. §. 25. & 26. *Cur eum colendum non receperint, ſicut aliarum gentium Deos, quas Romanum ſubegit Imperium, præſertim cum eorum ſententia ſit, omnes Deos colendos eſſe ſapienti? Cur ergo a numero ceterorum iſte rejectus eſt? .... Nihil ergo reſtat, ut dicant, cur hujus Dei ſacra recipere noluerint, niſi quia ſolum ſe coli voluerit, illos autem Deos gentium, quos iſti jam colebant, coli prohibuerit... Socratis enim ſententia eſt, unumquemque Deum ſic coli oportere, quomodo ſe ipſe colendum præceperit. Proinde iſta ſumma neceſſitas facta eſt non colendi Deum Hebræorum, quia ſi alio modo eum colere vellent, quam ſe colendum ipſe dixiſſet, non utique illum colerent, ſed quod ipſi finxiſſent: ſi autem illo modo vellent, quo ipſe diceret, alios ſibi colendos non eſſe cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc reſpuerunt unius veri Dei cultum, ne multos falſos oſtenderent.*

S. Chryſoſtomus hom. 26. in Epiſt. 2. ad Corinthios pag. 928. *Hoc porro vel invitis ipſis ita divinitus procurabatur, ut ne humanis ſuffragiis atque ſententiis Chriſti divinitas promulgaretur, atque unus e multis illis ipſe eſſe cenſeretur, qui ab ipſis creati ac deſignati fuerant.*

Digitized by Google

eo doctis, quæ docerent, ſermonem habuit, ita ſubjungit: *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nuntiavit: ſed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares*. Hinc patet, Tertulliano perſpectum atque exploratum fuiſſe, relationem a Pilato ad Tiberium miſſam. Non modo autem ex Pilati epiſtola Tiberius didicit, quid Chriſtus in Judæa geſſerit, quidve paſſus fuerit; ſed etiam ex Actis publicis ſub Pilato conſcriptis, ad quæ Romanos vocat S. Juſtinus Apologia I. §. 35. *Atque hæc ita geſta eſſe, ex Actis ſub Pontio Pilato confectis diſcere poteſtis*. Pag. 65. Tum non paucis interjectis §. 48. *Quæ quidem ab eo facta eſſe, ex confectis ſub Pontio Pilato Actis diſcere poteſtis*. Pag. 72. Neque S. Chryſoſtomus alienus eſt ab hac opinione. Nam hom. 26. in Epiſt. 2. ad Corinthios hæc habet: *Romanorum Senatus hanc poteſtatem habebat, ut Deos crearet atque conſcriberet. Quippe cum res omnes a Chriſto geſtæ nuntiatæ ſunt, Romam miſit is, qui Judæorum nationi præerat, ſciſcitans ex ipſis, num eum quoque Deum creare placeret. Id vero illi facere recuſarunt, quod iniquo atque infenſo animo ferrent, ante decretum ſuum atque ſententiam, Crucifixi potentiam effulgentem univerſum Orbem ad ſui cultum & venerationem attraxiſſe*. Pag. 928. Id quod placuit etiam Oroſio lib. 7. Hiſtoriarum cap. 4. Gregorio Turonenſi lib. I. Hiſtoriæ Francorum cap. 24. Cedreno in Compendio Hiſtoriarum, & Nicephoro Calliſto lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 8. (5) Pag. 149. & 152.

3. *Exſtat ne Pilati ad Tiberium epiſtola?*

℟. Vera ac legitima non exſtat. Nam tum ea, quam

(5) Lege Lambertinum de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 1.

Digitized by Google

Bibl. Patr. tom. 5. pag. 1211. quam ex Hegeſippi Anacephalæoſi de excidio Urbis Hieroſolymitanæ recitat Baronius ad an. 34. §. 228. tum ea, *cujus exemplum in vetuſtis Bibliothecæ Vaticanæ monumentis repertum* protulit Sixtus Pag. 164. Senenſis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ; tum ea, cujus exemplum *a notatore quodam in antiqua penes ſe pagina cum aliis memoratu dignis hinc inde excerptis ſcriptum invenit circa annum* 1480. atque e- Pag. 112. & 113. didit Florentinius in Martyrologio Hieronymiano, tum denique ea, quam ex Codice 2493. Colbertino emiſit Joannes Albertus Fabricius Part. 3. Codicis Apocryphi Novi Teſtamenti pag. 457. ſcriptis ſuppoſititiis annumerantur: quandoquidem in ſingulis virorum doctiſſimorum judicio aperta ſunt falſitatis indicia.

4. *Sunt ne etiam Pilati Acta ſuppoſita, aut corrupta?*

℞. Corruperunt Acta ſub Pilato conſcripta, vel horum imitatione alia conſcripſerunt tam Hæretici, quam Ethnici. Nam Quartadecimanos futilia quædam Pilati Acta oſtentaſſe, docet S. Epiphanius hær. 50. §. 1. Euſebius vero lib. 9. Hiſt. Eccl. cap. 4. auctor eſt, Ethnicos imperante Diocletiano Acta Pilati nomine confinxiſſe, quæ poſtea Maximinus, utpote referta contumeliis & conviciis in Chriſtum, edi juſſit, ac præcepit, ut Ludimagiſtri ea pueris traderent, & memoriter ab illis addiſcenda curarent. Atque hinc patet, ab his longe diverſa eſſe Acta Pilati, quorum fidem non ſemel implorat S. Juſtinus, ac proinde longe vehementerque falli Tanaquillum Fabrum Miniſtrum Salmurienſem, qui lib. 2. epiſt. 12. ſcripſit, Juſtinum & Tertullianum ea, quæ dicunt, ex Actis Apocryphis deſumſiſſe. (*6*)

5. *Re-*

(*6*) Acta Pilati admittit Gulielmus Cave in Hiſtoria Lit-

5. *Recita nunc Joſephi teſtimonium de Chriſto.*

℞. Joſephi verba, quibus Chriſti Jeſu virtus, prodigia, mors, reditus ad vitam, Prophetarum de eo vaticinia, & conſtans erga illum pietas Chriſtianorum ac fides prædicatur, hæc ſunt: Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς, σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητὴς, διδάσκαλος ἀνθρώπων, τῶν τ' ἀληθῆ σὺν ἡδονῇ δεχομένων. καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ Ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο· ὁ χριστὸς οὗτος ἦν. καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἵγε πρῶτον ἀγαπήσαντες. ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτα καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων· εἰς τε νῦν χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον. Expreſſa ad verbum ita ſe habent. *Fuit autem hoc tempore Jeſus ſapiens vir: ſi quidem virum eum dicere par eſt. Erat enim inexpectatorum operum effector, magiſter hominum & eorum, qui veritatem cum jucunditate exciperent. Et cum multos Judæos, tum multos etiam Græcos ad ſe duxit. Ille Chriſtus hic erat. Et ipſum accuſatione primorum virorum apud nos ad crucem cum damnaſſet Pilatus, non depoſuerunt ii, qui primum eum*

Antiquit. Lib. 18. cap. 4. Bar. ad an. 34. §. 226.

Litteraria ſæculi I. pag. 25. Caſaubonus exercitat. 16. §. 154. pag. 676. *Audiendi*, inquit, *meo judicio non ſunt, qui huic hiſtoriæ fidem abrogant*. Joannes Pearſonius lect. 4. in Act. Apoſt. §. 14. refellit Tanaquillum Fabrum, atque oſtendit, rationes, quibus ille nititur, aut falſas eſſe, aut frivolas & nullius momenti. Ex quo refellas etiam Dupinum, qui tom. 1. Bibliothecæ auctorum Eccleſiaſticorum pag. 24. & in Diſſertatione præliminari ad Biblia lib. 2. cap. 7. §. 3. pag. 119. ejuſdem Tanaquilli conjecturas ſequitur. De Actis Pilati diſſertatio eſt Auguſtini Calmet in Acta Apoſtolorum. pag. 823. tom. 7.

Digitized by Google

eum amaverant, ſuum erga illum amorem. Apparuit enim ipſis tertium habens diem rurſus vivens, cum divini Prophetæ hæc & alia millia admirabilia de ipſo dixiſſent; & uſque adhuc Chriſtianorum ab hoc nominatorum non defecit genus. (7)

6. Quodnam eſt de hoc Joſephi teſtimonio judicium ſapientiſſimorum?

℞. Semper tamquam γνήσιον atque indubium receperunt Scriptores Eccleſiaſtici uſque ad ſæculum XVI. Blondellus omnium primus inſertum fuiſſe exiſtimavit. Hunc ſecutus eſt Tanaquillus Faber, Ludovicus Capellus, Oſiander, Montacutius, Giphanius, & alii ejuſdem ſectæ. Contra vero teſtimonium hoc a Joſepho re vera dictum, ſcriptumque propugnant, & adverſarios refellunt doctiſſimus Huetius Propoſitione 3. Demonſtrationis Evangelicæ §. 11. Valeſius in annotat. ad Hiſtor. Eccl. Euſebii lib. 1. cap. 11. Natalis Alexander in ſextam mundi ætatem diſſertat. 10. Lambecius tom. 8. Bibliothecæ Cæſareæ pag. 4. Pagius ad an. 32. §. 15. Baronius ad an. 34. §. 226. Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Joſepho, Pag. 644. Tillemontius annotat. 40. in ruinam Judæorum tom. 1. Hiſt. Imp. Remigius Ceillier in Hiſtoria Generali Auctorum Sacrorum lib. 3. cap. 7. art. 4.

(7) S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum in Joſepho interpretatus eſt hoc modo pag. 276. *Eodem tempore fuit Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt. Plurimos quoque tam de Judæis, quam de Gentibus ſui habuit ſectatores, & credebatur eſſe Chriſtus. Cumque invidia noſtrorum Principum cruci eum Pilatus addixiſſet, nihilominus qui eum primum dilexerant, perſeveraverunt. Apparuit enim eis tertia die vivens: multa & hæc & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus. Et uſque hodie Chriſtianorum gens ab hoc ſortita vocabulum non defecit.*

4. Lambertinus de Serv. Dei Beatif. & Beat. Ca- Pag. 565.
noniz. lib. 1. cap. 1. num. 9. & de Feſtis Chriſti tom. 1.
part. 1. §. 357. Honoratus Tournely in Prælectio- Pag. 156.
nibus de Incarnatione Verbi divini quæſt. 3. art.
1. aliique complures, quibus addendi ex Hetero- Pag. 101.
doxis Carolus Daubuz, qui id præſtitit libris duobus anno 1706. Londini editis, Gulielmus Cave in Hiſtoria Litteraria ſæc. 1. pag. 22. Uſſerius in Annalibus Novi Teſtamenti pag. 607. multique alii, quos longum eſſet nominare.

7. *Utra ſententia amplectenda?*

℞. Ea, quæ teſtimonium illud Chriſto impartitum eſſe a Joſepho decernit. Etenim retinent illud Codices Operum Joſephi ſive calamo exarati, ſive typis editi. Recipit Euſebius tum lib. 3. Demonſtrationis Evangelicæ cap. 5. tum lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 11. In Latinum tranſtulit probavitque S. Hieronymus in Catalogo Scri-
ptorum Eccleſiaſticorum in Joſepho. Retulit in Bibl.
epiſtolam 225. libri 4. S. Iſidorus Peluſiota, & Patr.
in Chronicon ſuum Freculphus lib. 2. cap. 5. In tom. 14.
Hiſtoriis ſuis comprobarunt Sozomenus lib. 1. cap. pag. 1152.
1. Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum, Nice- Pag. 156.
phorus Calliſtus lib. 1. cap. 39. Suidas in Lexico,
verbo Ἰώσηπος, *Joſephus* : *&* *inde*, ut Auguſtini Contra
verbis utar, *in alios atque alios continuata notitia* Fauſtum
latiuſque formata ad poſteros etiam uſque ad noſtra l. 33. c. 6.
tempora pervenit, quod ſatis eſt ad probandum
cujuslibet ſcriptionis * γνησιότητος. (8) Neque e- * Genuitatem.

T nim

(8) Pro hoc teſtimonio, & contra hoc teſtimonium Joſephi de Chriſto permulta collecta ſunt tom. 2. pag. 103. Operum ejuſdem Joſephi, quæ edita ſunt ſtudio Havercampi anno 1726. Vide etiam Thomam Ittigium in ſelectis capitibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primi ſæculi cap. 7. ſect. 1. §. 19. & ſeqq. Joannem Albertum Fabricium lib. 4. Biblio-

the-

nim ego huc attulerim locum illum S. Joannis Pag. 487. & 488. Chryſoſtomi ex Homilia 5. in Act. Apoſtolorum, ubi manifeſte patet ex toto contextu, non de hoc peculiari Joſephi teſtimonio, ſed de univerſa hiſtoria excidii Hieroſolymitani S. Doctorem verba facere.

8. *Num quid reſtat relatu dignum ex ſcriptoribus profanis?*

Bar. ad an. 34. §. 129. ℟. Illud unum reſtat, quod in Dialogo de defectu Oraculorum apud Plutarchum Cleombrotus narrat his verbis ex Hadriani Turnebi interpretatione: *De Dæmonum porro obitu narrationem quamdam de homine nec ſtulto nec vano accepi. Nam Æmiliani rhetoris, ex quo nonnulli etiam veſtrum hoc audierunt, Epitherſes pater fuit, municeps meus, Grammaticæ profeſſor. Is narrabat, cum aliquando Italiam cogitans navigium conſcendiſſet, quod non ſolum mercium magnam vim, ſed vectorum etiam magnam turbam ferret, ſub veſperam ad Echinadas inſulas penitus flatum ſiluiſſe, navique in ſalo fluitante, & tandem ad Paxas delata, plurimis tum vigilantibus, multis etiam poſt cœnam compotantibus, e Paxis repente vocem auditam eſſe cujuſdam Thamum inclamantis, ita ut admirarentur. Erat autem Thamus Ægyptius gubernator multis, qui in navi erant, nomine ignotus. Bis igitur inclamatum ſiluiſſe, tertium vocanti paruiſſe: illum majore vocis contentione imperaſſe, ut cum ad Palodes pervectus eſſet,* Pana magnum mortuum eſſe, *nuntiaret. Hoc au-*

thecæ Græcæ cap. 6. §. 5. pag. 237. & in Syllabo Scriptorum, qui veritatem Religionis Chriſtianæ aſſeruerunt, pag. 136. & 138. ubi exhibet *Catalogum Scriptorum veterum, ac recentiorum, qui locum Joſephi de Chriſto tamquam genuinum laudarunt*: atque his alios addit in *Salutari Lucæ Evangelii* pag. 22. & 23.

audito Epitherſes conſternatos omnes ſtupore dicebat, cumque deliberarent, quod imperatum erat, faciendum eſſet nec ne, hac de re ſic Thamum cenſuiſſe; ſi flatus ſpiraret, ſilentio prætervehendum eſſe, ſin a ventis eſſet eo in loco quies & tranquillitas, quod audierat, eſſe prædicandum. Igitur ad Palodes perlatis cum aura nulla eſſet, nec unda, proſpectantem e puppi Thamum in terram exclamaſſe, ut audierat; Pana magnum eſſe mortuum: *continuoque cum vix dum finiiſſet, ſecutum eſſe ingentem non unius, ſed multorum gemitum admiratione mixtum: & quod multi adfuiſſent, narrabat, rei famam celerrime diſſipatam eſſe Romæ, Thamumque a Tiberio Cæſare accerſitum: Tiberium vero uſque adeo huic rei fidem adjunxiſſe, ut quis ille* Pan *eſſet, interrogaret & quæreret. Doctos autem homines, quos circum ſe frequentes habebat, cenſuiſſe,* Pana *eum eſſe, qui ex Mercurio & Penelope natus eſſet. Atque hæc quidem Philippus, quorumdam etiam qui aderant, memoria atteſtante, qui de Æmiliano ſene ſe audiviſſe, dixerunt.* Hoc loco nonnulli, quemadmodum §. 130.
docet Baronius, *Magni Panos* nomine Chriſtum intelligunt, ac volunt, *ejus mortem ut ſuam ipſorum cladem luxiſſe Dæmones, quippe qui adhuc ipſo vivente ſæpius fuiſſent lamentati, ſe ab ipſo torqueri.* Horum adſtipulator Huetius Propoſitione 9. Demonſtrationis Evangelicæ cap. 136. §. 4. *Id,* ait, *convenit in tempus mortis Chriſti Jeſu, qui verus Pan eſt, rerum omnium parens, ac naturæ totius auctor, quam Panos ſymbolo Mythologi ſignatam voluerunt.* Quem Huetii ſenſum præter Gretſerum lib. 1. de Cruce cap. 33. Natalem Alexandrum in Hiſt. Eccl. ſæc. 1. art. 5. §. 6. alioſque non paucos, amplexus eſt etiam vir Heterodoxus Ricardus Montacutius, qui tom. 1. Originum Eccleſiaſt. part. 2. pag. 422. *Non negaverim,* inquit, *hic intelligi poſſe per Magnum Pana Dominum*

Crucifixum , & lamenta Dæmonum exaudita, ideo quod deſtructum Diaboli imperium in illius morte. Pag. 47. E contrario Tillemontius in vita Chriſti art. 21. exiſtimavit, Magnum Pana ſub Tiberio mortuum habendum eſſe pro Dæmoniorum Principe, cujus regnum & imperium per mortem Chriſti deletum eſt. Namque ſecutus Euſebium, qui lib. 5. Præparationis Evangelicæ cap. 17. recitat memoratum Plutarchi locum, ſcribit, multo glorioſius eſſe Chriſto, credere, ab ipſo compulſum Dæmonem illatam ſibi cladem fateri, & palam omnibus facere. Rurſus alii, inter quos Honoratus a S. Maria tom. 3. Animadverſionum in Regulas & uſum Critices diſſertat. 7. art. 1. §. 2. de hujus hiſtoriæ veritate ſuſpicantur, eamque ad fabulas accedere contendunt. Baronius quoque ſuſtinet ſe ab omni aſſenſu. Ait enim: *Sane quidem ſi rei geſtæ fidem adhibendam eſſe putamus, nequaquam de illo Pane, quem Gentiles colebant, ea poſſunt intelligi. Nam ſi Panem, ut illi dicebant, hominem fuiſſe dixerimus, longe ante hæc ſæcula ipſum obiiſſe humanum diem, certum eſt: ſi vero aliquem Dæmonum fuiſſe affirmaverimus; intellectuales ipſas creaturas morti non ſubjacere exploratiſſimum eſt.* (9) *Sed horum, quæ in Evangelio non habentur, fides ſit penes auctores*, ut ait Suarez in 3. part. D. Thomæ, tom. 2. diſput. 39. extrema ſect. 2. hac ipſa de re loquens.

(9) *Ceterum illud nemini mirum eſſe oportebit, quod ſcriptores ſæcularium litterarum nihil ex his, quæ Sacris voluminibus ſcripta ſunt, attigerunt, Dei Spiritu prævalente, ut inaminata ab ore corrupto & falſis vera miſcente intra ſua tantum myſteria contineretur hiſtoria, quæ ſeparata a mundi negotiis, & ſacris tantum vocibus proferenda, permiſceri cum aliis velut æquali ſorte non debuit. Etenim erat indigniſſimum, ut alia agentibus, aut alia quærentibus, hæc quoque cum reliquis miſcerentur.* Sulpitius Severus Hiſt. ſacræ lib. 2. cap. 34.

DE

DE MARIA VIRGINE CHRISTI MATRE.

CAP. I.

De genere Mariæ Virginis.

1. *Quid de eo docent Evangeliſtæ?*

℞. Matthæus & Lucas genus Mariæ Cap. I. 1.
Virginis repetunt ab Rege Da- Cap. I.
vide. Dicunt enim Chriſtum fi- 5. 27. 32.
lium Davidis, certe quidem ex 36. Baronius
matre, ex qua ſine ulla viri o- in app.
pera natus eſt. (1) Præterea i- §. 31.
dem Lucas eam fuiſſe tradit Sacerdotali Aaronis

 fa-

(1) S. Ambroſius in Luc. lib. 3. cap. 3. pag. 43. *Certum eſt igitur, Mariam de David generatione manaſſe.*

S. Hieronymus in Matth. cap. 1. pag. 1. ſcribit, *ex una tribu fuiſſe Joſeph, & Mariam: unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam: & quod ſimul cenſentur in Bethleem, ut de una videlicet ſtirpe generati.*

S. Bernardus hom. 2. ſuper *Miſſus eſt* §. 16. pag. 749. *Non tantum Joſeph, ſed & Maria deſcendiſſe credenda eſt de domo David. Alioquin non fuiſſet deſponſata viro de domo David, ſi non eſſet & ipſa de domo David.*

Tillemont. annotat. 1. in S. Virginem pag. 457. & 458. *Dubitari non poteſt, quin Virgo fuerit ex ſtirpe David, cum ipſa ſola particeps fuerit generationis Chriſti, qui haud dubie ex* ea-

familiæ affinitate conjunctam. Vocat enim Cognatam Eliſabeth matris Joannis Baptiſtæ: Eliſabeth vero erat *de filiabus Aaron*. S. Joannes facit ſororem Mariæ Cleophæ: etenim hanc ipſam appellat *ſororem* matris Jeſu, quam vocem S. Hieronymus, Theodoretus, Beda, & Martyrologium Romanum proprie acceperunt. (2)

Cap. XIX. 25.

2. *Unde fuit cognata, & affinis Eliſabeth?*

℟. Vel inde, quod aliquis ex majoribus Eliſabeth uxorem duxerit ex Tribu Juda & familia David; vel inde, quod aliquis ex majoribus Mariæ uxorem duxerit ex Tribu Levi, & genere Sa-

Bar. in app. §. 31. 32.

eadem ſtirpe fuit juxta ſcripturas.... S. Auguſtinus lib. 23. contra Fauſtum cap. 8. *inquiens, cur Evangeliſtæ potius retulerint genealogiam S. Joſeph, quam Virginis, id ait factum honorandi cauſſa ſexum mariti, ejuſque matrimonium, quod licet caſtum, verum tamen fuit.*

(2) Hieronymus in Matth. cap. 12. pag. 23. *Nos autem, ſicut in libro, quem contra Helvidium ſcripſimus, continetur, fratres Domini non filios Joſeph, ſed conſobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ eſſe dicitur mater Jacobi minoris, & Joſeph, & Judæ.* Hoc ipſum ſcribit adverſus Helvidium cap. 7. pag. 314. & epiſt. 150. quæſt. 4. pag. 802. ut appareat, hanc fuiſſe firmam & conſtantem ejus ſententiam. Baronius in Apparatu ad Annales §. 67. ait, *Mariam Cleophæ (ut habet Joannes) ſororem fuiſſe ſanctiſſimæ Virginis, non germanam ex Anna genitam, ſed conſobrinam ex ſorore, vel fratre patris vel matris genitam.*

Theodoretus in epiſt. ad Gal. cap. 1. pag. 268. ita loquitur de Jacobo fratre Domini: *Nec fuit Jacobi filius, ut quidam exiſtimarunt, ex priore matrimonio natus, ſed Cleophæ filius erat Domini conſobrinus. Matrem enim habuit matris Domini ſororem.*

Beda in Marcum cap. 3. pag. 113. *Maria uxor Alphæi ſoror fuit matris Domini, quam Mariam Cleophæ Joannes Evangeliſta cognominat.* Eadem prorſus ſupra dixerat in Matth. cap. 10.

Martyrologium Romanum V. Idus Aprilis: *In Judæa ſanctæ Mariæ Cleophæ, ſororis ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ.*

Sacerdotum. (3) Nam conſtat, ipſam Mariam non fuiſſe ex Tribu Levi, ac ſtirpe Sacerdotali. Quippe Chriſtus, teſte D. Paulo in epiſtola ad Romanos, fuit *ex ſemine David ſecundum carnem:* Cap. I. 3.
Chriſtus autem ſumſit carnem ex Maria divino Spiritu repleta: fuit igitur Maria perinde atque Chriſtus ex ſemine David, non Sacerdotum. *Manifeſtum eſt enim*, ut idem Apoſtolus ſcribit ad Cap. VII.
Hebræos, *quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter,* 14.
in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt. Hinc Eccleſia Mariam prædicat *ex ſemine Abrahæ, ortam de Tribu Juda, clara ex ſtirpe David*.

3. *Quid dicis de parentibus ejus?*

℞. Ego quidem ſatis habeo dicere, S. Joachimum ab Eccleſia coli tamquam ejus patrem, & Annam tamquam matrem. Recte enim S. Petrus Damiani, inter ſcriptores ſæculi XI. doctiſſimus, ſerm. 46. in Nativitate B. Virginis Mariæ: *Nonnulli dum plus ſapere, quam oportet ſape-* Bar. in Appar. §. 38. Pag. 114.

T 4 re-,

(3) S. Thomas 3. part. quæſt. 31. art. 2. ad 2. *Potuit fieri, ut pater Eliſabeth aliquam uxorem habuerit de ſtirpe David, ratione cujus B. Virgo Maria, quæ fuit de ſtirpe David, eſſet Eliſabeth cognata: Vel potius e converſo, quod pater B. Mariæ de ſtirpe David exiſtens uxorem habuerit de ſtirpe Aaron: Vel ſicut Auguſtinus dicit* 23. *contra Fauſtum*: Si Joachim Pater Mariæ de ſtirpe Aaron fuit, (*ut Fauſtus hæreticus per quaſdam Scripturas apocryphas aſſerebat*) credendum eſt, quod mater Joachim fuerit de ſtirpe David, vel etiam uxor ejus; *ita ut per aliquem modum Mariam dicamus fuiſſe de ſtirpe David*.

Synopſis Criticorum in Luc. cap. 1. pag. 870. *Qui cognata* (Eliſabeth) *cum eſſet ex tribu Levi, Maria ex tribu Juda? Reſp. 1. Cognata dici poterat ſenſu generali, ut Paulus vocat omnes Iſraelitas* cognatos *ſuos Rom. IX. 1. 2. Eliſabetha potuit eſſe ex tribu Levi genere paterno, & ex tribu Juda & familia Davidis genere materno, atque ita* cognata *Mariæ*. Vide Toletum in Lucam cap. 1. annotat. 108.

ve, geſtiunt, quis pater, vel quæ mater beatæ Mariæ fuerit, ſtudio ſuperfluæ curioſitatis inquirunt. Sed aliquis lector nimis inutiliter quærit, quod Evangeliſta narrare ſuperfluum duxit. Si enim huic notitiæ utilitatem ineſſe cognoſceret, nequaquam nobilis Hiſtoricus rem neceſſariam ſilentio præteriret. Sciendum vero eſt, hunc eſſe morem ſcriptoribus ſacri eloquii, ut ſicut ſtudent ſemper ſilere, quod obeſt; ſic etiam referre deſpiciant, quod ſcire non prodeſt.

4. *De iiſdem parentibus quid ſentit D. Auguſtinus?*

℟. Aliter ſentit, ſi me quidem conſulis, ac eum ſentire exiſtimat Hyacinthus Serry. Eum enim ab Eccleſiæ ſententia fuiſſe abhorrentem, ponit exercitat. 18. §. 4. ubi ait, ab Auguſtino carpi Fauſtum Manichæum, *tamquam fabularum* (non rei dubiæ & incertæ) *venditorem*, *quod ſacerdotem quempiam nomine* Joachimum *Mariæ patrem aſſeruiſſet*; (4) ſed perperam. Non enim S. Doctor reprehendit Fauſtum, quod Mariæ patrem appellaret nomine Joachim, ſed quod diceret, Joachim hunc fuiſſe Sacerdotem ex Tribu Levi, ac proinde Mariam non fuiſſe ex Tribu Juda, & quod inde conſequebatur, neque ortam ex ſtirpe David. Hoc unum, nihil ſolicitus de nomine, negat S. Doctor, hoc dicit non haberi in litteris Canonicis, ideoque nulla ſe ad hoc credendum neceſſitate conſtringi. (5) Sunt hæc verba

Lib. 23. cont. Fauſtum cap. 9.

(4) Vide inferius poſitam annotationem *6*.

(5) Hanc eſſe veram D. Auguſtini ſententiam, colligitur etiam ex D. Thoma 3. part. quæſt. 31. art. 2. ad 2. cujus verba poſita ſunt ſuperius annotat. 3. item ex Franciſco Suarez in cit. 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 2. ſect. 1, itemque ex Baronio in annotat. ad Martyrologium Ro-

ba ejus. *Nos credimus, etiam Mariam fuiſſe in cognatione David, quia Scripturis eis credimus, quæ utrumque dicunt, & Chriſtum* ex ſemine David ſecundum carnem, *& ejus matrem Mariam non cum viro concumbendo, ſed virginem. Quiſquis itaque dicit, Mariam ad conſanguinitatem David non pertinuiſſe, manifeſtum eſt, quod iſtarum Scripturarum tam excellenti auctoritati obluctetur: ipſe ergo convincat, non eam pertinuiſſe ad ſemen David, & hoc oſtendat non ex quibuſcumque litteris, ſed Eccleſiaſticis, Canonicis, Catholicis. Aliæ quippe apud nos non habent ad has res ullum pondus auctoritatis: ipſæ ſunt enim, quas recipit ac tenet Eccleſia toto orbe diffuſa, quæ per illas eſt etiam prophetata, & quemadmodum promiſſa, ſic reddita. Ac per hoc illud, quod de generatione Mariæ Fauſtus poſuit, quod patrem habuerit ex Tribu Levi Sacerdotem quemdam nomine Joachim; quia canonicum non eſt, non me conſtringit. Sed etiam ſi hoc crederem, ipſum potius dicerem aliquo modo ad David ſanguinem pertinuiſſe, & aliquo modo ex Tribu Juda in Tribum Levi fuiſſe adoptatum vel ipſum, vel ejus aliquem progenitorem, vel certe de Tribu Levi ita natum, ut de ſtirpe David conſanguinitatem aliquam duceret.*

5. *Nonne S. Hieronymus exiſtimavit, patrem Deiparæ fuiſſe* Cleopham*?*

℟. Id quidem exiſtimaſſe D. Hieronymum in libro adverſus Helvidium cap. 7. tradit laudatus Theologus Hyacinthus Serry; (6) tamen ſi verba Pag. 314.

Romanum die 20. Martii, & in Apparatu ad Annal. §. 46. & ex Tillemontio annotat. 1. in S. Virginem pag. 457.

(6) Exercitat. 18. §. 4. *Dubia in primis, incertaque ſunt, quæ vulgo feruntur nomina Genitorum Deiparæ Virginis*, Joachimus, & Anna. *Hieronymus ſiquidem Deiparæ patrem nomi-*

ba maximi Doctoris expendimus, apparet, eum nihil hujuſmodi definiviſſe. Neque enim eo loco aſſeverat, Mariam Cleophæ, quam facit Mariæ Virginis ſororem, ita dictam a patre, ut Theologus ille opinatur, ſed rem in ſuſpenſo relinquit. Ecce ejus verba. *Reſtat concluſio, ut Maria iſta, quæ Jacobi minoris ſcribitur mater, fuerit uxor Alphæi, & ſoror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Joannes Evangeliſta cognominat ſive a patre, ſive a gentilitate familiæ, aut quacumque alia de cauſſa ei nomen imponens*. Suſtinet igitur Hieronymus aſſenſionem ſuam, ideoque affirmari nullo modo poteſt, Virginis Deiparæ Patrem, *Hieronymo judice, Cleopham fuiſſe, non Joachimum*. (7)

6. *Quam-*

mine Cleopham *exiſtimavit lib. contra Helvidium cap. 7. Ubi cum* Mariam Cleophæ *Deiparæ Virginis ſororem ſtricto ſenſu dixiſſet, (dixit autem & alibi ſæpe) illam viciſſim Mariam Cleophæ dictam ait* non a Marito, cui nomen erat Alphæo, ſed a Patre. *Utriuſque itaque pater, Hieronymo quidem judice, Cleophas erat, non Joachimus. Quod idem affirmat Maldonatus ad v. 46. Capitis 12. Matthæi. Recte ne hoc in capite ſenſerint, non expendo: illud tamen inde haud dubie colligo, nullam fuiſſe tunc certam in Eccleſia Traditionem, quæ Deiparæ patrem faceret Joachimum. Quid etiam quod Auguſtinus lib. 23. contra Fauſtum cap. 9. Virum Manichæum tamquam fabularum venditorem carpit, quod Sacerdotem quempiam nomine* Joachimum *Mariæ patrem aſſeruiſſet?* Eſt ne hoc facere D. Hieronymum, & Auguſtinum animi dubium, & opinantem, ut ſe feciſſe reſpondet idem Serry in Animadverſionibus Anticritis cap. 12. & 13.

(7) Memoratus Serry citata Exercitat. 18. §. 4. *Quin etiam in ea propriorum illorum nominum ignoratione myſticæ ſignificationis nomina imponere illis Eccleſia potuit, & alterum quidem* Joachimum, *alteram* Annam *nominare: Anna enim* gratiam *ſonat, Joachimus* præparationem Domini*: qui tituli Sanctiſſimis genitoribus apprime congruunt. Sicque re ipſa factum docet S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus in ſermone ſuper natalem Virginis diem, quem ex Manuſcripto S. Victoris Franciſcus Combefiſius vulgavit tom. 8. Bibliothecæ Concionatoriæ*

pag.

6. Quamdiu in vivis fuerunt Joachimus, & Anna?

℞. *Joachimus octogenarius deceſſit : Anna annos nata undeoctoginta vitam finiit*; ſi Cedreno credere velis, cui, utpote recenti, de re tam antiqua ſine teſte affirmanti, aſſenſum haud libenter Baronius præbet. Tillemontio videtur, illud credi opor-

pag. 119. *ubi* Joachimi, & Annæ *nomina non vera ac propria parentum Virginis eſſe docet, ſed accepta ſolum* ex quadam Hebraicæ etymologiæ congruentia.

Corrupta eſt Fulberti ſententia, ut traheretur in Serryanam. S. Fulbertus ſermone citato, qui eſt etiam in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi tom. 18. pag. 40. *Hujus namque Pater & Mater carnales fuiſſe feruntur* Joachim, & Anna, *quæ bene ſibi de nominis interpretatione competunt;* Joachim *quippe* præparatio Domini *dicitur*, Anna *vero* gratia Dei *interpretatur. In horum duorum nominum interpretatione quid innuitur, niſi gratia, quam ſimul adepti ſunt?* Serry exſcripſit, ſed minus fideliter, ex Bollando, qui die 20. Martii pag. 77. §. 1. num. 1. & 2. *Utriuſque*, ait, *Eccleſiæ Patrum* Joachimum & Annam *celebrantium concors credulitas facit, ut de nominibus non admodum anxie dubitemus, vera ne ſint, an ſolum accepta ex quadam etymologiæ Hebraicæ congruentia, qua* Joachim præparatio Domini, Anna gratia interpretatur, *ut eſt apud Culbertum Carnotenſem Epiſcopum in ſermone ſuper Natalem Virginis, quem erutum ex* MS. *S. Victoris Franciſcus Combefiſ. vulgavit Bibliothecæ Concionatoriæ tom.* 8. *pag.* 119. *Etenim ut dubiæ prorſus fidei ſint omnia, quæ de utroque vel Græci Patres ex ſpurio quodam* de ortu Virginis *libello, Jacobo* τῷ ϑεαδέλφῳ *perperam adſcripto, attigerunt, vel Seleucus impoſtor ſub ipſius Evangeliſtæ Matthæi nomine eſt ementitus, nullam veri habentia ſpeciem: quantulum tamen hoc eſt, ſi ipſa ſaltem parentum ſanctiſſimæ Dei Genitricis nomina Eccleſiæ Traditio conſervaſſe putetur, nec omnia dicantur auctores iſti finxiſſe? Sub his certe nominibus eos celebrant ſanctorum Patrum encomia, & Eccleſiæ feſtivis proſequuntur honoribus.*

Quod vero Serry ipſe ait, *myſticæ ſignificationis nomina imponere illis Eccleſiam potuiſſe*, reſpondemus illi per ipſa ejus verba in fine ejuſdem Exercitationis 18. *Ecquæ Dialecticæ leges habent, ut quæ fieri potuiſſe, nihilque repugnare probata ſunt, facta illico colligantur?*

oportere, ſanctos Joachimum, & Annam exceſſiſſe poſt Chriſtum natum, idque ea de cauſſa, quod utriuſque memoria ſolemni precum Officio colitur ab Eccleſia, quæ, ut docet S. Bernardus epiſt. 98. §. 4. non conſuevit, ſanctis ullis ante ortum Chriſti vita defunctis, ſi Machabæos excipias, hujuſmodi honorem tribuere. (8)

(8) Cedrenus in Hiſtoriarum Compendio pag. 147. Baronius in Apparatu ad Annales §. 58. & Tillemontius annotat. 3. in S. Virginem pag. 459.

Auguſtinus Calmet in Dictionario Hiſtorico, verbo *Joachim* II. ſub finem: *S. Joachimi, ac S. Annæ cultus pervetuſtus in Oriente eſt, & in Occidente recentior. S. Petri Damiani* (hom. 46.) *ac S. Bernardi* (epiſt. 174. §. 6.) *ætate minime adhuc pervulgatus erat. Julius Papa II. S. Joachimi Feſtum die* 20. *Martii circa annum* 1510. *inſtituiſſe creditur. Martyrologium anno* 1491. *impreſſum, die* 9. *Decembris ejus Feſtum recenſet. Pius V. illud e Breviario Romano delevit: at Gregorius XV. anno* 1620. *die* 20. *Martii iterum inſeruit. Bollandus* (die 20. Martii pag. 77.) *Tillemontius* (extrema annot. 3. in S. Virginem pag. 461. tom. 1.) *inſpici poſſunt*. Nunc ex decreto Clementis XII. honor S. Joachimo habetur die Dominico infra Octavam Aſſumtionis B. Virginis.

Idem Calmet verbo *Anna V. Feſtum S. Annæ apud Latinos ad diem* 26. *Julii conſignatur. Ejus Conceptionem recolunt Græci die* 9. *Decembris: Deſponſationem cum S. Joachimo die* 9. *Septembris.*

S. Annæ *venerandum caput aſſervari Duræ, quod eſt oppidum Juliacenſe*, teſtatur ex Molano Baronius in annotat. ad Martyrologium Romanum VII. Kal. Auguſti, qui inſuper addit, *anulum ejus Romæ in ejus Eccleſia cuſtodiri.*

CAP.

C A P. I I.

De Conceptione, & Nativitate Mariæ Virginis.

1. *Quo modo concepta eſt?*

℞. MOdo prorſus naturali atque communi. Ita ſcribit S. Epiphanius Hær. 79. §. 5. refellens hæreticos Collyridianos, qui dictitabant, Dei genitricem Mariam humanæ naturæ omnino expertem, & divinæ tantum participem. Hanc enim *precibus*, inquit, *omnique animi ſtudio ac contentione parens uterque promeruit: ita tamen, ut non aliam, quam ceteri mortales, naſcendi conditionem habuerit; ſed, ut illi, e virili ſatu, ac matris utero prodierit. Quamvis autem ex Mariæ hiſtoria, ac Traditione illud habeatur, Joachimo ejus Patri divinitus hoc in deſerto nunciatum fuiſſe*: Uxor tua concepit: *non ita tamen accipiendum eſt, quaſi hoc citra nuptialem conſociationem, & virilem ſatum acciderit*. Similia narrat *ex hiſtoria quadam incerti auctoris* S. Gregorius Nyſſenus Orat. in diem natalem Chriſti, qui licet ætate junior Epiphanio, eodem tamen, quo ille, ſæculo IV. claruit. (1)

Bar. in app. §. 43. 44.

2. *Quo*

(1) Tum id, quod ex Mariæ hiſtoria, ac traditione refert Epiphanius, tum id, quod ex incerto auctore Nyſſenus, haud ita facile admittendum cenſent Critici ſeveriores. S. Bernardus epiſt. 174. §. 7. *Si licet loqui quod Eccleſia ſentit, & verum ipſa ſentit: dico glorioſam de Spiritu Sancto concepiſſe, non autem & conceptam fuiſſe: dico peperiſſe virginem, non tamen & partam a virgine. Alioquin ubi erit prærogativa Matris Domini, qua ſingulariter creditur exſultare & munere prolis, & integritate carnis, ſi tantumdem dederis & matri ipſius? Non eſt hoc Virginem honorare, ſed honori detrahere*.

Su-

2. *Quo anno, & menſe concepta & nata eſt?*

Bar. in apparatu §. 47. 48. ℞. Si verum eſt, quod vulgo fertur, ipſam decimo quarto, aut decimo quinto ætatis anno Chriſtum Dominum Spiritus Sancti virtute concepiſſe, (2) facile erit cuivis invenire annum Orbis conditi, quo concepta & nata eſt. Quippe cum Chriſtus natus ſit anno Orbis conditi 4000. ut ſupra dictum eſt, ſequitur, ipſam conceptam & natam fuiſſe anno 3985. aut 3986. Quod attinet ad menſem, Eccleſiaſtica Traditio tenet, octavo Septembris die natam, atque ideo octavo Decembris die conceptam fuiſſe. Chronicum Paſchale, cujus auctor ſæculo ſeptimo vixit, pag. 155. hæc habet: *Menſis Septembris VIII. feria II. Indictione XV. nata eſt Domina noſtra Dei genitrix ex Joachim & Anna.* (3)

3. *Eſt*

Super B. Mariæ Virginis Conceptione *plures prodierunt Romanorum Pontificum Conſtitutiones, Sixti videlicet IV. S. Pii V. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII. & Clementis XI. quæ in unum collectæ legi poſſunt in* Notis *ad Gulielmum Eſtium* tom. 2. editionis Neapolitanæ anni 1720. pag. 8. & *ex quibus utique clare deſumitur unanimis eorum propenſio erga ſententiam, quæ B. Virginem Mariam a peccato originali ſervatam in ſua Conceptione adſtruit atque confirmat.* Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 42. n. 14.

Eſtius loc. cit. *Quæ quæſtio primum exorta & cœpta videtur circa tempora D. Bernardi, ut apparet ex Epiſtola ejus 174. quæ eſt* (ſcripta circa annum 1140.) *ad Canonicos Lugdunenſes.*

(2) *Ivo venerabilis Carnotenſium Epiſcopus in Chronicis ſuis ſcripſit, duodecimo anno ætatis ſuæ Virginem ab Archangelo Gabriele ſalutatam, & a Spiritu Sancto obumbratam.* Sunt verba hæc in epiſtola Nicolai monachi S. Albini ad Petrum Abbatem S. Remigii, quæ epiſtola eſt in Bibliotheca Patrum tom. 23. pag. 903. & in Operibus Sirmondi tom. 3. pag. 839. Chronica Ivonis non exſtant.

3. Eſt ne ſanctificata in utero Matris?

℞. *Reſpondeo dicendum*, ait D. Thomas 3. part. quæſt. 27. art. 1. *quod de ſanctificatione Beatæ Mariæ, quod ſcilicet fuerit ſanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur, quæ etiam nec de ejus nativitate mentionem facit. Sicut tamen* Auguſtinus in ſermone de Aſſumtione ipſius Virginis (4) *rationabiliter argumentatur, quod cum corpore ſit aſſumta in Cœlum* (*quod tamen Scriptura non tradit*) *ita etiam rationabiliter argumentari poſſumus, quod fuerit ſanctificata in utero. Rationabiliter enim creditur, quod illa, quæ genuit* Unigenitum a Patre, plenum gratiæ & veritatis, *præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit. Unde, ut legitur Luc.* 1. Angelus ei dixit: Ave gratia plena. *Invenimus autem quibuſdam aliis hoc privilegium eſſe conceſſum, ut in utero ſanctificarentur, ſicut Hieremiæ, cui dictum eſt, Hier.* 1. Antequam exires de vulva, ſanctificavi te: *& ſicut Joanni Baptiſtæ, de quo dictum eſt, Luc.* 1. Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ. *Unde rationabiliter creditur, quod Beata Virgo ſanctificata fuerit, antequam ex utero naſceretur.* (5)

4. *Quo*

(3) Anno 1677. a ſummo Pontifice Innocentio XI. damnatus eſt error Neapolitani cujuſdam, cui nomen *Imperiali*, qui aſſerere non dubitaverat, Annam integra virginitate Mariam peperiſſe.

Pererius Proleg. in Evang. Joan. diſputat. 3. *Anna, ſicut in antiquis & probatis hiſtoriis traditum eſt, ſenili jam in ætate, annos nempe nata ſexaginta, Deiparam Virginem peperit.*

(4) Sermo, ſeu liber de Aſſumtione Mariæ non eſt D. Auguſtini. Itaque a Monachis Congregationis S. Mauri refertur in Appendice tom. 6. pag. 250. Alias erat ſermo 34. de Sanctis.

(5) S. Bernardus epiſt. 174. §. 5. pag. 170. *Fuit procul dubio & mater Domini ante ſancta, quam nata: nec fallitur*

San-

2. *Quo anno, & menſe concepta & nata eſt?*

Bar. in apparatu §. 47. 48. ℞. Si verum eſt, quod vulgo fertur, ipſam decimo quarto, aut decimo quinto ætatis anno Chriſtum Dominum Spiritus Sancti virtute concepiſſe, (2) facile erit cuivis invenire annum Orbis conditi, quo concepta & nata eſt. Quippe cum Chriſtus natus ſit anno Orbis conditi 4000. ut ſupra dictum eſt, ſequitur, ipſam conceptam & natam fuiſſe anno 3985. aut 3986. Quod attinet ad menſem, Eccleſiaſtica Traditio tenet, octavo Septembris die natam, atque ideo pag. 155. octavo Decembris die conceptam fuiſſe. Chronicum Paſchale, cujus auctor ſæculo ſeptimo vixit, hæc habet: *Menſis Septembris VIII. feria II. Indictione XV. nata eſt Domina noſtra Dei genitrix ex Joachim & Anna.* (3)

3. *Eſt*

Super B. Mariæ Virginis Conceptione *plures prodierant Romanorum Pontificum Conſtitutiones, Sixti videlicet IV. S. Pii V. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII. & Clementis XI. quæ in unum collectæ legi poſſunt in* Notis *ad Gulielmum Eſtium* tom. 2. editionis Neapolitanæ anni 1720. pag. 8. *& ex quibus utique clare deſumitur unanimis eorum propenſio erga ſententiam, quæ B. Virginem Mariam a peccato originali ſervatam in ſua Conceptione adſtruit atque confirmat*. Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 42. n. 14.

Eſtius loc. cit. *Quæ quæſtio primum exorta & cœpta videtur circa tempora D. Bernardi, ut apparet ex Epiſtola ejus 174. quæ eſt* (ſcripta circa annum 1140.) *ad Canonicos Lugdunenſes*.

(2) *Ivo venerabilis Carnotenſium Epiſcopus in Chronicis ſuis ſcripſit, duodecimo anno ætatis ſuæ Virginem ab Archangelo Gabriele ſalutatam, & a Spiritu Sancto obumbratam*. Sunt verba hæc in epiſtola Nicolai monachi S. Albini ad Petrum Abbatem S. Remigii, quæ epiſtola eſt in Bibliotheca Patrum tom. 23. pag. 903. & in Operibus Sirmondi tom. 3. pag. 839. Chronica Ivonis non exſtant.

3. *Eſt ne ſanctificata in utero Matris?*

℟. *Reſpondeo dicendum*, ait D. Thomas 3. part. quæſt. 27. art. 1. *quod de ſanctificatione Beatæ Mariæ, quod ſcilicet fuerit ſanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur, quæ etiam nec de ejus nativitate mentionem facit. Sicut tamen* Auguſtinus in ſermone de Aſſumtione ipſius Virginis (4) *rationabiliter argumentatur, quod cum corpore ſit aſſumta in Cælum (quod tamen Scriptura non tradit) ita etiam rationabiliter argumentari poſſumus, quod fuerit ſanctificata in utero. Rationabiliter enim creditur, quod illa, quæ genuit* Unigenitum a Patre, plenum gratiæ & veritatis, *præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit. Unde, ut legitur Luc.* 1. Angelus ei dixit: Ave gratia plena. *Invenimus autem quibuſdam aliis hoc privilegium eſſe conceſſum, ut in utero ſanctificarentur, ſicut Hieremiæ, cui dictum eſt, Hier.* 1. Antequam exires de vulva, ſanctificavi te: *& ſicut Joanni Baptiſtæ, de quo dictum eſt, Luc.* 1. Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ. *Unde rationabiliter creditur, quod Beata Virgo ſanctificata fuerit, antequam ex utero naſceretur.* (5)

4. *Quo*

(3) Anno 1677. a ſummo Pontifice Innocentio XI. damnatus eſt error Neapolitani cujuſdam, cui nomen *Imperiali*, qui aſſerere non dubitaverat, Annam integra virginitate Mariam pepetiſſe.

Pererius Proleg. in Evang. Joan. diſputat. 3. *Anna, ſicut in antiquis & probatis hiſtoriis traditum eſt, ſenili jam in ætate, annos nempe nata ſexaginta, Deiparam Virginem peperit.*

(4) Sermo, ſeu liber de Aſſumtione Mariæ non eſt D. Auguſtini. Itaque a Monachis Congregationis S. Mauri refertur in Appendice tom. 6. pag. 250. Alias erat ſermo 34. de Sanctis.

(5) S. Bernardus epiſt. 174. §. 5. pag. 170. *Fuit procul dubio & mater Domini ante ſancta, quam nata: nec fallitur*

San-

4. *Quo in loco nata eſt?*

Cap.II.3. Bar. in apparatu §. 48. Pag. 420. 421. tom. 5. ℟. Ex eo, quod Lucas narrat, *iviſſe omnes, ut profiterentur ſinguli in ſuam Civitatem*, recte deducit Chryſoſtomus, Mariam natam fuiſſe Bethleemi, his verbis ex homilia 31. in Servatoris noſtri Jeſu Chriſti diem natalem. *Itaque cum Joſeph & Maria Cives Bethleemitæ, relicta patria, in Nazareth vitam ſuam inſtituiſſent, & illic commorarentur, ut videlicet ſæpe multis hominibus uſuvenire ſolet, qui e Civitatibus, unde ortum duxerant, emigrantes, in aliis, in quibus ab initio nati non fuerant, commorentur, oporteretque Chriſtum in Bethleem naſci, exiit edictum, quod, Deo ita ſtatuente, etiam invitos in Urbem illam compulit. Lex enim, quæ jubebat unumquemque in patria ſua nomen profiteri, adegit eos a Nazareth pedem efferre, & in Bethleem redire ad nomen illic ſuum edendum*. Et infra: *Hinc nobis evidenter conſtat, etiam Virginem ipſam ex genere Davidico fuiſſe. Nam ſi ex Bethleem ortum duxit, manifeſtum eſt, quod etiam ex domo, & familia David fuerit*. Chryſoſtomum ſequitur Theophylactus in Lucam cap. 2. *Propterea fit deſcriptio, ut cum omnes in ſuas patrias irent, aſcenderet & Virgo in Bethleem, quæ ejus patria erat*. Quod vero S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 14. & hom. 1. in Nativitatem B. Mariæ Virginis §. 6. natam eam dicit Hieroſolymis *in Domo probaticæ Joachim*, cum id nullo videatur teſtimonio confirmare, minus me movet, ſtandumque puto au-

Pag. 275. tom. 1. & 845. tom. 2.

Sancta Eccleſia ſanctum reputans ipſum Nativitatis ejus diem, & omni anno cum exultatione univerſæ terræ votivæ celebritate ſuſcipiens.

Nicephorus lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 7. *Inventa eſt Beata Virgo Maria dignum, Deumque decens Verbi domicilium, etiam ante Nativitatem Deo conſecrata*.

auctoritati Chryſoſtomi, quæ innititur Evangelio. (6)

5. *Quando cœpit ab Eccleſia celebrari memoria Conceptionis ejus?*

℞. Sub finem ſæculi undecimi *in Anglia primum celebrari cœptam*, opinatur Baronius in annotat. ad Martyrologium Romanum VI. Idus Decembres. Illud habendum pro certo, D. Bernardi ætate circa annum Domini 1140. coli cœpiſſe apud Gallos in Eccleſia Lugdunenſi: quod probe conſtat ex teſtimonio ejuſdem Bernardi, cujus hæc verba ſunt in Epiſtola 174. ad Canonicos Lugdunenſes §. 1. *Unde miramur ſatis, quid viſum fuerit hoc tempore quibuſdam veſtrum voluiſſe mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* (7) Apud Orientales anno circiter 1150. memoriam ejus celebrari mandavit Imperator Manuel Comnenus edita conſtitutione, qua, judice Thomaſſino lib. 2. de dierum Feſtorum celebratione cap. 20. §. 7. non exſtat antiquius in Eccleſia Græca hujus rei monumentum. Acceſſit demum Romanæ Eccleſiæ conſenſus, atque decretum Sixti IV. Pii V. & noviſſime Clementis XI. qui anno 1708. diem Conceptionis *B. Mariæ Virginis immaculatæ* feſtum eſſe juſſit, ac religioſum, & *ſicut alia Feſta de præcepto* obſervari. (8) Latini VI. Græci V. I-

V dus

(6) S. Antoninus in Summa part. 4. tit. 15. cap. 14. *Die qua nata eſt* (B. Virgo) *impoſitum ei nomen Maria a Parentibus ſecundum Angelicam revelationem.*

(7) Legendus Mabillonius in annotationibus ad hanc epiſtolam pag. LXI. & in Annalibus Ordinis S. Benedicti lib. 77. ad an. 1140. §. 73. & 74. pag. 301. tom. 6.

(8) Conſtitut. 140. quæ extat in Bullario tom. 10. part. 1. pag. 206. Edit. Rom. an. 1735.

S. Bo-

dus Decembres illud celebrant, ut apparet ex memorata conſtitutione Manuelis Imperatoris, quam recitat Theodorus Balſamon Commentario in Nomocanonem Photii tit. 7. cap. 1. pag. 85. (9)

6. Quando memoria Nativitatis ejus?

℟. Multo ante Conceptionem celebrari cœpit Nativitas ejus. (10) Baronius enim in annotat. ad Martyrologium Romanum VI. Idus Septembres animadvertit, celebratam fuiſſe, regnante Sergio I. qui anno 687. iniit Pontificatum, atque con-

S. Bonaventura, qui obiit anno 1274. in lib. 3. Sentent. Diſt. 3. quæſt. 1. pag. 30. tom. 5. *Nullius Conceptionis Solemnitatem celebrat Eccleſia, niſi ſolius Filii Dei in Annuntiatione B. Mariæ Virginis. Sunt tamen aliqui, qui ex ſpeciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis, quos nec omnino laudare, nec ſimpliciter reprehendere audeo. Non omnino approbare audeo, pro eo quod Sancti Patres, qui alias ſolemnitates Virginis, Spiritu Sancto docente, ſtatuerunt, qui etiam magni amatores & veneratores B. Virginis fuerunt, Conceptionem Virginis ſolemnizare non docuerunt.... Non etiam audeo omnino reprehendere, quia, ut quidam dicunt, hæc Solemnitas celebrari non cœpit humana inventione, ſed divina revelatione: quod ſi verum eſt, ſine dubio bonum eſt ſolemnizare in ejus Conceptione: ſed quia hoc authenticum non eſt, non compellimur credere; quia etiam contra Fidem rectam non eſt, non compellimur negare.*

(9) Eſtius in lib. 3. Sent. Diſt. 3. §. 2. pag. 8. tom. 2. *Quæſtio, utrum B. Virgo fuerit communi lege concepta in peccato originali, an vero ſingulari privilegio ab illo peccato in ſua conceptione præſervata, primum exorta & cœpta videtur circa tempora Bernardi, ut apparet ex epiſtola ejus 174. quæ eſt* (ſcripta circa annum 1140.) *ad Canonicos Lugdunenſes.* Vide annotat. 3. ad Alexandrum VII. Pontif. CCXXXIX. in Vitis Pontificum Romanorum, quas edidimus.

(10) D. Auguſtinus ſerm. 287. in Natali S. Joannis Baptiſtæ cap. 1. §. 1. *Natales dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apoſtolorum celebravit Eccleſia: ſolos duos Natales celebrat, hujus, & Chriſti.* Ætate igitur D. Auguſtini, hoc eſt ſæculo quarto, dies natalis B. Virginis nondum celebrabatur.

conſtituit, teſte Anaſtaſio Bibliothecario in ejus
vita, *ut in diebus Annuntiationis Domini, Nati-
vitatis, Dormitionis ſanctæ Dei Genitricis, ſemper-
que Virginis Mariæ, ac Sancti Simeonis, quod hy-
papantem Græci appellant, Litania exeat a S. Hadria-
no, & ad S. Mariam populus occurrat*. Tradit idem
Baronius, de eodem Feſto in libro de perpetua
Virginitate S. Mariæ meminiſſe S. Ildefonſum
Archiepiſcopum Toletanum, qui floruit eodem
ſæculo ſeptimo anno circiter 657. (11) Sæculo
autem inſequente octavo additam fuiſſe aliis Chri-
ſti, Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, & ipſius B.
Virginis ſolemnitatibus a S. Bonifacio Epiſcopo
Moguntino, docet Mabillonius in libro de Litur- Pag. 104.
gia Gallicana. Beda, qui ſub finem ejuſdem ſæ- 105.
culi vixit, eam ponit in Martyrologio VI. Idus
Septembres. (12) Manuel Comnenus Imperator
circa medium ſæculum XII. diebus *omnino feria-
tis*, hoc eſt feſtis annumerat, ut eſt apud memo-
ratum Balſamonem Commentario in Nomocano-
nem Photii tit. 7. cap. 1. Quo pariter tempore ab Pag. 84.

(11) Verba S. Ildefonſi in libro citato pag. 566. tom. 12. Bibl. Patrum ſunt hæc: *Nullius Nativitas celebratur in mundo, niſi Chriſti, & ejus* (matris Mariæ) *atque B. Joannis . . . . Quod ſi præclara ſacratiſſimæ Virginis Nativitas univerſaliter tam ſancta, & tamglorioſa jure colitur & veneratur* &c.

Caſimirus Oudinus de Scriptoribus Eccleſiaſticis tom. 1. pag. 1654. non probat ſententiam Gulielmi Cave, qui in Hiſtoria Litteraria pag. 386. ſecutus Dacherium adjudicat Paſchaſio Radberto memoratum librum S. Ildefonſi. *Nam*, inquit, *ſi adhibenda fides Juliano Toletano* (qui anno 680. ſucceſſit S. Ildefonſo anno 667. vita functo) *in Appendice, quam adjecit libro S. Ildefonſi* de viris illuſtribus, *hic liber annumeratur ab ipſo inter Opera S. Ildefonſi*.

(12) Inde aſſentiendum non eſt eruditiſſimo Thomaſſino, qui lib. 2. de dierum feſtorum celebratione cap. 20. §. 3. ſcribit, *vetuſtiſſimum eorum, qui hanc Celebritatem commemoraverint, fuiſſe S. Fulbertum Carnotenſem Antiſtitem; anno Chriſti* 1000.

omnibus celebrari ſolitam, ſcribit S. Bernardus epiſt. 174. §. 3. *Ortum Virginis didici in Eccleſia, & ab Eccleſia, indubitanter habere feſtivum atque ſanctum, firmiſſime cum Eccleſia ſentiens in utero eam accepiſſe, ut ſancta prodiret*. Tam Latini, quam Græci illum recolunt die octavo Septembris, qui dies memoratur etiam in D. Gregorii Sacramentario. (13)

(13) In Frontonis Kalendario pag. 196. *Die IX. Menſ. Septembris Nativitas S. Mariæ* annotatur, & in Martyrologio vetuſtiſſimo S. Villibrordi *XVII. Kal. Septembris*, ſeu XVI. Auguſti, ut eſt apud Florentinium in annotat. ad Martyrolog. Hieronym. pag. 816. & apud Tillemont. extrema annotat. 5. in S. Virginem pag. 463.

Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi I. Oecum. XIII. anno 1245. decrevit, ut Nativitas B. M. Virginis *octo dierum ſpatio celebraretur*. Labbeus tom. Conc. XI. part. 1. pag. 636.

Gregorius autem XI. ut *haberet vigiliam cum jejunio, pro qua etiam Officium proprium Miſſæ ordinavit, cum tamen per prius nec eſſet die illa jejunium, nec Miſſa de Vigilia hujuſmodi cantaretur*, quemadmodum ſcribit Boſquetus in Vita ejuſdem Gregorii apud Baluzium tom. 1. Vit. Paparum Avenionenſium pag. 440.

Idem ac Boſquetus, docet Radulphus de Rivo, ſeu Tungrenſis, in libro de obſervantia Canonum, propoſitione 19. *Hodie tamen*, ut obſervatum Pagio Juniori in Vita ejuſdem Gregorii XI. §. 32. pag. 230. tom. 4. *illius Feſti Vigilia caret jejunio, & Officio proprio, forſan quia Gregorius XI. illud non præceperat, ſed tantum ſuaſerat, ut Urbanum VI. de Vigilia Viſitationis feciſſe, ſcribit Bonifacius IX.* Conſtitut. I. §. 4. his verbis: *Suaſit etiam idem prædeceſſor* (noſter Urbanus VI.) *ut ipſius Feſti* (Viſitationis) *Vigilia, ut Vigiliæ Nativitatis, & Aſſumtionis prædictæ Virginis Feſtivitatum, etiam in obſervatione jejunii devotius obſervaretur*.

CAP.

C A P. III.

De Mariæ Virginis Præſentatione in Templo, ejuſque Deſponſatione cum S. Joſeph.

1. *Quid de Præſentatione Virginis in Templo narratur?*

℞. AUctor incertus a S. Gregorio Nyſſeno Oratione in diem natalem Chriſti laudatus narrat, illam, cum ubere matris amplius non indigeret, ad Templum deductam, Deo conſecratam, & a Sacerdotibus *ad Samuelis ſimilitudinem in ſanctis ædibus educatam*. Idem ferme legitur in Tragœdia, cui titulus: *Chriſtus patiens*, S. Gregorio Nazianzeno ſuppoſita, in qua inſuper dicitur Virgo ab Angelo enutrita. (1) Nicephorus lib. 2. cap. 3. ex Evodii epiſtola, quæ inſcribitur *Lumen*, addit hæc: *Trimula cum eſſet, in Templum eſt præſentata, ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos undecim*. At Baronius tum in apparatu ad Annales §. 47. tum in Annalibus ad an. 71. §. 13. profitetur, nondum ſibi compertum eſſe, illam Evodii epiſtolam *alicui antiquorum innotuiſſe*. (2) Baronii ſententiam ex eo confirmat Hyacin-

Pag. 276. tom. 2.

V 3 thus

(1) Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad an. 370. Pag. 89. tom. 7. *Tragœdia* Chriſtus patiens, *non videtur habere gravitatem ſolitam Nazianzeno, præſertim cum deſcribitur ejulatus Matris Chriſti, quæ prudentiſſima, & conſtantiſſima erat*. Itaque creditur opus Hæreſiarchæ Apollinaris, aut Poetæ incogniti potius, quam S. Gregorii Nazianzeni.

(2) Ex his patet, Baronium non petere momentum ab Evodii epiſtola, ipſumque de hujus epiſtolæ fide dubitaſſe, ideoque falli Hyacinthum Serry, qui Exercitat. 25. §. 5. ita ſcribit: *Quod ex Evodii D. Petri in Sede Antiochena ſucceſſoris Epiſtola momentum petit Cardinalis Baronius, ut Virgi-*

thus Amat de Graveſon, quod *nec Sixtus V. ſummus Pontifex, qui expunctam a deceſſore ſuo Pio V. Præſentationis Mariæ feſtivitatem reſtituit, diei Collectam, ubi Virginem triennem in Templo fuiſſe oblatam legebatur, emendaſſet; ſi hæc hiſtoria vindicem & patronum habuiſſet S. Evodium*: deinde quod credibile non eſt, *Mariam fuiſſe per undecim annos inſtar columbæ ab Angelis nutritam & educatam in Templo, in Sancto Sanctorum, quo nemini mortalium patuit umquam aditus, præterquam ſummo Pontifici, & quidem ſemel in anno, ut expreſſe notant Apoſtolus cap. 9. epiſt. ad Hebræos, & Joſephus lib. 2. contra Appionem, & lib. 8. Antiquit. cap. 2.* (3) Utcumque ſit de his, illud unum facile credimus, quod habet Eccleſiæ Traditio, Mariam Virginem in Templo præſentatam: affirmantes præterea, quocumque in loco educata fuerit, perpetuam certe virginitatem Deo voviſſe. (4)

2. *Quæ*

ginem decimoquarto ætatis anno Joſepho nuptam, ac tum decimo quinto Chriſtum enixam evincat, cachinnis, ac ſibilis excipitur ab univerſis Criticæ ſcientiæ peritis, qui Epiſtolam illam ſpuriam, & apocrypham habent, næniis ac fabulis a capite ad calcem infartam.

(3) In Tractatu de myſteriis & annis Chriſti edito Romæ anno 1711. diſſertat. 1. §. 1.

Loca Sacræ Scripturæ, quibus Baronius in apparatu ad Annales §. 53. vero ſimilem facere vult manſionem Dei Genitricis in Templo, non probantur ab Natali Alexandro Hiſt. Eccl. ſæc. 1. cap. 1. art. 3.

(4) Exodi cap. XXXVIII. 8. mentio eſt *mulierum, quæ excubabant in oſtio Tabernaculi*. Lib. 4. Regum cap. XI. 1. 2. 3. & lib. 2. Paralip. cap. XXII. 11. 12. legitur Joſaba, ſeu Joſabeth filia regis Joram, uxor Jojadæ Pontificis una cum Joas filio fratris ſui, ejuſque nutrice ſex annis clam in domo Domini commorata: & apud Lucam cap. II. 36. 37. *Anna propheti**ſſa**, filia Phanuel, vidua non diſcedebat de Templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* Et S. Ambroſius de Virginibus l. 1. c. 3. §. 12. *Templo Hieroſolymis fuiſſe legimus virgines deputatas.* Ex his non impoſſibile videtur Tillemontio annotat. 6. in S. Virginem pag. 463. cam-

2. *Qua fiducia affirmaſti, eam voviſſe perpetuam virginitatem?*

℟. Ea fiducia, qua Sancti Patres, teſtes locupletiſſimi, hoc idem affirmant. Namque Origenes in Matth. cap. 13. *Arbitror*, inquit, *rationi conſentaneum eſſe, virilis quidem puritatis in caſtitate primitias fuiſſe Jeſum, muliebris vero Mariam. Non enim plauſibile eſt, alii præter hanc Virginitatis primitias adſcribere*. Eadem cum Origene dicit S. Hieronymus ſcribens ad Euſtochium epiſt. 22. extremo cap. 7. *Mihi virginitas in Maria dedicatur, & Chriſto*. Idemque extrema epiſt. 50. ad Pammachium: *Chriſtus Virgo, Virgo Maria, utriuſque ſexus virginitatem dedicavere*, ſeu, ut alii legunt, *utrique ſexui virginitatis dedicavere principia*. Similis eſt utrique S. Ambroſius de inſtitutione Virginis cap. 5. §. 35. *Egregia*, inquit, *Maria, quæ ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Chriſto vexillum erexit*. Præclarum eadem de re S. Auguſtini teſtimonium legimus in libro de Sancta Virginate cap. 4. §. 4. *Ipſa quoque virginitas ejus* (Mariæ) *ideo gratior & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſervaret ipſe, præripuit: ſed priuſquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit*: Quomodo, *inquit*, fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? *Quod profecto non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, quod illa jam voverat... Virginitatem Deo di-*

Bar. in apparatu §. 56. Pag. 13. tom. 2.

Pag. 144.

Pag. 395.

Luc. I. 34.

V 4 ca-

eamdem Virginem in Templo educatam fuiſſe. Sed lege Caſaubonum Exercitat. 1. ad Apparatum Annalium Baronii §. 23.

cavit, cum adhuc, quid eſſet conceptura, neſciret, ut in terreno mortalique corpore cœleſtis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non neceſſitate ſerviendi. Hæc S. Auguſtinus. Eodem prorſus modo reſponſum illud Mariæ ad Angelùm explicat Beda in Lucam cap. 1. *Propoſitum ſuæ mentis reverenter expoſuit, vitam videlicet virginalem ſe ducere decreviſſe. Quæ quia prima feminarum tantæ ſe virtuti mancipare curavit, jure ſingulari præ ceteris feminis beatitate meruit excellere*. Eodem modo S. Bernardus ſuper *Miſſus eſt* hom. 4. §. 3. *Non dubitat de facto, ſed modum requirit & ordinem. Nec enim quærit, an* fiet iſtud, *ſed* quomodo? *Quaſi dicat: Cum ſciat Dominus meus teſtis conſcientiæ meæ, votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut* fiat iſtud? *Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de propoſito. Fiat tamen voluntas ejus*. (5)

Pag. 225. tom. 5.

3. *Fa-*

(5) S. Gregorius Nyſſenus in diem Nat. Chriſti: *Angelus partum nuntiat. At illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtrationi anteponendam judicat. Nec Angelo fidem non habet, nec a propoſito recedit ſuo... Quia carnem Deo conſecratam, tamquam ſanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam integramque præſtare, idcirco, licet, inquit, Angelus ſis, licet e Cælo venias, licet id quod oſtendetur, naturam ſuperet humanam, tamen me virum cognoſcere nefas eſt*.

S. Epiphanius hær. 78. §. 24. *Sanctorum Virginitatis filiorum, cujus B. Virgo princeps eſt*. S. Auguſtinus in Joan. tract. 10. §. 2. *Num Maria iterum peperit? abſit. Inde cœpit dignitas Virginum*. Et ſerm. 51. cap. 16. §. 26. *Cœpit dignitas virginitatis a Matre Domini*. Vide Franciſcum Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 6. ſect. 3. ubi probat, B. Virginem in vovenda & ſervanda virginitate omnium primam fuiſſe, quod facit etiam Capiſuccus Controverſia 16. §. 3. ac Petavius lib. 14. de Incarnatione cap. 4. pag. 403. tom. 5. Theologicorum Dogmatum.

3. *Factum ne cenſes votum hoc ante, an poſt Deſponſationem cum S. Joſeph?*

℞. Ante. Hujus ſententiæ auctorem habeo D. Auguſtinum loco ſupra recitato ex ejus libro de Sancta Virginitate cap. 4. §. 4. *Deſponſata eſt viro juſto non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat.* Quod etiam Rupertus Abbas Tuitienſis conſentit, lib. 3. in Cantica, ubi ita Mariam alloquitur: *Dicunt, & vere dicunt, quia votum egregium Deo prima voviſti, votum virginitatis: attamen ſponſi nomen admiſiſti, deſponſari viro non renuiſti.* Diſſentit D. Thomas 3. part. quæſt. 28. art. 4. *Quia tempore Legis oportebat generationi inſiſtere tam mulieres, quam viros, quia ſecundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Chriſtus naſceretur; Mater Dei non creditur, antequam deſponſaretur Joſeph, abſolute virginitatem voviſſe: ſed licet eam in deſiderio habuerit, ſuper hoc tamen voluntatem ſuam divino commiſit arbitrio. Poſtmodum vero accepto ſponſo, ſecundum quod mores illius temporis exigebant, ſimul cum eo votum virginitatis emiſit.* D. Thomam *complures ſunt ſecuti*, ait Baronius in apparatu ad Annales Eccleſiaſticos §. 60. qui tamen §. 56. & 58. Auguſtinum, aliosque magis probat.

Bar. in app. §. 56. 58.

Pag. 30.

4. *Quo anno ætatis ejus?*

℞. Non invenio. Hyacinthus Serry exercitat. 20. §. 5. Cedrenum refellit, quod in Compendio Hiſtoriarum ſcripſerit, illam *anno ætatis undecimo voviſſe, viventibus adhuc, & conſentientibus parentibus.* At nihil hujuſmodi reperias in Cedreni Compendio Hiſtoriarum, ubi genus, formam, &

vi-

vitam B. Mariæ Virginis exponit. Hæc enim tantum habet de ejus parentibus, ejuſque ætate uſque ad annum undecimum. *Joachimus octogenarius deceſſit: Anna annos nata undeoctoginta vitam finiit. Ab iis in Templum deducta Dei Genitrix anno ætatis ſuæ tertio, undecim annos nata parentes amiſit.*
Pag. 147.

5. *Quæ cauſſa fuit, cur etiam tali voto obligata Joſepho nuberet?*

℞. Mariam, etiamſi virginitatis voto teneretur, Joſepho viro juſto nubere non recuſaſſe, docent Sacræ Litteræ, ſed hujus rei myſterium non docent, nec ullo modo indicant, utrum Maria ſuum cum Joſepho conſilium prius communicaverit, atque effecerit, ut Joſephus in id conſentiret; an vero ipſa ultro ſe offerens Deo, ſeque ejus providentiæ committens matrimonium deinde contraxerit, quod aliter facere Iſraelitarum mores adhuc non permitterent. S. Auguſtinus de Sancta Virginitate cap. 4. §. 4. videtur alterum potius crediſſe. Namque exiſtimavit, Joſephum modo ordinario & communi nuptias cum Maria celebraſſe. (6) Ceterum multas cauſſas afferunt San-
Luc. I. 27.

(6) Lib. 5. contra Julianum Pelagianum cap. 12. §. 48. *Quamquam & tu ipſe etiam* ex deſponſationis fide eam nomen conjugii accepiſſe *fatearis*. *Quæ fides utique inviolata permanſit. Neque enim cum eam vidiſſet jam virginem ſacram divina fœcunditate donatam, ipſe aliam quæſivit uxorem: cum utique nec iſtam* (Mariam) *quæſiſſet, ſi neceſſariam conjugem non haberet: ſed vinculum fidei conjugalis non ideo judicavit eſſe ſolvendum, quia ſpes commiſcendæ carnis ablata eſt.*

Aliter ſentit D. Thomas in 4. Sent. diſt. 30. quæſt. 2. art. 1. ad 2. pag. 162. tom. 7. *Beata Virgo, antequam contraheret cum Joſeph, fuit certificata divinitus, quod Joſeph in ſimili propoſito erat, & ideo non ſe commiſit periculo nubens: nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit, quia illud propo-*

Sancti Patres, cur Dominus decreverit, ut Maria Virgo matrimonio conjungeretur. Eas colligit D. Thomas 3. part. quæſt. 29. art. 1. in hunc modum: *Conveniens fuit, Chriſtum de deſponſata virgine naſci, tum propter ipſum, tum propter matrem, tum etiam propter nos. Propter ipſum quidem Chriſtum quadruplici ratione. Primo quidem ne ab infidelibus tamquam illegitime natus abjiceretur. Unde Ambroſius dicit ſuper Lucam* 1. Quid Judæis, quid Herodi poſſet adſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſecuti? *Secundo ut conſueto modo ejus genealogia per virum deſcriberetur. Unde dicit Ambroſius ſuper Lucam* 3. Qui in ſæculum venit, ſæculi debuit more deſcribi; viri autem perſona quæritur, qui in ſenatu & reliquis curiis civitatum generis aſſerit dignitatem. Conſuetudo etiam nos inſtruit Scripturarum, quæ ſemper viri originem quærit. *Tertio ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret: Et ideo Ignatius dicit*, ipſam fuiſſe deſponſatam, ut partus ejus diabolo celaretur. *Quarto ut a Joſepho nutriretur: unde & pater ejus dictus eſt quaſi nutritius.* (7)

Fuit etiam conveniens ex parte Virginis. Primo quidem, quia per hoc redditur immunis a pœna, ne ſcilicet lapidaretur a Judæis tamquam adultera, *ut Hieronymus dicit. Secundo ut per hoc ab infamia liberaretur: unde dicit Ambroſius ſuper Lucam, quod deſponſata eſt*, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelæ videretur inſigne præferre. *Tertio ut ei a Joſeph miniſterium exhiberetur, ut Hieronymus dicit.*

Ex parte etiam noſtra hoc fuit conveniens. Primo qui-

poſitum non fuit conditionaliter in conſenſu appoſitum: talis enim conditio cum ſit contra matrimonii bonum, ſcilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret.

(7) Vide in Vita S. Joſeph interrogationem 9.

quidem , quia teſtimonio Joſeph comprobatum eſt , Chriſtum ex virgine natum : unde Ambroſius dicit ſuper Lucam : Locupletior teſtis pudoris maritus adhibetur, qui poſſet & dolere injuriam, & vindicare opprobrium, ſi non agnoſceret ſacramentum. *Secundo quia ipſa verba Virginis matris magis credibilia redduntur, ſuam virginitatem aſſerentis: unde Ambroſius dicit ſuper Lucam:* Fides Mariæ verbis magis adſciſcitur, & mendacii cauſſa removetur. Videtur enim culpam obumbrare voluiſſe innupta mendacio prægnans: cauſſam autem mentiendi deſponſata non habuit, cum conjugii præmium & gratia nuptiarum partus ſit feminarum. *Quæ quidem duo pertinent ad firmitatem fidei noſtræ. Tertio ut tolleretur excuſatio virginibus, quæ propter ſuam incautelam non vitant infamiam: unde Ambroſius dicit :* Non decuit Virginibus ſiniſtra opinione viventibus velamen excuſationis relinqui, quod infamata Mater quoque Domini videretur. (8) *Quarto quia per hoc ſignificatur univerſa Eccleſia, quæ cum Virgo ſit, deſponſata tamen eſt uni viro Chriſto, ut Auguſtinus dicit lib. de Sancta Virginitate* cap. 12. §. 11. *Poteſt etiam & quinta ratio eſſe, quod Mater Domini fuit deſpon-*

(8) S. Ambroſii verba ſunt ex libro 2. in Lucam §. 1. & 2. pag. 1281. & ex libro 3. §. 3. pag. 1314. Verba S. Hieronymi ſunt ex commentariis in Matthæum cap. 1. pag. 1. Locus autem S. Ignatii, ſi modo eſt is, quem S. Hieronymus deſignabat, habetur in Epiſtola ad Epheſios §. 19. apud Cotelerium vol. 2. pag. 51. ubi dicit tria latuiſſe Diabolum, Virginitatem Mariæ, Nativitatem, & Mortem Chriſti: *Principem hujus mundi latuit Mariæ Virginitas, & Partus ipſius, ſimiliter & Mors Domini.*

Maldonatus in Matth. cap. I. 18. pag. 36. fatetur, ſe non intelligere, *quomodo Diabolus Mariæ Virginitatem, ſi modo animadvertit, potuerit ignorare, cum integrum & incorruptum corpus, quamvis nuptæ, videre poſſet*. Vide D. Bernardum hom. 2. ſuper *Miſſus eſt* §. 13. pag. 747. & Mabillonium annotat. 273. in eumdem D. Bernardum pag. CIX.

ſponſata, *&* *Virgo*, *quia in perſona ipſius & Virginitas*, *& Matrimonium honoratur*, *contra hæreticos alteri horum detrahentes*.

6. *Fuit ne verum matrimonium Mariam inter*, *& Joſephum?*

℞. Non eſt dubitandum. Nam Sacræ Litteræ ſæpe ac ſæpius vocant Joſephum *virum* Mariæ, & Mariam conjugem, uxoremque Joſephi. Matthæi cap. I. ver. 16. *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ*, & ver. 19. *Joſeph autem vir ejus*, *cum eſſet juſtus*, & ver. 20. *Joſeph fili David*, *noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & ver. 24. *Exurgens autem Joſeph accepit conjugem ſuam*. Lucæ cap. II. 4. & 5. *Aſcendit & Joſeph*, *ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*. (9) Auctoritati conſentit ratio. Illud enim eſt verum matrimonium, quod habet bona matrimonii: habuit autem matrimonium Mariæ cum Joſepho: Namque, ut ait S. Auguſtinus lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 11. §. 13. *omne nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti*, *proles*, *fides*, *ſacramentum*: *prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum*: *fidem*, *quia nullum adulterium*: *Sacramentum*, *quia nullum divortium*. (10) Verum igitur fuit matrimonium.

7. *De-*

(9) Ambroſius in Luc. cap. 1. pag. 1283. §. 5. *Nec te moveat*, *quod frequenter Scriptura conjugem dicit*. *Non enim virginitatis ereptio*, *ſed conjugii teſtificatio*, *nuptiarum celebratio declaratur*.

S. Auguſtinus lib. 23. contra Fauſtum cap. 8. *Neque* Joſeph, *quia concubitu non permixtus*, *ideo non maritus*, *cum ipſe Matthæus narret*, *ab Angelo Mariam conjugem appellatam*, *qui narrat*, *quod non ipſius concubitu*, *ſed de Spiritu Sancto conceperat*.

(10) Idem S. Auguſtinus lib. 5. contra Julianum Pelagianum cap. 12. §. 46. & 47. *Contra ſententiam meam conaris*

7. *Deſcribe hujus Sponſæ Virginis vitam, & mores.*

Pag. 164. tom. 2. ℞. Deſcribit S. Ambroſius libro ſecundo de Virginibus cap. 2. §. 6. *Sit vobis*, inquit, *tamquam in imagine deſcripta virginitas vita Mariæ, de qua velut ſpeculo refulgeat ſpecies caſtitatis, & forma virtutis... Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior,* (11) *legendi ſtudioſior; non in incerto divitiarum, ſed in prece pauperum ſpem*

ris oſtendere, quia (in Mariæ, & Joſephi conjugio) *concubitus defuit, nullo modo fuiſſe conjugium. At per hoc ſecundum te, cum deſtiterint concumbere conjuges, jam non erunt conjuges, & divortium erit illa ceſſatio. Quod ne contingat, agant, ſicut poſſunt, decrepiti, quod juvenes agebant; & ab hoc opere, quo etiam continens nimium delectaris, nec in effœtis corporibus parcant.* Et paullo poſt: Quaſi maritus, *inquis*, Joſeph in opinione omnium erat. *Secundum hanc opinionem, non ſecundum veritatem locutam fuiſſe Scripturam vis intelligi, ut virginem illam ejus conjugem diceret. Hoc putemus Evangeliſtam facere potuiſſe, cum vel ſua, vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut ſecundum opinionem hominum loqueretur: numquid & Angelus loquens unus ad unum, contra conſcientiam & ſuam, & ipſius, cui loquebatur, ſecundum opinionem potius, quam ſecundum veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit:* Noli timere accipere Mariam conjugem tuam? Vide eumdem Auguſtinum ſerm. 51. alias de diverſis 63. §. 16. 21. 26. 30. D. Thomam 3. part. quæſt. 29. art. 2. & Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. 24. §. 4. num. 57.

(11) In Evangelio ſepties tantum locuta legitur. Bis cum Angelo apud Lucam cap. I. 34. 38. primum: *Quomodo fiet iſtud?* deinde: *Ecce ancilla Domini.* Bis cum Eliſabeth cognata ſua apud eumdem Lucam cap. I. 40. 46. primum cum illam ſalutavit, deinde cum ait: *Magnificat anima mea Dominum.* Bis cum Filio ſuo apud Lucam cap. II. 3. 5. Semel in Templo: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* iterum in nuptiis Canæ Galilææ: *Vinum non habent.* Tandem ibidem cum miniſtris: *Quodcumque dixerit vobis, facite.*

ſpem reponens. Intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere, nullum lædere, bene velle omnibus, aſſurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Quando iſta vel vultu læſit parentes? quando diſſenſit a propinquis? quando faſtidivit humilem? quando deriſit debilem? quando vitavit inopem? eos ſolos ſolita cœtus virorum inviſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Quid exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam; alterum ultra naturam ſuperfuiſſe, alterum pæne ipſi naturæ defuiſſe? Illic nulla intermiſſa tempora, hic congeminatos jejunio dies? Et ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret. Dormire non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit: & tamen cum quieſceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in ſomnis aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænuntiat. Prodire domo neſcia, niſi cum ad Eccleſiam conveniret, & hoc ipſum cum parentibus, aut propinquis. Sic Maria intendebat omnibus, quaſi a pluribus moneretur, ſic implebat omnia virtutis officia, ut non tam diſceret, quam doceret. Talem hanc Evangeliſta monſtravit, talem Angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit.

8. *Quam pridem ab Eccleſia Præſentationi, ac Deſponſationi B. Virginis honor haberi cœptus eſt?*

℟. Apparet ex conſtitutione Manuelis Comneni, qui anno 1143. imperium occepit, Feſtum

Præ-

Præſentationis B. Mariæ Virginis eſſe oppido antiquum apud Græcos. (12) Apud Latinos nihil de eo invenitur uſque ad annum 1372. quo celebrari cœptum eſt Avenione, ut obſervatum Danieli Papebrochio in Conatu Chronico hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum, (13) qui exſtat in Propyleo ad Acta Sanctorum Maji. Referente autem Launojo, ac Thomaſſino exſtat epiſtola Caroli V. Regis Francorum anno 1374. præcipientis, ut in Gallia coleretur, quemadmodum Romæ coli cœperat. (14) Anno 1585. nondum erat in Breviario Romano. (15) Feſtum vero Deſponſationis, quod ut inſtitueretur, multum laboravit Joannes Gerſonius, celeberrimus Academiæ Pariſienſis Cancellarius, ducentis abhinc annis coli cœpiſſe, reperio apud Bollandiſtas memoratos. Qui addunt, non eodem die, nec eodem menſe, nec ab omnibus fidelibus celebratum. A Venetis jam ab anno 1693. X. Kal. Februarias colitur.

Tom. 3. Martii pag. 14.

(12) Ea conſtitutio eſt in Commentariis Theodori Balſamonis Patriarchæ Antiocheni ad Nomocanonem Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani tit. 7. cap. 1. pag. 84.

(13) In Gregorio XI. §. 3. pag. 422. editionis Venetæ: *Egregia Pontificis bujus* (Gregorii XI.) *erga Deiparam Virginem devotio probavit ſeſe, quando ad inſtantiam Philippi de Mazeriis Cancellarii Cypri poſt maturam totius negotii diſcuſſionem recepit Feſtum & Officium Præſentationis, quod coram ſe fecit celebrari* Avenione in Eccleſia Fratrum Minorum die Dominica 21. Novembris anno a Nativitate Chriſti 1372.

(14) Launojus lib. 1. Hiſtoriæ Regii Navarræ Gymnaſii Pariſienſis, cap. 10. pag. 326. Operum tom. 4. part. 1. Thomaſſinus lib. 2. de dierum feſtorum celebratione cap. 20. §. 7.

(15) Baronius in Martyrologium Romanum ad diem XI. Kal. Decembres: *Scimus, antiquitus Præſentationis ſolemnitatem eam eſſe appellatam, qua Dei Genitrix Sancto Simeoni infantem Jeſum in Templo obtulit, ut antiqua Ritualia, & alia vetuſta Eccleſiarum monumenta ſignificant, & ipſa inſuper oratio Miſſæ ejus diei plane indicat.*

CAP.

CAP. IV.

De Annuntiatione, & Viſitatione B. Mariæ Virginis.

1. *Quando Angelicum nuntium accepit, nupta ne erat, an ſponſa tantum?*

℟. Verba Matthæi, & Lucæ ſunt ejuſmodi, ut ex iis intelligi facile poſſit, Mariam Virginem Joſepho ſponſam tantum fuiſſe, cum ad eam Angelus miſſus eſt. Matthæus cap. I. 18. *Cum eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto.* Lucas cap. I. 26. 27. *Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph.* Et quidem rem ita habere, crediderunt multi ex antiquis Patribus. Origenes in diverſos hom. 2. S. Hieronymus, & S. Hilarius in Matthæum cap. 1. §. 2. & S. Chryſoſtomus in eumdem Matthæum hom. 4. S. Epiphanius hær. 78. §. 8. S. Bernardus hom. 2. ſuper *Miſſus eſt* §. 12. Nihilominus alii contradicunt. Et vero Lucas cap. II. 5. Mariam *deſponſatam* vocat proxime ante Chriſti nativitatem, quo tempore dubitari non poteſt, quin Joſepho nupta fuerit. Itaque exiſtimant, idcirco Evangeliſtas uſos eſſe vocabulo *deſponſata*, ut oſtenderent, eam per matrimonium virginem eſſe non deſiiſſe. (1)

pag. 1. Pag. 30. Pag. 747.

X 2. *An-*

(1) Vide Cornelium a Lapide in Matth. cap. I. 18. & Gulielmum Eſtium in lib. 4. Sent. diſt. 30. §. 8.

2. *Annuntiatio facta eſt in paterna domo, an in domo Joſephi?*

℟. Hoc quoque diſcrepat. Baronius, qui in Apparatu ad Annales §. 55. Mariam ſponſam, non nuptam eo tempore fuiſſe arbitratur, in paterna domo ab Angelo ſalutatam ſcribit. At S. Chryſoſtomus in domo Joſephi id factum affirmat, explanans illa verba Matthæi, *antequam convenirent*, in hunc modum: *Non dixit, priuſquam in ſponſi adduceretur domum, intus enim jam erat. Hunc quippe morem plerumque tenebat antiquitas, ut ſponſæ in ſponſorum domibus haberentur, quod nunc quoque fieri interdum videmus*. Eodem modo Euthymius in Matth. cap. 1. *Non dixit autem, Priuſquam ipſa veniret ad domum illius. Jam enim in ea erat. Multis ſiquidem moris erat, ut apud ſe haberent ſponſas propter ſecuritatem*. Eodem Auctor Operis Imperfecti hom. 1. in Matth. *Non dixit, priuſquam acciperet, ſed* prius quam convenirent inventa eſt in utero habens*: quia jam accepta erat in domo*. (2) Quod de Judæis tradit etiam S. Bernardus hom. 2. ſuper *Miſſus eſt* §. 12. dicens: *Mos Judæorum erat, ut a die deſponſationis ſuæ uſque ad tempus nuptiarum ſponſis ſponſæ traderentur cuſtodiendæ, quatenus earum ipſi eo ſibi pudicitiam curioſius ſervarent, quo ſibi ipſi fideliores exiſterent*. Sanctus vero Thomas 3. part. quæſt. 29. art.

[Margin notes: In Matth. hom. 4. pag. 30. — Bibl. Patr. tom. 19. pag. 490. — Pag. 771. — Pag. 747.]

(2) Grotius in Matth. cap. I. 18. tom. 6. Crit. Sacrorum pag. 43. *Non videtur perpetuum fuiſſe, ut a ſponſalium die ſponſa in ſponſi domum tranſiret: quamquam Chryſoſtomus id affirmat, credo, quia Antiochiæ ſua ætate id fieri videbat*. Fallitur hæc ſcribens Grotius. Id enim ὡς τὰ πολλά, *plerumque*, non ſemper & perpetuo factum, aſſerit Chryſoſtomus. Vide Franciſcum Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thomæ diſputat. 7. ſect. 2. & Auguſtinum Calmet in locum citatum S. Matthæi.

art. 2. ad 3. non modo ita ſentit, ſed etiam rationem ſubjicit, cur ita ſentiat. *Beata Virgo fuit deſponſata Joſeph, quod etiam eſſet domi habita. Nam ſicut in ea, quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis: ſic in ea, quæ extra domum concepit, eſt ſuſpecta conceptio. Et ita non eſſet ſufficienter proviſum famæ Beatæ Virginis per hoc, quod fuit deſponſata, niſi etiam fuiſſet domi habita. Unde quod dicitur* : Et nollet eam traducere, *melius intelligitur, id eſt* nollet eam diffamare in publicum, *quam quod intelligatur de traductione in domum*.

3. *Quale fuit colloquium Angeli cum Maria?*

℞. Gabriel Angelus ingreſſus ad Virginem, ſolam reperit, & fortaſſis orantem in eodem cubiculo, ubi eam reviſere conſueverat: Salutavit appellans gratia plenam, quali ſalutatione nemo antea dignus habitus fuerat. (3) Hanc ob rem, Luc. I. 28. Bar. in apparatu §. 76.

X 2 &

(3) Mabillonius Præfat. in Acta ſæculi V. Benedictini §. 109. ſcribit, Salutationis Angelicæ partem primam ex verbis Angeli & Eliſabethæ apud Lucam cap. I. 24. 42. relatis compoſuiſſe Gregorium Magnum, qui eam adhibuit in *Offertorio* Dominicæ quartæ Adventus. In communi tamen vulgarique uſu non fuiſſe ante ſæculum XI. *In omnibus enim ſtatutis, quæ cuique quid ſciendum aut diſcendum ſit, explicant, ſolam Orationem Dominicam, & Symbolum Apoſtolorum proponi*. Inter primos Petrum Damiani, qui anno 1057. floruit, opuſculo 33. cap. 3. narrare de quodam Clerico, qui eam quotidie recitabat. Poſt annum 1246. omnes Chriſtifideles tamquam ex lege eam uſurpare cœpiſſe, eamque hora *ignitegii* ſub concubium ter recitari mandaſſe Joannem XXII. qui anno 1318. Pontifex factus eſt. Exinde ſtatutum, ut recitaretur etiam mane, ac meridie. Et quidem de Salutatione Angelica mane recitanda mentionem fieri cap. 127. Concilii Vaurenſis anno 1368. celebrati.

Angelicæ Salutationis partem alteram, cujus initium eſt, *San-*

& quod exiſtimabat, ſe virum videre, quem poſtea Angelum eſſe intellexit, turbata eſt, & ſacro quodam horrore perfuſa. (4) Ubi didicit ab Ange-

Sancta Maria, tamquam appendicem ſæculo XV. nondum adjectam fuiſſe: *quia non reperitur in libellis precum tam editis, quam MSS. ante annum* 1500. *& ante Breviarium juſſu Pii V. reformatum in ſolo Breviario Cardinalis Sanctæ Crucis occurrebat*: conſtare autem ex libello quodam ſub annum 1475. edito, Urbanum IV. poſt illa verba: *Fructus ventris tui*, poſuiſſe hæc: *Jeſus Chriſtus*. *Amen*. Hæc ex Mabillonio, qui fuſe rem totam explicat, & §. 125. agit etiam de vera Roſarii origine atque auctore, quem fuiſſe S. Dominicum, non S. Benedictum, non Venerabilem Bedam, non Petrum Eremitam, non Venerabilem Fratrem Alanum de Rupe, probat Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 10. num. 11. & de feſtis B. Mariæ Virginis part. 2. §. 157. & Vincentius Cardinalis Petra Comment. in Conſtit. XVIII. Sixti I. tom. 5. pag. 305. Lege Vitam Sixti IV. Pontificis CCXIV. inter Vitas Pontificum Romanorum deſcriptas a nobis.

Baronius ad an. 431. §. 179. & Bona Divinæ Pſalmodiæ cap. 16. §. 2. tradunt, creditum eſſe, partem hanc Angelicæ Salutationi adjectam in magna Synodo Epheſina anno 431. celebrata, quando ingenti totius Eccleſiæ gaudio Maria Virgo Θεοτόκος *Dei Mater* declarata eſt, & Neſtorius, qui id negabat, damnatus. Bona tamen putat (id quod Mabillonius) feris admodum Eccleſiæ temporibus uſurpatam.

(4) S. Ambroſius in Luc. cap. 1. lib. 2. §. 8. pag. 1284. *Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret: ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere depravaretur affatu, ab Angelo ſalutatur .... Maria etiam ſalutationem Angelicam verebatur. Erat cogitans cum verecundia, quia pavebat cum prudentia, quia Benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nuſquam lecta eſt, nuſquam ante comperta. Soli Mariæ hæc ſalutatio ſervabatur*. Idem lib. 2. de Virginibus cap. 2. §. 11. *Gabriel eam, ubi reviſere ſolebat, invenit, & Angelum Maria, quaſi viri ſpecie motu, trepidavit, quaſi non incognitum audito nomine recognovit*.

S. Bernardus hom. 3. ſuper *Miſſus eſt* §. 1. pag. 750. *Quo ingreſſus ad eam? Puto in ſecretarium pudici cubiculi, ubi ille fortaſſis clauſo ſuper ſe oſtio orabat Patrem in abſcondito. Solent*

gelo futurum, ut conciperet, & pareret magnam ſobolem, filium Altiſſimi, Regem, cujus principatui nulla umquam ætas finem imponeret; rogavit quanam id ratione fieri poſſet, non quod de Angeli fide dubitaret, ſed ut modum intelligeret, quo Deus id facere decreviſſet, atque divinæ ſe voluntati ſubmitteret. (5) Tum Angelus, ut eſt apud Chryſoſtomum: *Ne quæras, inquit, naturæ modum, & ordinem, quando ſupra naturam ſunt, quæ fiunt*. Spiritus Sanctus ſuperveniet in te. *Tu tantum crede veritatem, ſerva virginitatem, accipe integritatem. Quoniam integra eſt fides tua, intacta erit & integritas tua*. Cum Virgo Angeli dictis credens, ſe *Ancillam Domini eſſe*, profeſſa fuiſſet, *fide concepit*, ut ait S. Auguſtinus. (6)

X 3 *atque*

lent Angeli aſtare orantibus, & delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione.

S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 4. pag. 33. *Erat illa Virgo per cuncta mirabilis, cujus virtutem Evangeliſta Lucas declarans refert, quod cum ab Angelo verba ſatis honorificæ ſalutationis audiſſet, non ſemetipſam continuo, ut fit, in gaudium relaxavit, nec nimis credula nova dicta ſuſcepit: ſed honeſta ac decenti trepidatione permota; cujuſmodi eſſet ſalutatio illa, quæſivit.*

(5) S. Auguſtinus de Civitate Dei lib. 16. cap. 24. §. 2. *Non eſt Virginis Mariæ diffidentia, quod ait*: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? *Quod enim futurum eſſet, certa erat: modum, quo fieret, inquirebat.*

S. Bernardus hom. 4. ſuper *Miſſus eſt* §. 3. pag. 757. dicit, paratam fuiſſe *frangere votum*, ſi opus eſſet, ut Dei obtemperaret voluntati.

(6) S. Chryſoſtomus hom. 49. in Geneſim pag. 553. tom. 2. S. Auguſtinus ſerm. 291. §. 5. & ſerm. 69. cap. 3. §. 4. Et in Enchirid. cap. 31. §. 10. *De virgine naſci oportebat, quem fides matris, non libido conceperat.*

Chryſoſtomus in Pſal. 49. pag. 250. Deus manifeſte veniet. *Quando enim non venit manifeſte? Quando? In priori adventu: venit enim abſque ullo ſtrepitu, multos celans, multos*

atque auget meritum, vitamque priorem
Promta fides,

quemadmodum cecinit S. Paulinus poem. 6. de S. Joanne Baptiſta ver. 134. (7)

4. *Indica tempus hujus colloquii, atque ideo Incarnationis Domini.*

pag. 4. ℟. Indicavi cap. 1. de vita Chriſti, ubi eum dixi a Virgine conceptum die quinto & viceſimo Martii ſecundum Eccleſiæ Traditionem, de qua te-

tos latens. Quid dico multos? cum nec ipſa quidem Virgo, quæ eum utero geſtabat, noverit arcanum myſterii.

S. Bernardus De Baptiſmo cap. 5. §. 21. Pag. 640. & 641. *Modum deinde illum tam incomprehenſibilem, quem & Virgo ſollicita requiſivit, unde quæſo doceri queam Angelis fuiſſe præcognitum? Mihi vero videtur, ne ipſi quidem (ut pace ejus dixerim) qui nuntiabat: quod ipſe fatetur, ſi ejus verba diligenter advertimus. Reſpondens quippe*, Spiritus Sanctus ſupervenıet in te; *nonne aperte mittit ad magiſterium Spiritus Sancti, cujus unctione doceatur de omnibus, quorum ipſe ſibi non præſumit ſcientiam, & diſcat experiendo, quod audiendo non poterat? Denique ſubjungit*: Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: *expreſſius profecto ſignificans modum ſecretiſſimum arcani incomprehenſibilis & ineffabilis ſacramenti, quo quaſi in umbra cum ſola, & in ſola Virgine ſola Trinitas conceptum fuerat operatura divinum.... Sed & ipſam Virginem, rogo, unde probabitur, ex nomine, vel ex facie ante cognitam Angelis, quod ipſa videlicet eſſet, quam Deus elegerit in matrem ſibi, excepto duntaxat Archangelo, cui & ſervanda ab initio tradita fuiſſe credenda eſt? Porro autem ſi Diabolus eam nec poſt conceptionem agnovit, Joſeph utique deſponſatione deceptus: credi poteſt & Sanctis Angelis vel ante minime innotuiſſe, quod ipſa videlicet eſſet Dei mater futura.*

(7) Fuit ſæculo XVI. vertente Theologus, qui mulierculæ neſcio cujus affirmatione deceptus exiſtimaret, Mariam Virginem non in utero, ſed in corde, aut certe in parte cordi proxima concepiſſe: id quod refragatur apertiſſimis teſtimoniis Evangeliſtarum Matthæi cap. I. 18. 23. Lucæ cap. I. 31. & cap. II. 21. Vide Lambertinum lib. 2. De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. cap. 32. n. 8. & Cajetanum in 3. part. D. Thomæ quæſt. 31. art. 5.

teſtatur S. Auguſtinus tum in libro de diverſis quæſtionibus octoginta tribus quæſt. 56. tum in libro 4. de Trinitate cap. 5. Qua autem hora diei id factum fuerit, pro certo affirmare non licet. Itaque Eccleſia horam divinæ Incarnationis ignorans, Salutationem Angelicam quavis diei parte recitari voluit, mane ſummo, meridie, & veſpere: hoc etiam, ut opinor, ſecuta, ne ex Fidelium mentibus umquam excideret memoria beneficii tanti, quod eſt fons gratiarum omnium, & principium omnium myſteriorum. Si viri magni recte conjiciunt, eadem hora Virgo concepit, qua peperit, juxta oraculum illud Sapientiæ: *Cum quietum ſilentium contineret omnia, &* Cap.
nox in ſuo curſu medium iter haberet: Omnipotens XVIII.
ſermo tuus, Domine, exiliens de Cælo a regalibus 14. 15.
ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit: ita ut novem ipſos menſes Chriſtus in utero matris habitaverit. (8)

5. *Vidit ne Maria Angelum humana ſpecie & corporea?*

℞. Ait D. Thomas 3. part. quæſt. 30. art. 3. Primum, quia S. Auguſtinus ſerm. 14. de Natali Domini ita Virginem loquentem inducit: *Venit ad me Gabriel Archangelus facie rutilans, veſte coruſcans, inceſſu mirabilis.* (9) Deinde quia *hoc*

(8) Auctor ſermonis in Annuntiationem Deiparæ apud S. Athanaſium tom. 2. pag. 401. §. 15. *Initio diei, quaſi primitias encomii tibi Archangelus contexuit clamando:* Ave gratia plena, Dominus tecum. *Appellat diei* initium, *quantum exiſtimo, poſt mediam noctem, quando ſolent horæ matutinæ decantari. Dies enim Eccleſiaſticus a media nocte in mediam noctem computatur.* Toletus in Lucam cap. 1. annotat. 63. pag. 55.

(9) Sermonem hunc Monachi e Congregatione S. Mauri faciunt 195. Appendicis, quæ complectitur ſermones Auguſtini nomine ab aliis editos.

conveniens ſuit, quantum ad id, quod annuntiabatur: venerat enim Angelus annuntiare incarnationem inviſibilis Dei, per quam viſibilis fieret: Unde etiam conveniens ſuit, ut ad hujus rei declarationem inviſibilis creatura formam aſſumeret, in qua viſibiliter appareret: tum quia ſuit congruum dignitati matris Dei, quæ non ſolum in mente, ſed in corporeo ventre erat Dei filium receptura, & ideo non ſolum mens ejus, ſed etiam ſenſus corporei erant viſione Angelica refovendi. Poſtremo quia *congruit certitudini ejus, quod annunciabatur: ea enim, quæ ſunt oculis ſubjecta, certius apprehendimus, quam ea, quæ imaginamur. Unde Chryſoſtomus dicit ſuper Matth.* (Hom. 4.) *quod Angelus* non in ſomnis, imo viſibiliter Virgini aſtitit: nam, quia magnam valde revelationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei eventum viſione ſolemni. (10)

6. *An-*

(10) S. Hieronymus epiſt. 7. ad Lætam de inſtitutione filiæ pag. 52. *Imitetur Mariam, quam Gabriel ſolam in cubiculo ſuo reperit; & ideo forſitan timore perterrita eſt, quia virum, quem non ſolebat, aſpexit.*

Et epiſt. 22. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis cap. 16. pag. 150. *Propone ibi Mariam, quæ tantæ exſtitit puritatis, ut mater Domini eſſe mereretur. Ad quam cum Angelus Gabriel in viri ſpecie deſcendiſſet dicens:* Ave gratia plena, Dominus tecum, *conſternata, & perterrita reſpondere non potuit: nunquam enim a viro fuerat ſalutata.*

Quidam tamen, ait S. Thomas 3. part. quæſt. 30. art. 3. ad 3. *dicunt quod, cum Beata Virgo aſſueta eſſet viſionibus Angelorum, non turbata fuit in viſione Angeli, ſed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur, quia de ſe tam magnifica non cogitabat. Unde & Evangeliſta non dicit, quod turbata fuerit in viſione Angeli, ſed* in ſermone ejus.

Quam rem expendens S. Petrus Chryſologus ſerm. 140. *Quid eſt*, inquit, *quod perſonam videt, & de ſermone turbatur? Quia venerat Angelus blandus in ſpecie, fortis in bello, mitis in habitu, in ſermone terribilis, humana præferens, divina repromittens. Unde & Virginem, quam leviter viſus ſolicitaverat, nimium turbavit auditus, & quam miſſi præſen-*

tia

6. Angelus hic cujus ordinis fuit?

℟. *Novem Angelorum ordines eſſe, teſtante ſacro eloquio ſcimus, Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim .... Ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archangelus mittitur. Ad hoc quippe miniſterium ſummum Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiabat.* (11) S. Thomas 3. part. quæſt. 30. art. 2. ad 4. *Quidam dicunt, Gabrielem fuiſſe de ſupremo ordine Angelorum: propter quod Gregorius dicit,* ſummum Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiabat. *Sed ex hoc non habetur, quod fuerit ſummus inter omnes ordines, ſed reſpectu Angelorum: fuit enim de ordine Archangelorum. Unde & Eccleſia eum Archangelum nominat: & Gregorius dicit in homilia* de centum ovibus, *quod Archangeli dicuntur, qui ſumma annuntiant. Satis eſt ergo credibile, quod ſit ſummus in ordine Archangelorum. Et ſicut Gregorius dicit,* hoc nomen officio congruit. Gabriel enim Dei fortitudo nominatur. Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prælio ad debellandas poteſtates aereas veniebat.

Hom. 34. in Evang.

7. Di-

tia parum moverat, concuſſit toto pondere mittentis auctoritas. Cornelius a Lapide in Luc. cap. I. 30. *B. Virgo revelavit nonnullis, Angelum Gabrielem non ſtatim diſceſſiſſe, ſed ſecum manſiſſe per novem horas, obſtupefactum Verbi in Virgine incarnatione, ac Verbum incarnatum adoraſſe, illique omne obſequium obtuliſſe, & re ipſa exhibuiſſe.*

(11) S. Gregorius Magnus hom. 34. in Evangelia §. 7. & 8. quæ homilia eſt eadem cum illa, quæ a D. Thoma dicitur *de centum ovibus*. Lege eumdem D. Thomam part. 1. quæſt. 108. art. 5. & 6.

7. Digreſſo Angelo quid Maria egiſſe dicitur?

Luc. I. 36. 45. ℟. Maria *humilior facta, ubi ſe cognovit electam, ſtatim ad cognatam ſuam* (Eliſabetham) *in montana proceſſit, non utique ut exemplo* (ejus ſextum jam menſem gerentis uterum, quod Angelus propoſuerat) *crederet, quæ jam crediderat oraculo: Beata enim, inquit*, quæ credidiſti: (12) ſed ut cognatæ gaudium ſuum ob conceptum ab illa filium teſtaretur, ſuamque prægnanti ac ſeni navaret operam & ſtudium. *Mariam, quæ ante ſola in intimis penetralibus verſabatur, non a publico virginitatis pudor, non ab ſtudio aſperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit.* (13) Nam quemadmodum obſervat Joannes Stephanus Menochius in libro 1. de vita Chriſti cap. 7. §. 3. centum circiter millia paſſuum confecit, ut Hebronem Urbem in montibus poſitam, (14) in qua degebat Eliſabeth, Nazaretho diſcedens (& Hieroſolymam pertranſiens, Deum ibi in Templo adoratura) perveniret.

8. *Quem*

(12) S. Ambroſius lib. 2. de Virginibus cap. 2. §. 12. pag. 165. Idem in Lucam cap. 1. lib. 2. §. 19. pag. 1288. *Non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuntio, nec quaſi dubitans de exemplo: ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina pro gaudio, in montana perrexit.*

(13) Idem Ambroſius in Lucam cap. 1. lib. 2. §. 20. pag. 1288.

(14) Ita ſentit Baronius in Apparatu ad Annales §. 77. & 79. cujus ſententiam amplectuntur viri magni, ut docet Auguſtinus Calmet in Luc. cap. I. 39. Alii enim crediderunt, Zachariæ domum Hieroſolymis, alii Macherunte trans Jordanem, alii prope Emmauntem fuiſſe.

Chronicon Paſchale, ſeu Alexandrinum pag. 160. *Surgens autem Maria diebus illis profecta eſt ex Nazareth, per triduum peracto Hieroſolymis Paſchate, ſeptemque Azymorum diebus adimpletis, cum feſtinatione petiit per montana Civitatem Juda, quæ diſtabat milliaribus XII. & ingreſſa eſt domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth.*

8. *Quem habuit tam longi itineris ſocium?*

℟. Habuiſſe Joſephum, utpote ſponſum, & maritum, rentur aliqui, ſed falſo. Si enim Maria, Joſepho comite, ad Eliſabetham veniſſet, noviſſet utique Joſephus, eam matrem filii Dei jam electam fuiſſe, ex verbis illis Eliſabethæ præ gaudio exclamantis, ubi primum Mariam ſalutantem audivit: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini* Luc. I. 43. 46. *mei ad me?* At non novit Joſephus, niſi cum Mariam Hebrone Nazarethum *in domum ſuam* reducem intumeſcente utero prægnantem comperit, & dimittere volenti apparuit Angelus, ac myſterium expoſuit, ut patet ex Evangelio Matthæi: Cap. I. 19. non habuit igitur Maria itineris ſocium Joſephum. Quem autem habuerit, non conſtat. Nam ſolam iviſſe, convenit myſterio, quod tunc Deus volebat eſſe in occulto; iviſſe comite aliqua prudenti gravique femina, convenit Virginis pudori atque honeſtati.

9. *Quamdiu manſit apud Eliſabetham?*

℟. *Quaſi menſibus tribus*, inquit Lucas. (15) Cap. I. 56. Hinc

(15) S. Ambroſius in Luc. cap. 1. lib. 2. §. 29. pag. 1291. *Non ſola familiaritas eſt cauſſa, quod diu manſit, ſed etiam tanti vatis* (Joannis Baptiſtæ) *profectus. Nam ſi primo ingreſſa tantus proceſſus exſtitit, ut ad ſalutationem Mariæ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu Sancto mater infantis; quantum putamus uſu tanti temporis ſanctæ Mariæ addidiſſe præſentiam? Ungebatur itaque, & quaſi bonus athleta exercebatur in utero matris Propheta. Ampliſſimo enim virtus ejus certamini parabatur.*

Idem Ambroſius de inſtitutione Virginis extremo cap. 7. §. 50. pag. 262. Mariæ *tanta gratia, ut non ſolum in ſe virginitatis gratiam reſervaret; ſed etiam his, quos viſeret, integritatis inſigne conferret. Viſitavit Joannem Baptiſtam, &*

in

Hinc dubitatur utrum manſerit uſque ad partum Eliſabethæ, & ortum Joannis. Multa in ajentem partem probabiliter argumentantur novi interpretes Maldonatus, Toletus, Cornelius a Lapide, Auguſtinus Calmet, aliique inſiſtentes Bedæ veſtigiis, qui ita ſcribit in Luc. cap. I. *Tamdiu manſit Maria, donec Eliſabeth, partus tempore completo, Præcurſoris Domini ſui, propter quam maxime venerat, nativitatem videret*. Patres Beda antiquiores nihil in alterutram partem clare & affirmanter dicunt. Nihilominus id credere libet, quod ſpecie probabile eſt, manſiſſe uſque ad ortum Joannis, donec aliquid ſe offerat, quod ſit probabilitati illi contrarium. (16)

Pag. 228. tom. 5.

10. *Quid habes dicere de Feſto Annuntiationis?*

℞. Illud eſſe in Eccleſia antiquiſſimum: quandoquidem, ut obſervant Baronius, & Florentinius., alter in annot. ad Martyrologium Romanum, alter ad Hieronymianum die 25. Martii, de Annuntiationis myſterio exſtant orationes S. Gregorii Thaumaturgi, qui medio ſæculo Chriſti tertio vixit. (17) Illud porro ab utraque Ecle-

in utero matris, priuſquam naſceretur, exſilivit. Ad vocem Mariæ exultavit infantulus, *obſecutus antequam genitus. Nec immerito manſit integer corpore, quem tribus menſibus oleo quodam ſuæ præſentiæ, & integritatis unguento Domini mater exercuit. Eademque poſtea Joanni Evangeliſtæ eſt tradita conjugium neſcienti. Unde non miror, præ ceteris locutum myſteria divina, cui præſto erat aula cæleſtium ſacramentorum.*

(16) S. Petrus Damiani ſerm. 23. & 1. in Nativitate S. Joan. Baptiſtæ pag. 57. *Et fortaſſis uſque in diem nativitatis ejus glorioſa Virgo cum cognata ſua morata eſt, donec puerum natum ſinu beatiſſimo confoveret, & uno pariete remoto propinquiorem redderet præſentiæ Creatoris.*

(17) Bollandiſtæ die 25. Martii §. 1. num. 1. pag. 534. *Feſtum hoc ſolemne in tanta antiquitate eminet, ut liceat pie me-*

cleſia, Græca videlicet, & Latina, VIII. Kal. Apriles celebrari; quod argumento eſt, Eccleſiæ univerſæ ex perantiqua traditione perſuaſum fuiſſe, eodem die Chriſtum Dominum in puriſſimo Virginis Mariæ utero conceptum eſſe. (18) Concilium Toletanum X. anno 656. decreviſſe cap. 1. ut

meditari originem ejus debere adſcribi gratiſſimo affectui Deiparæ Virginis, quæ ſingulari veneratione, ac devotiſſimo cultu quotannis recolere ſolita fuerit divinum beneficium hoc die ſibi, & toti generi humano præſtitum, quod Verbum Dei in ſuo Virginali utero caro factum eſt, & ipſa Annuntiationi Angelicæ aſſenſum præbens Mater Dei eſt conſtituta. Hanc piiſſimæ gratitudinis conſuetudinem in ſanctiſſima Deipara intuiti Apoſtoli, debitam agnoverunt obligationem, & venerabili imitatione obſervarunt, & ubique terrarum obſervari debere ſanxerunt. Certe ſecundum regulam a Sancto Auguſtino de baptiſmo contra Donatiſtas lib. 2. cap. 24. *propoſitam*: Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum, recte creditur. Poſt hæc ipſi quoque antiquitatem Feſti hujus probant ex homilia, & ſermonibus Gregorii Thaumaturgi.

(18) Solemne ac celebre fuiſſe apud Græcos Feſtum Annuntiationis, indicat Canon 52. Concilii Quiniſexti, ſeu Trullani, apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1165. & apud Harduinum tom. 3. pag. 1682. Vetat enim, ne celebretur in eo Miſſa Præſanctificatorum. *In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annuntiationis die, fiat ſacrum Præſanctificatorum miniſterium.*

Hunc morem, ſubjicit Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 15. §. 5. *adhuc ſervat Orientalis Eccleſia; Occidentalis autem eo numquam utitur, aut uſa eſt, niſi feria ſexta majoris hebdomadæ.*

Miſſa Præſanctificatorum æquivoce dicitur Miſſa, cum careat conſecratione corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti. Vide annotat. 12. ad S. Innocentium I. Pontificem XLII. inter vitas Pontificum Romanorum a nobis deſcriptas.

Chronicon Paſchale, ſeu Alexandrinum pag. 159. *Hoc ergo die XXV. ſecundum Romanos Martii menſis, Catholica & Apoſtolica Dei Eccleſia ex ſanctorum Doctorum traditione Sanctæ Dominæ noſtræ glorioſæ Dei genitricis, & ſemper Virginis Mariæ Annuntiationem celebrat.*

Digitized by Google

1. ut Feſtum Annuntiationis celebraretur XV. Kal. Januarias octo ante Chriſti nativitatem diebus, quod VIII. Kal. Apriles, quo die peractum eſt myſterium, digne celebrari non poſſit, modo ob dies Quadrageſimæ ſolemnes, modo ob Feſta Paſchalia. (19) Eamdem ob cauſſam nunc quoque ab Eccleſia Toletana die 18. Decembris coli, vocarique *Expectationem partus*, *& Feſtum Dominæ noſtræ de la O*, (20) teſte Garſia Loaiſa in annotat. ad cap. cit. Concilii Toletani. Etiam ab Eccleſia Mediolanenſi translatum fuiſſe in Dominicam ſextam Adventus, qui in eadem Eccleſia inchoatur a veſperis Sabbati proxime ſequentis Feſtum D. Martini. Ex quo fit, ut Dominica ſexta Adventus ſit Dominica dies, quæ Natalem diem Chriſti præcedit.

Apud Lab. tom. 6. Concil. pag. 471.

11. *Quid de ſolemnitate Viſitationis?*

℟. Eam inſtitutam eſſe a ſummo Pontifice Urbano VI. anno Chriſti 1386. ſexto Idus Jul. Decretum vero, quod ipſe morte præreptus more atque ordine promulgare non potuit, ab ejus ſucceſſore Bonifacio IX. exitu ejuſdem anni promulgatum. (21) Ejus inſtituendæ cauſſam fuiſſe, ut fide-

(19) Apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 460. & apud Harduinum tom. 3. pag. 977.

(20) Quia a pervigilio ejuſdem Feſti in divino Officio recitari incipiunt octo majores Antiphonæ, quarum initium eſt a littera O. Ita Pompejus Sarnelli tom. 3. epiſtolarum Eccleſiaſticarum epiſtola 24. Vocatur autem *Expectatio partus* B. Virginis, *quia eiuſmodi Antiphonæ revocant in memoriam ſuſpiria, gemitus, & deſideria antiquorum Patrum, qui olim Chriſti Domini adventum expectabant*: Azorius Inſtitutionum Moralium part. 2. lib. 1. cap. 23.

(21) Conſtitut. I. tom. I. Bullarii pag. 293. & apud Bollandum die 2. Jul. pag. 296. Jacobus Gretſerus de Feſtis lib. 2. cap. 3. pag. 93. tom. 5.

fideles peterent atque impetrarent opem Dei Genitricis ad tollendum ſchiſma, quod Eccleſiam turbabat. (22) Idcirco autem diem ſecundum Julii ſolemnitati præſtitutum eſſe, *quia tunc, vel paullo ante Viſitatio finem habuit, & Beata Virgo domum ſuam rediit*, ut ait Joannes Azorius Inſtitutionum Moralium part. 2. lib. 1. cap. 23.

C A P. V.

De Partu, & Purificatione Mariæ Virginis.

1. *Narra aliquid de partu Virginis.*

℟. QUemadmodum Chriſtum conceperat; ita etiam peperit ſine ulla prorſus Virginitatis diminutione. (1) *Nam Propheta*, ut animad- Bar. ad an. Ch. 1. §. 6. & 39.

5. part. 2. *Fallitur Lutheranus Dreſſerus in ſuo libello de Feſtis, cum Viſitationis Feſtum inſtitutum tradit in Concilio Baſileenſi anno* 1441. *ſecutus nimirum errorem Hermanni Vvitikindi, qui tamen id a Concilio Baſileenſi factum ſcribit anno* 1432. *ſed errat: quia aliud eſt denuo promulgare & præcipere, aliud primitus inſtituere. Prius illud fecit Synodus Baſileenſis, poſterius Urbanus VI. & Bonifacius IX.* Vide Raynaldum ad annum 1389. §. 3.

Credendum nihilominus, decretum Concilii Baſileenſis, quo Fideles ad cultum Mariæ Virginis excitantur, & myſterium Viſitationis illuſtratur, multum inſerviſſe ſolemnitati propagandæ. Habetur ſeſſione 43. apud Labbeum tom. 12. Conc. pag. 648. & apud Harduinum tom. 8. pag. 1292.

(22) Schiſma omnium teterrimum atque longiſſimum. Duravit enim annos amplius quinquaginta, Pontificibus veris Romæ commorantibus, falſis Avenione, unde paullo ante Gregorius XI. Pontificiam ſedem Romam reſtituerat. Vide annotationem 2. ad Urbanum VI. Pontificem CCII. in Vitis Pontificum Romanorum, quas nos ipſi deſcripſimus.

(1) Baronius ad an. Ch. 1. §. 6. *Cum naturæ Dominus gignitur, naturæ legibus non tenetur: quæ conceperat ſine viro,*

Digitized by Google

Eſaias cap. VII. 14. madvertit S. Thomas 3. part. quæſt. 28. art. 2. *non ſolum dicit*: Ecce Virgo concipiet, *ſed etiam addit*, & pariet filium. (2) Quem ſine gravamine tulerat, eumdem ſine dolore, atque adeo magna cum voluptate in lucem emiſit, non quidem ex latere, ut ſomniarunt aliqui, ſed ex Virginali utero, *humani partus lege*, ut ait S. Hilarius De Trinitate l. 2. §. 25. (3) *Nulla ibi obſtetrix*,

ro, parit ſine dolore, & quæ virgo ſemper fuerat ante partum, eaque permanſit in partu, perinde eadem perſeveravit poſt partum: unde ipſa in Eccleſia Dei a perpetua virginitate conſecuta eſt cognomentum. Nam quantumvis Dei mater eſſet, quo excellentior nullus eſt titulus, tamen numquam nominari a majoribus conſuevit ſine ſuperaddito cognomine Virginis. *In quam ſententiam hæc Epiphanius Hær.* 78. Quis umquam, aut quo ſæculo auſus eſt proferre nomen S. Mariæ, & interrogatus non ſtatim intulit Virginis vocem?

(2) S. Auguſtinus ſerm. 188. cap. 3. §. 4. *Celebramus cum gaudio diem, quo peperit Maria Salvatorem, conjugata conjugii creatorem, virgo virginum principem, & data marito, & mater non de marito, virgo ante conjugium, virgo in conjugio, virgo prægnans, virgo lactans.*

Et epiſt. 137. extremo cap. 2. §. 8. *Ipſa virtus per inviolatæ Matris virginea viſcera membra infantis eduxit, quæ poſtea per clauſa oſtia membra juvenis introduxit. Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

(3) S. Bernardus Serm. 4. in Vigilia Nativitatis Domini §. 3. pag. 772. *Conceptus fuit ſine pudore, partus ſine dolore.* Et ſerm. in Dominica infra Octavam Aſſumt. B. V. Mariæ §. 9. pag. 1015. *Aſcendit Bethleem imminente jam partu portans pretioſiſſimum illud depoſitum, portans onus leve, portans, a quo portabatur. Sic & in partu quam lucidum eſt, quod nova exultatione novam edidit prolem ſola inter mulieres a communi maledicto, & dolore parturientium aliena.* Et §. 10. pag. 1016. *Sola ſine corruptione concepit, ſine gravamine tulit, ſine dolore filium parturivit.* Hanc ſententiam ſequitur etiam D. Thomas 3. part. quæſt. 35. art. 6.

S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. *Conceptio quidem per auditum facta eſt: ortus vero per eam* par-

trix, *nulla muliercularum ſedulitas interceſſit*, *ipſa pannis involvit infantem*, *ipſa & mater & obſtetrix fuit*, inquit S. Hieronymus adverſus Helvidium cap. 4. (4) Ex quo refelluntur ii, quos etiam Pag. 312. Baronius in annot. ad Martyrologium Romanum VIII. Kal. Januarias refellit dicentes, S. Anaſtaſiam *interfuiſſe ſanctiſſimo Virginis puerperio*, *eo quod ſcilicet eadem die de ea commemoratio in Eccleſia fiat*. (5)

2. *Expone dum Virginis Purificationem*.

R. Etſi B. Virginis partus (concepto ſine viri Bar. ad opera Chriſto Domino, & in lucem edito ſine an. 1. §. maternæ Virginitatis detrimento) non puriſſimus 38. eſſe non potuit; illa tamen, tamquam una e Luc. II. multis, voluit per dies quadraginta Legis præce- 22. 24. pto obtemperare, tum *ut humilitati filii conformaretur*, tum *ut calumniæ occaſionem Judæis tolleret*, 33. 35. Levit. XII. 6. 8. quemadmodum loquitur D. Thomas 3. part. quæſt. 37. art. 4. (6) Poſt illos dies, cum veniſſet in

Y Tem-

partem, *per quam exire fœtus conſueſcit*: *quamlibet aliqui fabulentur*, *illum per genitricis Dei latus editum eſſe*. *Neque enim hoc ei impoſſibile erat*, *ut per portam tranſiret*, *ſigillis ejus nulla parte labefactatis*. *Maneat ergo poſt partum virgo*, *quæ ſemper virgo manſit*.

S. Epiphanius hær. 77. §. 25. *Qui*, *ut dixi*, *carne*, *anima*, *& mente per naturales parturientium meatus re vera prodiit*. Et in Expoſitione fidei Catholicæ §. 15. *In Virginis utero re vera genitus*, *ac per genitales meatus in lucem editus ſine ulla turpitudine*, *fœditate*, *vel labe*.

(4) Vide D. Thomam 3. part. quæſt. 27. art. 6. ad 3.

(5) S. Antoninus 3. part. tit. 8. cap. 4. §. 11. *Neque laudandi ſunt*, *qui apocrypha pingunt*, *ut obſtetrices in partu Virginis*.

(6) S. Bernardus in Purificatione B. Mariæ ſerm. 3. §. 2. *Vere*, *o beata Virgo*, *vere non habes cauſſam*, *nec tibi opus eſt purificatione*. *Sed numquid filio tuo opus erat circumciſione*? *Eſto inter mulieres tamquam una earum*: *nam & filius*

ſuus

Templum, filium ſuum obtulit, & ſacrificium more pauperum *par turturum, aut duos pullos columbarum*, (7) non *propter neceſſitatem*, ſed *magis propter conſuetudinem Legis*. (8) Magna cum admiratione audiit, quæ de filio ſuo ab Simeone, & Anna prædicta ſunt: ac didicit, futurum, ut tantum animo dolorem caperet, quantus eſſe ſolet dolor ejus, qui gladio tranſverberetur. Quod ei contigit cum filium ſuum deſpectum ab omnibus, flagellis cæſum, ſpinis perfoſſum, crucifixumque conſpexit. (9)

3. *Ediſ-*

tuus ſic eſt in numero puerorum. Circumcidi voluit, & non multo magis velit offerri?

(7) *In hoc oſtenditur verum eſſe illud quod ſcriptum eſt, quia Chriſtus Jeſus* cum dives eſſet, pro nobis pauper factus eſt. *Ideo ergo & matrem, de qua naſceretur, elegit pauperem, & patriam pauperem, de qua dicitur:* Et tu Bethleem minima es in millibus Juda. Origenes in Levit. Hom. 8. Oper. tom. 2. pag. 230.

(8) S. Auguſtinus Quæſtionum in Heptateuchum lib. 3. quæſt. 40. in Leviticum §. 4.

(9) S. Auguſtinus epiſt. 149. cap. 3. §. 33. *Tribulationem igitur gladii nomine ſignificatam eſſe, credibile eſt, quo materna anima vulnerata eſt doloris affectu.*

S. Bernardus ſerm. in Dominica infra Octavam Aſſumtionis B. V. Mariæ §. 14. pag. 1018. *Vere tuam, o beata mater, animam gladius pertranſivit. Alioquin non niſi eam pertranſiens, carnem filii tui penetraret. Et quidem poſtquam emiſit ſpiritum tuus ille Jeſus (omnium quidem, ſed ſpecialiter tuus) ipſius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipſius (nec mortuo parcens, cui nocere non poſſet) aperuit latus, ſed tuam utique animam pertranſivit. Ipſius nimirum anima jam ibi non erat, ſed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertranſivit animam vis doloris, ut plus quam martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis excesſerit compaſſionis affectus.* V. Annotat. 14. Cap. VII.

3. *Ediſſere, quæ pertinent ad Feſtum Purificationis.*

R. Feſtum Purificationis B. Virginis dicitur etiam Feſtum Præſentationis Domini in Templo, Feſtum item Simeonis, & Annæ; Græci ὑπάντην, ſeu ὑπαπάντην, *occurſum* vocant *ab* occurſu, ſeu *obviatione tunc facta a ſene Simeone, & Anna vidua*, ut ait Ducangius in Gloſſario. (10) De ejus origine traduntur diverſa. Si Cedreno credere velis, imperante Juſtino ſeniore anno 527. inſtitutum eſt. In Compendio Pag. 289. Sub Juſtiniano Juſtini ſucceſſore Conſtantinopoli celebrari cœptum, ſcribunt Anaſtaſius Bibliothecarius in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Pag. 33. Ni-

Y 2

(10) Verbo *Hypapante* pag. 1275. tom. 3.

Joannes Gerſonius de directione cordis Conſiderat. 21. pag. 473. tom. 3. *Patet hoc de Feſto Purificationis, quod ideo Candelaria vulgo dicitur, quia portantur candelæ ardentes illa die in honorem puriſſimæ, & lucidiſſimæ Virginis Mariæ, quæ prius portari apud Gentiles conſueverunt in venerationem cujuſdam Deæ, & in luſtratione Urbis Romanæ.*

Bollandus ad diem 2. Februarii §. 1. num. 1. pag. 268. *Prima Chriſti Redemtoris noſtri myſteria in variis Palæſtinæ, ſive Terræ Sanctæ locis peracta ſunt: Annunciatio Angelica ad ſanctiſſimam Virginem Mariam, & Verbi Divini Incarnatio, in oppido Galilææ Nazaretho; ſolemnitas ejuſdem Virginis cognatam Eliſabetham viſitantis, in Montanis Judææ; at ſanctiſſima Chriſti in terris Nativitas, atque octavo die facta Circumciſio, nec non in Magorum ſive Regum adventu illuſtris Chriſti Epiphania ſive Apparitio in Bethleemo. Supererat urbs regia Hieroſolyma, aliquando paſſione Chriſti, morte, ac reſurrectione nobilitanda. In hac hujus ſolemnitatis myſteria 11. Februarii, quadrageſima ab Chriſto nato die, & primitus e decreto Divino facta ſunt, & deinde ab initio Eccleſiæ tam in ea urbe, quam in vicinis regionibus Orientalibus, ſacra memoria quotannis celebrata. Nomen feſto huic diei impoſitum* ἀπὸ τῆς ὑπαντῆς, ſive ὑπαπαντῆς, aut ὑπαντήσεως, *ab* Occurſu *ſive* Obviatione *tunc facta a ſene Simeone & Anna vidua, & deinde, ut infra patebit, quotannis ab Eccleſia ſacro ritu innovata.*

Nicephorus Calliſtus in Hiſtoria pariter Eccleſiaſtica lib. 17. cap. 28. & Sigebertus in Chronographia ad an. 542. (11) Propius vero eſt, quod ait Baronius in Martyrologium Romanum die 2. Februarii, *Gelaſium Romanum Pontificem, qui annis triginta ante Juſtiniani tempora Romanæ Eccleſiæ præfuit, hujus diei celebrandæ in Occidentali Eccleſia aperuiſſe viam; dum Lupercalia menſe Februario agi ſolita (ut ſcribit Varro lib. 5. de ling. Lat.) Romæ ad ea tempora permanentia legibus Eccleſiaſticis abrogavit. Exſtat ejuſdem Pontificis de ea re eruditiſſimus commentarius adverſus Andromachum Senatorem, ac ceteros Romanorum ſtudioſos Lupercalium.* (12) *Jure itaque opinamur, abrogatis Lupercalibus, Romæ (ſicut in multis accidit) ejuſmodi fuiſſe ſolemnitatem introductam, quam paullo poſt, Juſtiniani temporibus (ut vidimus) Orientalis Eccleſia recepit.* Alii ſecuti Rabanum Maurum de Ec-

(11) Hos & alios ſcriptores ſecutus Joſephus Binghamus lib. 20. Originum Eccleſiaſticarum cap. 8. §. 5. ſcribit, *hoc Feſtum ante ætatem* Juſtini, *vel* Juſtiniani *in Eccleſia non fuiſſe inſtitutum*, ſubjicitque ad extremum ex Leone Allatio, *Græcos in illis Feſtis id habere, quæ vocant feſta Dominica, hoc eſt in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti inſtituta*.
Tillemont annotat. 7. in Vitam Chriſti pag. 425. Diſcimus ex vita S. Theodoſii Abbatis Feſtum hoc celebratum Hieroſolymis medio ſæculo V. & videri tunc non fuiſſe omnino novum. Vide Allatii annotat. in S. Methodii convivium decem Virginum pag. 344.
(12) Lupercalia erant ſolemnia quædam ſacra, quæ die XV. Februarii Romæ fiebant in honorem Panis paſtorum Dei. Luſtratio erat ſacrum a luſtrando, hoc eſt circumeundo dictum, quod victimæ in eo ſacrificio, videlicet ſus, ovis, taurus, expiationis cauſſa circumducerentur. Vide Roſinum lib. 4. Antiquit. Rom. cap. 6. & cap. 17. & Ducangium in Gloſſario verbo *Candelaria*.
Januarius a Jano appellatus eſt: Februarius a Februis ſacris Lupercorum. S. Auguſtinus lib. 18. contra Fauſtum cap. 5.
Memoratus commentarius eſt in Annalibus Baronii ad an. 496. §. 30. & in Summa Conciliorum Labbei tom. 4. pag. 1234.

Eccleſiæ Ceremoniis lib. 2. cap. 33. S. Ildefonſum Archiepiſcopum Toletanum ſerm. in Purificatione S. Mariæ, & S. Eligium Antiſtitem Noviomenſem hom. 2. in die Purificationis, exiſtimant, Feſtum hoc beatæ Virginis ſubſtitutum in locum Luſtrationis Urbis, quæ fiebat eodem menſe. (13) Ut Baronio magis credam, facit Honoratus a S. Maria, qui tom. 2. Animadverſionum in Regulas & uſum Critices lib. 3. differt. 5. art. 1. §. 3. probat, ſanctos illos Epiſcopos deceptos fuiſſe. Non ſolum enim luſtrationi Urbis, quam ipſi menſe Februario fieri ſolitam dicunt, nullus in Kalendario Romanorum præſtitutus dies invenitur, ſed etiam conſtat, abrogata fuiſſe Lupercalia ab Gelaſio, Luſtrationem non item. Non igitur Luſtrationi, ſed Lupercalibus Feſtum Purificationis B. Mariæ Virginis ſubrogatum eſt. (14) Jam vero *Litaniam*, ſeu *Proceſſionem*, uti vocamus, a Sergio I. Pontifice inſtitutam fuiſſe, ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius in ejus vita his verbis: *Conſtituit, ut diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis ſanctæ Dei genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, ac Sancti Simeonis, quod* Pag. 154.

 Hy-

(13) S. Ildefonſus tom. 12. Maximæ Bibliothecæ veterum Patrum pag. 589. & S. Eligius pag. 303.

(14) Idem Honoratus §. ſequente 4. refellit Henſchenium, ac proinde etiam alios, qui a primis Chriſtianæ Eccleſiæ ſæculis, ipſiſque Apoſtolis hujus Feſti originem repetunt.

Henſchenius apud Bollandum die 2. Februarii in Commentario Hiſtorico de Hypapante Domini, & Purificarione B. Mariæ ob *antiquam hujus diei celebritatem in Palæſtina, & Phœnicia, apud Syros, Cyprios, Aſiaticos, in Eccleſia Græcorum Conſtantinopolitana, & Ægyptiorum Coptica*, itemque *apud Latinos, potius S. Auguſtini regulam lib.* 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas *cap.* 24. *hic proponit, qua id*, quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.

Hypapantem *Græci appellant, Litania exeat a Sancto Hadriano; & ad ſanctam Mariam populus occurrat.* Id quoque ſcriptum reperio in Ordine Romano, qui incluſus eſt tomo XIII. Bibliothecæ Patrum. *In geſtis Pontificalibus legitur, quod Sergius Papa præceperit Litanias fieri in die Præſentationis Domini in Templo.* Eumdem præcepiſſe etiam uſum cereorum ſeu candelarum, affirmant aliqui. Sed ex Sophronii Epiſcopi Hieroſolymitani oratione de Hypapante, quæ legitur apud Bollandum IV. Nonas Februarii, perſpicuum eſt, morem illum obtinuiſſe ſæculo VII. antequam Sergius Pontifex eſſet. Quod item cognoſcitur ex S. Ildefonſo, & S. Eligio, quorum alter anno 667. alter 665. circiter viceſimo ante Pontificatum Sergii deceſſit. Hi namque in ſermonibus, quos modo memoravi, (ſi tamen eorum ſunt) de hoc cereorum myſterio diſputarunt. (15)

Pag. 667.
Pag. 274.

(15) Baronius in annotat. ad Martyrologium Romanum die 2. Februarii: *Porro ante Chriſti adventum cereorum in ſingulos diſtributio a Gentilibus fieri conſuevit in Saturnalibus, quæ agebantur menſe Decembris, ut tradit Macrobius lib. 1. Saturnalium. Putamus, ſicut & de multis aliis contigit, uſum illum ſuperſtitionis Gentilium ſacris ritibus expiatum, ac ſacroſanctum redditum in Dei Eccleſiam eſſe laudabiliter introductum.*

CAP.

CAP. VI.

De Maria Virgine a purificatione uſque ad mortem.

1. *Quid narrant Evangeliſtæ de Maria Virgine ab ejus purificatione uſque ad baptiſmum Chriſti?*

℟. HÆc duntaxat: eam, ut ab imminenti Matth.
puerorum cæde, quam Herodes indixe- II. 14.20.
rat, filium ſuum Jeſum ſubtraheret, cum ipſo & 23.
Joſepho ſponſo ſeceſſiſſe in Ægyptum; reverſam in terram Iſrael habitaſſe in Urbe Nazareth; inde Hieroſolymam cum Joſepho quotannis confer- Luc. II.
re ſe conſueviſſe ad Paſcha celebrandum, (1) 41. 42.
puerum Jeſum annos jam duodecim natum ſe- 46. 48.
cum duxiſſe: amiſſum, ac triduo poſt inventum in Templo cum doctoribus diſputantem, allocutam eſſe verbis his: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* (2)

(1) S. Ambroſius lib. 2. de Virginibus cap. 2. §. 14. *Annis quoque omnibus ibat in Hieruſalem ſolemni die Paſchæ, & ibat cum Joſeph. Nec ad Templum igitur Maria ſine pudoris ſui cuſtode proceſſit.*

(2) S. Auguſtinus ſerm. 51. cap. 11. §. 18. *Non eſt prætermittenda maxime propter diſciplinam feminarum tam ſancta modeſtia Virginis Mariæ. Chriſtum pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei*: Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. *Meruerat parere Filium Altiſſimi, & erat humillima, nec ſe marito nec in ordine nominis præferebat, ut diceret: Ego, & Pater tuus, ſed* Pater tuus, *inquit*, & ego. *Non oſtendit ſui uteri dignitatem, ſed attendit ordinem conjugalem.*

Nota, apud Evangeliſtas Mariam cum Chriſto aliquoties colloquentem induci, Joſeph numquam.

2. Tradunt ne, cui illa operi vacaret?

Cap. XIII. 55. ℞. Joſephum quidem *fabrum* fuiſſe, dicit S. Matthæus: at cui operi Maria vacaret, nullus ſignificavit Evangeliſtarum. Haud tamen ambigam, quin Maria, quemadmodum Joſeph, honeſto aliquo artificio & ſibi, & filio neceſſaria ad victum comparare ſtuduerit. Nam, ut ait S. Baſilius cap. 4. Conſtitutionum Monaſticarum §. 6. *cum homines illi eſſent juſti quidem & pii, ſed pauperes, & rebus ad vivendum neceſſariis non admodum inſtructi; cujus rei teſtis eſt præſepe, quod venerando partui inſervivit: erant, ut veriſimile eſt, laboribus corporis aſſiduis dediti, ſic ut hac ratione res neceſſarias ſibi ipſis compararent.* (3) Itaque arbitror, Mariam idcirco *Quæſtuariam* dictam a Tertulliano in libro de Spectaculis cap. 30. & a D. Hieronymo extrema epiſt. 1. ad Heliodorum, quod quæſtum manu ſua atque arte faceret. (4) *Quam* vero *ſpecialiter artem coleret, non perinde conſentire Eccleſiæ Patres*, ſcribit Theologus Serry Exercitat. 47. §. 7. aſſeverans Mariam Virginem *La-*

[Margin: Pag. 549. tom. 2. — beside "ſilius cap. 4."; Pag. 4. — beside "D. Hieronymo"]

Nota illud etiam, quod eſt apud D. Thomam 3. part. quæſt. 28. art. 3. ad 6. eam *in Evangelio non conſueviſſe nominari niſi cum cognomine hujus dignitatis, quod ſit* mater Jeſu.

Nota demum, (quod ab aliis quoque obſervatum eſt) eam numquam a Chriſto Domino vocari nomine *Mariæ*.

(3) Origenes lib. 1. contra Celſum §. 38. pag. 346. ſcribit, illum Chriſtianis probro vertiſſe, quod Chriſtus *ſit ortus ex matre paupercula, nendoque victum quæritante.*

(4) Tertulliani verba ſunt ex perſona inimicorum Chriſti: *Hic eſt ille, dicam, fabri, aut quæſtuariæ filius, Sabbati deſtructor, Samarites, Dæmonium habens.* Quem locum ante oculos habuit Hieronymus, cum ait: *Hic eſt ille operarii, & quæſtuariæ filius: hic, qui matris geſtatus ſinu, hominem Deus fugit in Ægyptum: hic veſtitus coccino, hic ſentibus coronatus, hic Magus Dæmonium habens, & Samarites.*

Lanariam dici ab Anſelmo, *Induſiariam* ab Epiphanio, *Textricem*, *ex lana ſcilicet*, *lino*, *ſerico*, *&* *byſſo*, ab Hieronymo, & Venerabili Beda. At nullo modo indicat, quo loco id ſcriptores illi affirmaverint. Det igitur hanc veniam, ut liceat aſſenſum ſuſtinere, donec eorum teſtimonia proferantur. (5)

3. *Num-*

(5) Hyacinthi Serry verba ipſa ſunt hæc ex citata exercitat. 47. §. 7. *Quam ſpecialiter artem coleret*, *non perinde conſentiunt Eccleſiæ Patres*. Lanariam *enim ſcribit Anſelmus*, induſiariam *Epiphanius*: textricem, *ex lana ſcilicet*, *lino*, *ſerico*, *&* *byſſo*, *Hieronymus*, *&* *Venerabilis Beda*.

In Mantiſſa vero ad Animadverſiones Anticriticas, Animadverſione VI. pag. 20. ita reſpondet ſciſcitationi meæ: *Aſt dabit & ipſe* (ſcriptor hiſtoriæ Familiæ Sacræ) *veniam*, *ſi cum non vacet modo omnia laudatorum Patrum Anſelmi*, *Epiphanii*, *Hieronymi*, *Bedæ monumenta revolvere*, *ut deſiderata ſingulorum teſtimonia conquiram*: *eum ipſi Auctorem indigitem*, *ex cujus fide totum id ſcripſi*, *imo etiam ſyllabatim exſcripſi*. *Eſt ille non acutulus quidam ſophiſta*, *ſed Theologus præſtantiſſimus* Vincentius Contenſonius *in* Theologia mentis, & cordis *lib.* 10. de Deo cum hominibus converſante, *diſſertat. 6. cap. 1. ſpeculatione I.* Et interjectis Contenſonii verbis: *Idcirco vero ad conquirenda ſingulatim laudatorum Patrum teſtimonia animum non adjeci olim*, *nec adjicere juvat modo*: *quia ubi ſemel probatum manet*, *quod mihi tunc probandum aſſumſeram*, *Virginem Deiparam*, *non ſecus ac Joſeph*, honeſtam artem ad vitæ quæſtum exercuiſſe, *ſupervacaneum omnino eſt*, *quænam illa fuerit*, *lanariane*, *an induſiaria*, *num forte textrix*, *in Patrum ſcriptis inquirere*.

Fecit Theologus ſat liberaliter, cum mihi roganti *Auctorem indigitavit*, *ex cujus fide id totum*, de quo quærebam, *ſyllabatim exſcripſit*: facit vero liberaliſſime, cum præterea ſubjungit, ſe *nec modo*, *nec olim* (hoc eſt cum ederet Exercitationes Hiſtoricas, Criticas, Polemicas, quibus Chriſtianæ religionis Myſteria omnia ad certam hiſtoriæ fidem exiguntur, explicantur, defenduntur) *ad conquirenda Patrum teſtimonia animum adjeciſſe*. Quo fit, ut cum ille non fontes, ſed rivulos ſe olim adiiſſe confiteatur, ſemper timendum ſit, ne, dum Anſelmum, Epiphanium, Hieronymum, Bedam, aut alios Patres occentat, nobis erectis in vanam ſpem aut Contenſonium, aut alium Theologum Contenſonio ſimilem, *ſyllabatim exſcriptum* loco Patrum obtrudat.

3. *Numquid habent de baptiſmo ejus?*

℞. Nihil omnino. Eam ob rem non conſtat, a quo baptiſmum ſuſceperit. Rentur aliqui, baptizatam fuiſſe a Chriſto, ſecuti Euthymium, cujus hæc ſunt ex commentario in Evangelium Joannis cap. 3. *Scribunt quidam Apoſtolorum temporibu proximi, quod Chriſtus Petrum, ac Virginem Matrem baptizavit: Petrus vero reliquos Apoſtolos.* Hæc ille, quæ an vera ſint, neſcio. Nam leviorem auctorem Euthymium id facit, quod mentionem ejus rei in vetuſtioribus monumentis nullam invenio. (*6*)

Bibl. Patr. tom. 19. pag. 671.

4. *Fuit ne Chriſti prædicantis perpetua comes?*

℞. S. Joannes Chryſoſtomus arbitratur, Chriſtum voluiſſe, ut illa in Urbe Capharnaum maneret. Namque hom. 22. in Joan. explanans verba hæc: *Deſcendit Capharnaum ipſe, & mater ejus, & fratres*, loquitur in hunc modum. *Quanam gratia cum matre abiit Capharnaum? Neque*

Pag. 117.

enim

(*6*) Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. l. 4. part. 2. c. 21. n. 14. *Conſtat, tria Sacramenta non fuiſſe Virgini collata, id eſt, Sacrum Ordinem, cujus non erat capax propter femineum ſexum; Pœnitentiam, cujus materiam non habuit; Matrimonium, quod ab eadem contractum non eſt, poſtquam in Sacramentum novæ Legis eſt inſtitutum: de Baptiſmo vero, Confirmatione, & Euchariſtia concors eſt Theologorum ſententia, quod ea Sacramenta fuerint a Virgine Maria recepta: & ſola inter eos remanet controverſia, an Extremam Unctionem receperit, cujus reſolutio pendet ab ea quæſtione, an, ut homo ſit capax Extremæ Unctionis, neceſſarium ſit, quod actualiter peccaverit: ſi enim hoc neceſſarium non eſt, Maria Virgo fuit ejus capax: & ideo veriſimile eſt, quod Sacramentum etiam illud ſuſceperit tum propter ejuſdem fructum, tum propter Fidei, ac Fidelium ædificationem, & humilitatis exemplum. Legi poteſt Suarez* in 3. part. tom. 2. quæſt. 27. art. 4. diſput. 18, ſect. 3.

enim illic ullum fecit miraculum, neque incolæ recte de ipſo ſentiebant, ut ipſe Chriſtus oſtendit. Et tu Capharnaum uſque ad Cælum elata, uſque ad infernum defereris. (Joan. II. 12.) *Quoniam, ut mihi videtur, cum paullo poſt eſſet Hieroſolymam aſcenſurus, ante Capharnaum petiit, ne quocumque fratres ſecum & matrem traheret. Parum igitur illic matris gratia commoratus, iterum miracula aggreditur*. (Luc. X. 15.) Contra vero a S. Epiphanio hær. 78. §. 9. dicitur *cum Salvatore ipſo verſata aſſidue*, & §. 13. *fuiſſe perpetua Chriſti comes, nec ab ejus conſortio divulſa*. Et ſane cum mulieres aliæ e Galilæa Chriſtum ſequerentur, (7) quæ umquam dignior honore tanto, quæ illi benevolentior, atque ideo ad miniſtrandum promptior ipſa matre ejus? Hoc tamen non legitur in Scripturis ſanctis. (Matth. XXVII. 55. Luc. VIII. 3. & XXIII. 55.)

5. *Quid in Evangelio memoratur de B. Virgine tempore prædicationis Chriſti?*

℞. Memorantur hæc: ipſam una cum Chriſto interfuiſſe nuptiis in Cana Galilææ celebratis, (Joan. II. 1. 12.) cumque vino deficiente, ei dixiſſet: *Vinum non habent*, hoc ab eo tuliſſe reſponſum: *Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea*. (8) Poſtea

(7) Vide caput XI. de prædicatione Chriſti Interrog. 8.

(8) S. Thomas 3. part. quæſt. 27. art. 4. *Et Joan. 2. ſuper illud*: Vinum non habent, *dicit idem Chryſoſtomus* (*hom.* 20.) *quod* volebat jam eum gratiam hominum conciliare, & ſe ipſam clariorem facere per filium, & fortaſſis quid humanum patiebatur, quemadmodum & fratres ejus dicentes: Manifeſta te ipſum mundo: *Et poſt pauca ſubdit*: Nondum enim, quam oportebat, de eo opinionem habebat. *Ad hoc dicendum, quod in verbis illis Chryſoſtomus exceſſit. Poſſunt tamen exponi, ut intelligatur in ea Dominum cohibuiſſe non inordinatum inanis gloriæ motum quantum ad ipſam, ſed id quod ab aliis poſſet æſtimari.*

Et vero Chryſoſtomus ita concludit cit. hom. 20. in Joan.

ea cum eodem filio ſuo, fratribus, & diſcipulis ejus profectam eſſe Capharnaum, ibique manſiſſe
Marc. III. 31. paucos dies. Eamdem cum iiſdem fratribus veniſſe ad Chriſtum in domo neſcio qua concionantem, & cum illi non poſſent ipſum adire præ turba, miſiſſe qui nuntiarent, ſe foris eſſe cupientes loqui cum eo. (9)

6. *Quid*

Joan. pag. 101. *Non ſunt igitur hæc liberius ad matrem loquentis, ſed divinæ diſpenſationis verba, ut admoneret pro dignitate miracula facienda*. Vide Pererium in Evangelium Joannis cap. 2. diſputat. 7.

S. Auguſtinus de Fide & Symbolo cap. 4. §. 9. *Deteſtandi etiam illi ſunt, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum matrem Mariam in terris habuiſſe, negant. Nec nos ad negandum Chriſti matrem cogit, quod ab eo dictum eſt:* Quid mihi, & tibi mulier? nondum venit hora mea. *Sed admonet potius, ut intelligamus ſecundum Deum non eum habuiſſe matrem, cujus majeſtatis perſonam parabat oſtendere, aquam in vinum convertendo. Quod autem crucifixus eſt, ſecundum hominem crucifixus eſt: & illa erat hora, quæ nondum venerat, quando dictum eſt:* Mihi & tibi quid eſt? nondum venit hora, *id eſt, qua te cognoſcam. Tunc enim ut homo crucifixus cognovit hominem matrem, & dilectiſſimo diſcipulo humaniſſime commendavit*.

S. Cyrillus Alexandrinus in Joan. Evangel. lib. 2. cap. 22. pag. 444. *Vino autem deficiente, mater ejus, quæ univerſa illi poſſibilia eſſe non ignorabat, hortatur, ut ſolita ſua bonitate atque miſericordia uteretur:* Vinum *enim, ait*, non habent.

(9) S. Auguſtinus in Joan. tract. 10. §. 2. *Unde fratres Domino? Num enim Maria iterum peperit? Abſit. Inde cœpit dignitas virginum: Illa femina mater eſſe potuit, mulier eſſe non potuit. Dicta eſt autem mulier ſecundum femineum ſexum, non ſecundum corruptionem integritatis, & hoc ex lingua ipſius Scripturæ. Nam & Eva ſtatim facta de latere viri ſui, nondum contacta a viro ſuo, noſtis, quia mulier appellata eſt:* Et formavit eam in mulierem. *Unde ergo fratres? Cognati Mariæ fratres Domini, de quolibet gradu cognati. Unde probamus? Ex ipſa Scriptura. Frater Abrahæ dictus eſt Loth, qui filius erat fratris ipſius. Lege, & invenies, quia Abraham patruus erat Loth, & dicti ſunt fratres. Unde, niſi quia cognati? Item Jacob Laban Syrum habebat avunculum:*

fra-

Digitized by Google

6. *Quid tempore mortis?*

℞. Eam a Chriſto moriente Joanni Apoſtolo commendatam fuiſſe, (10) eamque non ſecus, ac Mariam Cleophæ, & Mariam Magdalenam, ſtetiſſe juxta crucem Jeſu: atque ideo non defeciſſe, nec cecidiſſe ſemianimem, ut nonnulli exiſtimarunt, qui confutantur etiam auctoritate S. Ambroſii, apud quem hæc ſcripta ſunt: *Sed nec Maria minor, quam matrem Chriſti decebat, fugientibus Apoſtolis ante crucem ſtabat, & piis ſpectabat oculis filii vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, ſed mundi ſalutem*. Idem alio loco, *Stabat*, inquit, *ante crucem mater, & fugientibus viris ſtabat intrepida. Stabat non degeneri mater ſpectaculo, quæ non metuebat peremtorem. Pendebat in cruce filius, mater ſe perſecutoribus offerebat, non ignara myſterii, quem genuiſſet, reſurrecturum*. Idemque alibi: *Stantem illam lego, flentem non lego*. (11) Et eodem modo S. Antoninus in Summa part. 4. tit. 15. cap. 41. §. 1. *Stabat verecunda, modeſta, lacrymis plena, doloribus immerſa; Et tamen ita divinæ voluntati conformis, ut*

Joan. XIX. 25. 26. 27. Bar. ad an. 34. §. 119.

frater enim erat Laban matris Jacob, id eſt Rebeccæ uxoris Iſaac. Lege Scripturam, & invenies, quia fratres dicuntur avunculus & ſororis filius. Qua regula cognita, invenies, omnes conſanguineos Mariæ fratres eſſe Chriſti. Vide Natalem Alexandrum differtat. 48. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæc. IV. pag. 623. tom. 4.

(10) S. Auguſtinus tract. 119. in Joannis Evangelium §. 3. *Sic debemus accipere quod dictum eſt* Joan. cap. XIX. 27. Ex illa hora ſuſcepit eam diſcipulus in ſua, *ut ad ejus curam quidquid ei eſſet neceſſarium, pertineret. Suſcepit ergo eam in ſua, non prædia, quæ nulla propria poſſidebat, ſed officia, quæ propria diſpenſatione exequenda curabat.*

(11) In Lucam cap. 23. lib. 10. §. 32. pag. 1532. de Inſtitutione Virginis cap. 7. §. 49. pag. 261. & in Conſolatione de Obitu Valentiniani §. 39. pag. 1185.

ut dicere audeam, quod ſi nullus fuiſſet repertus, qui filium crucifigeret, ad hoc ut ſequeretur ſalus hominum, & adimpleretur voluntas Dei ſecundum rationem, ſi oportuiſſet, ipſa poſuiſſet in crucem. Neque enim credendum eſt minoris fuiſſe perfectionis, & obedientiæ ad Deum, quam Abraham, qui proprium filium obtulit in ſacrificium propriis manibus occidendum & comburendum. Stabat ergo fixa in Dei voluntate. (12)

7. Quid poſt Aſcenſionem Chriſti?

Cap. I. 14. ℞. Prorſus nihil: tamen D. Lucas in Actis Apoſtolorum prodit, eam fuiſſe cum Apoſtolis, aliiſque tum viris, tum mulieribus, qui fundendis ad Deum precibus concorditer intenti, Spiritum Sanctum a Chriſto promiſſum expectabant.

Hær. 78. §. 11. De reliqua vita ejus, ut S. Epiphanii verbis utar, *penitus Scriptura conticeſcit: id quod propter admirationis vehementiam factum arbitror, ne hominum animos majorem quemdam in ſtuporem conjiceret*. Dominus, ut ſcribit idem Epiphanius,

Hær. 79. §. 3. & 7. *non ei baptizandi poteſtatem fecit, non diſcipulis benedicere, non in terris præeſſe mandavit, ſed hoc unum voluit, ut ſanctum quid, & conſecratum eſſet, ac cæleſte regnum adipiſceretur*. (13)

CAP.

(12) Vide Franciſcum Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thomæ diſputat. 4. ſect. 3. & diſputat. 41. ſect. 2. Toletum in Luc. cap. 2. annotat. 57. Gretſerum de Cruce lib. 2. cap. 4.

(13) S. Chryſoſtomus in Act. hom. 3. pag. 472. exiſtimat, Apoſtolos Spiritus Sancti inſtinctu noviſſe omnia, quæ a Chriſto facta ſunt uſque ad tempus illud, quo S. Joannes Baptiſta cœpit baptizare. *Quæ prius*, inquit, *fuerant facta, nemo noverat edoctus, ſed Spiritu didicerant*. Quod ſi verum eſt, dici probabiliter poteſt, numquam Mariam Virginem opera Chriſti Apoſtolis narraſſe.

Aliter S. Bernardus ſuper *Miſſus eſt* hom. 4. §. 6. *Vel ideo po-*

Digitized by Google

C A P. VII.

De morte, & Aſſumtione Mariæ Virginis.

1. *Maria Virgo vere ne mortua eſt?*

℞. ID dubitavit affirmare S. Epiphanius hær. 78. §. 11. propter ſilentium Scripturarum. *Quod ſi*, inquit, *falſo jactari quiſpiam a nobis exiſtimat, licet ſacrarum litterarum veſtigia conſectari, in quibus nullam de Mariæ obitu mentionem reperiet, mortua ſit, nec ne, ſepulta, an non ſepulta fue-*

potius conceptus Eliſabeth Mariæ nunciatus eſt, ut dum nunc Salvatoris, nunc Præcurſoris edocetur adventum, rerum tempus & ordinem tenens, ipſa melius poſtmodum Scriptoribus aut Prædicatoribus Evangelii reſeraret veritatem, quæ & plene de omnibus a principio cælitus fuerit inſtructa myſteriis.

S. Thomas 3. part. quæſt. 27. art. 4. *Simpliciter fatendum eſt, quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commiſit, nec mortale, nec veniale: ut ſic in ea impleatur, quod dicitur Cant.* 4. Tota pulcra es amica mea, & macula non eſt in te.

Et art. 5. ad 3. *Non eſt dubitandum, quin B. Virgo acceperit excellenter donum Sapientiæ, & Gratiam virtutum, & Prophetiæ: non tamen accepit, ut haberet uſus harum, & ſimilium gratiarum, ſicut habuit Chriſtus, ſed ſecundum quod conveniebat conditioni ipſius. Sapientiæ enim uſum habuit in contemplando, ſecundum illud Luc.* 2. Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. *Non autem habuit uſum Sapientiæ quantum ad docendum, quia hoc non conveniebat ſexui muliebri, ſecundum illud* 1. *ad Timoth.* 2. Docere autem mulieri non permitto. *Miraculorum autem uſus ſibi non competebat, dum viveret: quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Chriſti miraculis; & ideo ſoli Chriſto, & ejus diſcipulis, qui erant bajuli doctrinæ Chriſti, conveniebat miracula facere. Propter quod etiam de Joanne Baptiſta dicitur Joan.* 10. *quod* ſignum fecit nullum, *ut ſcilicet omnes Chriſto intenderent. Uſum autem Prophetiæ habuit, ut patet in Cantico, quod fecit:* Magnificat anima mea Dominum.

fuerit. Ac cum Joannes interim in Aſiam profectus ſit, nuſquam tamen B. Virginem itineris comitem ſecum illum habuiſſe ſignificat, ſed de ea re penitus Scriptura conticeſcit: id quod propter admirationis vehementiam factum arbitror, ne hominum animos majorem quemdam in ſtuporem conjiceret. Ego enim pronuntiare illud vereor, & tacita apud me cogitatione reputans, mihi ſilentium indico. Quippe haud ſcio, an de ſanctiſſima illa, ac beatiſſima Virgine obſcura quadam inveniri veſtigia poſſint, quæ incertam nobis illius mortis fidem faciant. Nam ex una
Luc. II. 35. *parte illud occurrit, quod de illa pronuntiat:* Et
Cap. XII. tuam ipſius animam pervadet gladius, ut rete-
12. 13. gantur ex multorum cordibus cogitationes. *Aliunde vero in Apocalypſi Joannis legimus:* Draconem adverſus mulierem properaſſe, quæ marem pepererat, & datas ei eſſe pennas aquilæ, & translatam eſſe in deſertum, ne eam Draco comprehenderet. *Quamquam illud non affirmo penitus, neque aut immortalem perſeveraſſe definio, aut utrum mortua ſit, confirmare poſſum. Quippe Scriptura ſacra, mentis humanæ captum prætergreſſa, rem in incerto reliquit, propter vas illud eximium ac præſtans, ne quis carnis propriam ullam ei fœditatem adſcribat. Sive igitur mortua ſit, neſcimus: ſive conſepulta ſit, non tamen ullam eſt conjunctionem corporis experta: abſit, ut illud exiſtimemus.* (1) Explicat Epiphanium Baronius ad an. 48. §. 11. & 12. & ab eo diſſentit quam modeſtiſſime: quod non

(1) Idem S. Epiphanius hær. 78. §. 23. *Sive mortua eſt Virgo ſanctiſſima, ac ſepulta, ſummo cum ſplendore conjuncta mors illius eſt, & caſtiſſimus exitus, ac virginitatis ei corona conceſſa: ſive interfecta, ut indicare Scriptura videtur his verbis:* Et ipſius animam pertranſibit gladius: *gloriam martyres inter, ac decus obtinet, & ſacrum illius corpus omni felicitate cumulatum eſt, per quam mundo lumen illuxit. Poteſt denique & in vita manſiſſe. Poteſt enim Deus, quidquid libuerit, efficere: nam de illius exitu nihil certe conſtat.*

non præſtat Hyacinthus Serry, qui Exercitat. 65. §. 2. & 3. elumbem vocat rationem S. Epiphanii, eamque contrariam eſſe dicit notiſſimis Scripturæ locis, quorum ignorationem viro doctiſſimo exprobrare non dubitat, ipſumque audaciæ notare. *Hæc Epiphanius*, Baronius inquit, *qui cum ageret adverſus hæreticos carnis ſpurcitiis illam ſanctiſſimam, atque omni labe puriſſimam calumniantes: ipſe contra, quo magis illorum procaciam retunderet, eo excellentiæ efferre conatus eſt, ut ſicut Henoch olim translatus, vel Elias igneo curru in ſublime elevatus eſt; ſic diceret, ipſam abſque obitu e terrenis ad cæleſtia aſſumtam fuiſſe: cum præſertim viſio ab ipſo citata ex Joannis Apocalypſi de muliere, cui, quo alio tranſvolaret, datæ ſunt alæ, eidem ſacramento ſatis eſſe accommodata videretur. Hæc tamen quantumvis aliquo jure, ratione, atque exemplis firmare quoquo modo potuiſſe videretur; modeſte tamen abſtinuit, & ad neutram partem inclinans, ſatis eſſe cenſuit, vel hac ex parte ſublimem illam Dei genitricis excellentiam hoſtibus demonſtraſſe, & quam illa procul fuerit ab omni carnis illecebra, quæ nec an mortua fuerit, poſſet ex divinis Scripturis oſtendi, eiſdem inſinuaſſe. Ceterum condonandum illi, ſi (quod & aliis ſanctiſſimis atque eruditiſſimis viris ſæpe accidiſſe reperitur) dum ardentiori ſtudio in hoſtes invehitur, vehementiori impetu in contrariam partem actus lineam videatur aliquantulum veritatis eſſe tranſgreſſus. Catholica quippe Eccleſia nullam de obitu Dei genitricis dubitationem admittit, ſed quam novit humanæ fuiſſe naturæ conſortem, humanam pariter moriendi neceſſitatem expertam affirmat.* (2) Hæc Baronius. Hyacinthus

Z

(2) Oratio ſecreta Miſſæ in Aſſumtione B. M. Virginis: *Subveniat, Domine, plebi tuæ Dei genitricis oratio, quam etſi pro conditione carnis migraſſe cognoſcimus, &c.*

Ma-

thus autem Serry. *Quam elumbis*, inquit, *ratio illa ſit, qua in eam dubitationem adductus eſt Epiphanius, nemo non videt. Quid enim neceſſe eſt, Deiparæ mortem ſacris in Litteris enarrari, ut hanc ipſi tandem aliquando contigiſſe fateamur? Quaſi non hoc ſatis ad certam probationem eſſe debeat, quod tam diſerte, tam luculenter ſacræ Litteræ confitentur:* Statutum eſt hominibus ſemel mori, *ad Hebræos* 9. 27. Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem? *Pſal.* 88. *ver.* 49. Et paucis interjectis: *Nonnulli Epiphanio ſecutis temporibus audaciores, Deiparę mortem non modo in dubium vertere, verum etiam perfracte negare auſi ſunt.* Itaque ſi nonnulli fuerunt Epiphanio audaciores, fuit audax Epiphanius.

2. *Quo in loco mortua eſt?*

℞. Hieroſolymis. Nam S. Joannes Damaſcenus hom. 2. in Dormitionem B. M. Virginis §. 18. narrat ex *Euthymiaca hiſtoria*, Juvenalem Epiſcopum Hieroſolymorum Marciano & Pulcheriæ Auguſtis de retegendo, ſicubi eſſet, Mariæ corpore ſolicitis reſpondiſſe, Hieroſolymis mortuam, & Gethſemani ſepultam. Idemque tradit Andreas ex Monacho & Presbytero Hieroſolymitano Epiſcopus Cretenſis, cum oratione 2. in Dormitionem ſanctiſſimæ Deiparæ affirmat, illam in monte Sion, qui pars eſt Urbis Hieroſolymitanæ, *naturę obſecutam legibus finem vitæ accepiſſe*. (3) Quod

Pag. 879. tom. 2.

Maria Virgo *quindecim ante diebus ſuum exitum cognovit, triduoque ante Archangelus ad eam venit præmium portans*. Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum pag. 149. Vide Lambertinum de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 14. num. 12.

(3) Tom. 10. Bibl. Patr. pag. 657. Idem eodem loco refert, in domicilio ejus *ſtratæ ad pavimentum tabulæ ſacrorum caſtiſſimi corporis genuum recubitus* impreſſos fuiſſe.

Quod ipſum docet Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum pag. 149. & Nicephorus Calliſtus lib. 15. Hiſt. Eccl. cap. 14. Illud tamen monet Baronius ad an. 48. §. 18. 19. *haud multum ante tempora Juvenalis ſepulcrum Mariæ Virginis fuiſſe repertum*. (4) *Qua enim*, inquit, *ratione Epiphanius Hieroſolymis ſæpe verſatus* (*ut tradit Hieronymus* ep. 61. ad Pammachium) *ſe ambigere ait*, Pag. 452. *an mortua fuerit*, *ſi ejus ſepulcrum ob oculos omnium poſitum*, *perſpicuum omnibus factum eſſet? Vel quomodo de eo mentionem facere Hieronymus* epiſt. 27. *prætermiſiſſet*, *qui relegens cuncta Palæſtinæ loca*, Pag. 174. *quæ S. Paula Roma veniens inviſit*, *& ut taceam de Chriſti ſepulcro*, *alia cuncta*, *quæ ibi erant memoria digna monumenta recenſet*, *ut duodecim Patriarcharum*, *Joſue*, *Eleazari filii Aaron*, *Eliſæi*, *Abdiæ*, *Michææ*, *Joannis Baptiſtæ*, *Lazari*, *nec non & mauſoleum Helenæ Adiabenorum Reginæ*, *quæ tempore Claudii populum fame laborantem pavit? Quis adduci poteſt*, *ut credat unum tantum Dei genitricis ſepulcrum a Paula ſpretum*, *ut non inviſerit*; *vel Hieronymo mente excidiſſe*, *ut non meminerit*, *cum præſertim agens de Gethſemani in libro de locis Hebraicis* (pag. 367. tom. 8.) *unam tantum illic erectam Eccleſiam*, *ubi Dominus in horto oravit*, *affirmet*, *nec de contiguo eidem loco Dei genitricis ſepulcro vel verbum faciat?*

3. *Probatur ne ab omnibus teſtimonium Euthymii*, *& Juvenalis?*

℟. Non probatur ab iis, qui Mariam Epheſi obiiſſe, contendunt. Itaque eruditiſſimus Tillemontius annot. 15. in S. Virginem, & qui eum ſe-

(4) Juvenalis fuit Epiſcopus primum Epheſinus, deinde Hieroſolymitanus, duobus Oecumenicis Conciliis interfuit anno 431. Epheſino, & anno 451. Chalcedonenſi.

quitur Theologus Serry Exercit. 65. §. 4. Euthymii Hiſtorici teſtimonium non admittit, propterea quod ſit *ſcriptor tota retro antiquitate ignoratus*. Juvenalem vero ait, ſi re vera ſupra dictum reſponſum Marciano dederit, non *integram illico fidem facere: quem lubricę fidei virum, turbarum in Latrocinio Epheſino excitatarum incentorem, variorum criminum reum, & falſatorem inſtrumentorum manifeſtum dicunt S. Cyrillus Alexandrinus, & S. Leo Romanus Pontifex*. Sed hæc dici videntur minus conſiderate. Nam Euthymium tota retro antiquitate ignoratum nemo jure dixerit, niſi ille, ſi quis inter homines talis eſt, qui omnia antiquitatis monumenta legerit, atque certo ſciverit, nulla eſſe, quæ de hoc Euthymio narrent, nulla periiſſe, quæ narrarent. (5) Porro autem ad refellendum Juvenalis teſtimonium non ſatis eſt dicere, illum fuiſſe virum parum Catholicum, improbum, atque ideo ad falſa comminiſcen-

(5) Vide annotat. 18. ad cap. 19. de imaginibus Chriſti non manu factis.

Honoratus a S. Maria tom. 1. Animadverſionum in Regulas & uſum Critices diſſertat. 3. art. 2. §. 3. pag. 263. *Omnes norunt, Launojum Doctorem Sorbonicum in plerisque libris, quos in lucem edidit, illud poſuiſſe pro certo, habendas eſſe in fabulis res omnes extraordinarias, omneſque eventus, de quibus nulla eſt mentio apud Auctores, qui ſcripſerunt eo ferme tempore, quo res contigiſſe traduntur. Sed cum Doctor hic animadvertiſſet, non omnes de ea regula conſentire, tractatum emiſit ad ſtabiliendam auctoritatem argumenti negativi. Inſcribitur tractatus ille:* Diſſertatio, in qua probatur, negativum argumentum in quæſtionibus ex facto, uſu, & traditione pendentibus multum habere roboris. *Probatio Launoji ducitur ex locis Auctorum 150. qui uſi ſunt argumento negativo. Sed malo hujus Doctoris fato plerique Patres, quos citat, in aliis locis rejiciunt hanc probationem, ut Tertullianus, S. Hieronymus, S. Auguſtinus &c. Theologi idem ſentiunt:* Eſt levis admodum, atque nullius plane ponderis argumentatio; *quemadmodum notat Card. Baronius tom. 1. pag. 270. edit. Antuerp.*

ſcenda paratum. Probare neceſſe eſt atque oſtendere, re ipſa hanc hiſtoriam, de qua loquimur, ab eo fuiſſe, præſertim ſine ulla neceſſitate, confictam. Non enim tunc de Fidei negotio, ſed de facto agebatur, de quo in præſens, non de illius moribus quærendum eſt. (6)

4. *Quid eſt, quare Epheſi mortua dicatur?*

℟. Hoc primum, quia Patres Concilii Epheſini Oecumenici tertii anno 431. celebrati in epiſtola ad Clerum populumque Conſtantinopolitanum ſcribunt, Neſtorium damnatum in Urbe Epheſi, *ἔνθα ὁ θεολόγος Ἰωάννης, καὶ ἡ θεοτόκος παρθένος ἡ ἁγία Μαρία*: *in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo ſancta Maria.* Secundum illud, quia, ut conſtat ex actis ejuſdem Epheſini Concilii, *Eccleſia Magna* Epheſi Mariæ Virgini dedicata erat, (7) & nondum in morem venerat, ut Eccleſiæ in Sancti alicujus honorem conſecrarentur, in quibus ejuſdem Sancti Reliquiæ conditæ non eſſent. Tertium eſt, quia S. Leo in

Z 3 epi-

(6) Honoratus a S. Maria tom. 1. Animadverſionum in Regulas & uſum Critices Diſſertat. 2. art. 5. pag. 132. refellens hoc ipſum argumentum, quod ante Theologum Serry attulit Tillemontius, Annotat. 15. in S. Virginem pag. 470. *Non ſatis eſt ad deſtruendum teſtimonium Juvenalis, dicere, illum potuiſſe hanc hiſtoriam confingere, hoc probandum eſt, re vera confinxiſſe.*

Michael Lequien in annotat. ad citatam S. Joannis Damaſceni hom. 2. in Dormitionem B. Mariæ Virginis pag. 879. tom. 2. loquens de Euthymiaca hiſtoria: *Ceterum Marcianum & Pulcheriam certiores factos eſſe a Juvenale Hieroſolymitano de Deiparæ Virginis Aſſumtione, neutiquam auſim inficiari, uti nec affirmare, hæc perinde conficta eſſe ab eodem Juvenale, ac commentitia illa ſcripta, quæ ab eo producta fuiſſe ad obtinendum Paleſtinæ principatum, Leo Magnus queritur in epiſtola ad Maximum Antiochenum.*

(7) Apud Labbeum tom. 3. Conc. pag. 574. & 562. apud Harduinum tom. 1. pag. 1445. & 1435.

epiſtola anno 454. ad Juvenalem ſupra memoratum Epiſcopum Hieroſolymitanum data, quæ eſt 110. agens de locis Sanctis Hieroſolymorum, de Mariæ ſepulcro non meminit. Tria hæc Tillemontius Annotat. 14. & 16. in S. Virginem. Etiam Hyacinthus Serry in eadem ſententia eſt, primamque Tillemontii rationem ita confirmat Exercitat. 65. §. 3. *Idem de Deipara, ac de Joanne ea phraſi* (in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo Sancta Maria) *ſignificatum voluere Epheſini Patres: at liquet plane, ſignificare illos voluiſſe verbis illis, Joannem illic eſſe inhumatum, cum Joannem illic inhumatum eſſe, ſuumque ſepulcrum habere, alia Sacræ Synodi monumenta conteſtentur. Cæleſtinus enim, data ad Epheſinos Patres epiſtola, illos ipſos hortatur, ut Joannis documentis firmiter hæreant*, cujus reliquias præſentes venerantur. Ad hæc idem Theologus novo argumento rem totam ita concludit. *Si Epheſi Deipara aliquando habitavit, Joannem utique ſecuta, qui eam in ſua officia, & obſequia receperat, quid tam naturale eſt, quam ut illic quoque mortua ſit ac ſepulta? Cum & tunc ultimum vitæ cardinem premeret, nec niſi ægre Hieroſolymam redire poſſet, extremum illic diem obitura.*

5. *Qua ratione hæc diſſolvi poſſunt?*

℞. Primum habet dubitationem, quid ſit, quod Patres Epheſini ajunt his verbis: *in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo Sancta Maria.* Aliqui enim, ut Labbeus, & Harduinus notant ad marginem citatæ epiſtolæ, ſubaudiri volunt *aliquando habitarunt:* alii *ædes habent*. (8) Combefiſius apud Pagium ad an. 42. §. 3. *dicit, Patres intelli-*

Tom. 3. Conc. pag. 574. Tom. I. pag. 1443.

(8) In his etiam Baronius ad an. Ch. 44. §. 29. & Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſæc. 1. cap. 1. art. 3. pag. 4.

ligere, *ſic vocatam majorem Epheſiorum Eccleſiam a ſuis Patronis & Tutelaribus*. Horum conjectura multo probabilior videtur, quam conjectura adverſariorum, qui putant deeſſe verbum *eſt*. (9) Etenim, ſi ibi fuiſſet ſepulcrum Virginis, tradita poſteritati a Patribus Epheſinis duraret adhuc fama ejus, nec S. Epiphanius, qui paullo ante Concilium Epheſinum vixit, celebrem ſuis temporibus rem ignorans, de Mariæ morte dubitaſſet, nec cum Joanne in Aſiam profectam eſſe negaſſet Hær. 78. §. 11. multoque minus dixiſſet, Bar. ad an. 44. §. 18.

(9) Hyacinthus Serry Exercitat. 65. §. 5. pag. 458. *Epheſi mortuam Virginem ac ſepultam*, *veriſimilius exiſtimaverim*, *ob luculentum Concilii Oecuminici ibidem anno* 431. *celebrati teſtimonium in Epiſtola Synodica ad Clerum*, *& populum Conſtantinopolitanum*, *ubi Neſtorium in Urbe Epheſi damnatum ſcribunt*, in qua Theologus Joannes, & Dei genitrix Virgo Sancta Maria. *Qua loquendi formula nihil aliud ſignificatum voluere*, *quam Joannem Theologum*, *& Virginem Deiparam illic* eſſe; *ſubintellecto ſcilicet verbo* eſt, *quod juxta Græcæ*, *& Latinæ Grammaticæ leges non modo ſubintelligitur commode*, *verum etiam eleganter*: *illic vero eſſe utique inhumatos*, *cum alio tunc modo illic eſſe non poſſent*. *Quod enim reponunt aliqui mutilam eſſe Synodi phraſim*, *ſupplendumque*, aliquando habitarunt, *aut* ſacras ædes habent, *aut* magno in honore ſunt; *ut alius plane reddatur ſenſus*, *frivolum eſt*: *cum textus mutilationem*, *& depravationem nullis productis Codicibus probent*: *contra vero nulla fingenda ſit mutilatio*, *ut verbum* eſt *pro Græci*, *& Latini idiomatis uſu ſubintelligatur*.

Hæreo anceps, nec ſatis ſcio, utrum prius verbum *eſſe*, an *inhumatos* reprehendam. Quid enim viri clariſſimi reprehenduntur ob eam cauſſam, quod locum ſupra laudatum ſupplent aliquo additamento; ſi ipſum verbum *eſſe*, cujus ſimplicitate Serry gaudet, intelligi nequaquam poteſt, niſi ſubaudito additamento *inhumatos*? Jam ipſum hoc *inhumatos* quam eſt alienum non ſolum a veritate, ſed etiam a voluntate ejus, qui ſe eidem patronum præbet. Nam ſi Joannes, & Maria *tunc* erant Epheſi *utique inhumati*, igitur falſum eſt, quod idem Theologus pronunciat Exercitat. 66. §. 1. pag. 464. *Virginem non animo tantum*, *verum etiam corpore in Cælos fuiſſe aſſumtam*.

poſteaquam ad ſe ſe illam (Joannes) *accepit*, *non amplius apud ipſum permanſiſſe*. Juvenalis vero ſupra memoratus, qui Concilio Epheſino interfuit, auſus numquam fuiſſet, quantumvis improbus, coram Auguſtis Marciano, & Pulcheria, coram Epiſcopis Palæſtinæ, qui tunc erant Conſtantinopoli, & Concilio Chalcedonenſi Oecumenico anno 451. interfuerant, comminiſci hiſtoriam reperti Hieroſolymis ſepulcri B. Virginis. Nam admodum credibile videtur, aliquem ex Palæſtinis Epiſcopis una cum Juvenale interfuiſſe etiam Concilio Epheſino, ideoque facile ei fuit, ſi quid de Virginis ſepulcro dictum eſſet in eo Concilio, mendacem oſtendere Juvenalem. Satis enim erat dicere, a Patribus in Concilium Epheſi congregatis declaratum eſſe, in prima ejus Urbis Eccleſia ſepulcrum Virginis reperiri. Alterum falſum eſt, id in conſuetudine poſitum fuiſſe quinto Chriſti ſæculo, ut ei duntaxat ædes ſacræ dedicarentur, cujus Reliquiæ in eiſdem ædibus conditæ eſſent. Sozomenus enim lib. 8. Hiſt. Eccl. cap. 24. teſtatur, imperante Arcadio Conſtantinopoli fuiſſe Eccleſiam S. Stephani, antequam corpus ejus in Palæſtina reperiretur: namque apud eumdem Sozomenum lib. 9. cap. 16. repertum dicitur ſub Theodoſio juniore. Quid quod
Pag. 468. Tillemontius ipſe citata annotat. 14. profitetur, etiam in eo loco, ubi nullæ Divum Reliquiæ eſſent, tamen alias ob cauſſas ejuſdem generis Templa iiſdem dedicari conſueviſſe? Quare alia, præterquam mortis, cauſſa eſſe potuit, cur ſacra Ædes in ea Urbe Mariæ Virgini poneretur. Quod ſi (illud enim tertio loco poſitum erat) non meminit de ſepulcro Mariæ Hieroſolymis S. Leo recenſens loca ſancta Hieroſolymorum: eodem modo neque Polycrates Epiſcopus Epheſinus in epiſtola ad Victorem Romanum Pontificem, quam
re-

recitat Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 24. ullam de obitu Virginis, ejuſque ſepulcro mentionem facit, cum tamen commemoret magna ſanctitatis lumina in Aſia extincta, atque affirmet nominatim unam ex duabus filiis Philippi Apoſtoli, quæ Spiritu Sancto afflata vixit, & Joannem, qui in ſinu Domini recubuit, mortem Epheſi oppetiiſſe. (10) Quamquam quid S. Leo de Mariæ ſepulcro verba faceret, cum illud nullo modo pertineret ad ejus inſtitutum? Ibi enim totus eſt in eo, ut recenſitis locis, ubi Chriſtus natus eſt, ubi adoratus a Magis, ubi ab Herode ad necem quæſitus, ubi educatus, demonſtratoque ſepulcro, in quo *humana conditione jacuit*, & monte Oliveti, unde aſcendit in Cælum, confirmet atque evincat, Chriſtum Dominum humanam carnem re vera ſumſiſſe: ad cujus rei confirmationem mentio ſepulcri Mariæ Virginis nihil omnino conferre poterat. Jam vero ad ea, quod attinet, quæ a laudato Theologo ſubjiciuntur, facilis eſt, opinor, atque expedita reſponſio. Nam, cum Joanni perinde, ac Mariæ Templum Epheſi poſitum eſſet, æque ſignificare potuerunt Epheſini Patres, tam Joannem, quam Mariam Epheſi *ſacram Ædem habuiſſe*: atque hoc potius, quam illud eos ſignificare voluiſſe crediderim, quandoquidem Ædes Mariæ Virgini dicata * ἁπλῶς * *Simpliciter.* *Sancta Maria* appellabatur, ut eſt in actis ejuſdem

(10) Serry Exercitat. 65. §. 6. dicit, idcirco Polycratem non meminiſſe ſepulcri Mariæ Virginis, quod ille in ſua epiſtola id præſertim urgeret, ut allatis exemplis Victori palam faceret, Paſcha die 14. Martii celebrandum eſſe. Mariæ autem, *cum breve duntaxat Epheſi tempus duxerit, recenſque illic advena ex hac mortali vita ſublata ſit, nullius forte celebrandi illic Paſchatis occaſionem datam eſſe*. Bene quidem ac recte, ſi quod dicit de breviſſima Mariæ Virginis Epheſi commoratione, & de nullo ab ea illic celebrato Paſchate, idoneo aliquo argumento vel auctore confirmaſſet. Itaque quando nullum attulit, adhuc inconcuſſa manet ratio, quæ ex Polycratis ſilentio deſumitur.

dem Sacræ Synodi. (11) Ad hæc ſi eodem modo locuti ſunt Epheſini Patres de Maria, ac de Joanne, efficitur, ut Concilii tempore Epheſi adhuc humatum & ſepultum eſſet corpus Mariæ, perinde ac corpus Joannis: hoc autem ſi verum eſt, quomodo erit verum illud, quod ſequenti Exercitatione *66.* §. 1. rectiſſime pronunciat idem auctor: *Virginem non animo tantum, ſed etiam corpore in Cælos fuiſſe aſſumtam, pie ac religioſe tenendum eſt, nec niſi ingenti temeritate negari poteſt?* Porro quod ſubjicit ad extremum, id totum ducitur a conjectura, ſed ea parum firma. Etenim nec de tempore, quo Joannes Epheſum venit, nec de anno ætatis, quem agebat Maria, cum ad ſuperos abiit, quidquam certi affirmare licet. Idque idem Theologus de Maria Virgine aperte fatetur, tum ſubjungens §. 7. illam anno ætatis 61. mortuam eſſe, *ſi* (*quod cum Cajetano poſuit*) *anno ætatis ſuæ* 24. *Servatorem enixa eſt*; tum affirmans Exercitat. 25. §. *6.* eumdem Cajetanum *annos viginti quatuor nubenti Virgini tribuentem divinare*. Præterea Theologi conjectura valeret ea quidem ſatis ſuperque, ſi peteretur ex argumento probabili: verum quia ex nullo argumento probabili petita eſt, nihil valet. *Quid* enim, inquit, *tam naturale, quam ut illic mortua ſit & ſepulta?* Quid ita? Quod *ea tunc ultimum vitæ cardinem premeret*. At quo argumento probat Theologus, aut vero probare poteſt, *tunc ultimum vitæ cardinem eam preſſiſſe?* Nullo ſane. Eſt itaque conjectura illa tota inanis ac futilis, minimeque idonea ad id efficiendum,

(11) S. Cyrillus in epiſt. ad quoſdam de Clero Conſtantinopolitano: *Sancta Synodus* (Epheſina) *in Eccleſia magna, quæ appellatur Sancta Maria, congregata*. Et in relatione Synodi Epheſinæ ad Cæleſtinum: *Sancta Synodus in magna Epheſi Eccleſia, quæ appellatur Maria, ſeſſionem celebravit:* apud Lab. tom. 3. Conc. pag. 562. & 662. & apud Harduinum tom. 1. pag. 1435. & 1506.

dum, quod vult. Verius eſt igitur illud, quod majores noſtri jam inde ab Juvenale Hieroſolymorum Patriarcha tradiderunt, quodque deinceps ſemper ita putatum eſt, Deiparam Virginem Hieroſolymis mortuam, atque ſepultam fuiſſe.

6. Quo anno ætatis, & quo anno Chriſti obiit Maria Virgo?

℟. Nihil, ut modo dixi, comperti eſt, ob varias, & inter ſe diſcrepantes ſcriptorum ſententias. Nam, ut eſt in Annalibus Baronii ad an. 48. §. 5. Nicephorus ex Evodio prodit, eam vixiſſe annos quinquaginta novem. Epiphanius Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ citat Hippolytum quemdam Thebanum, qui dicit, eam annos novem Chriſto ſupervixiſſe, ac deceſſiſſe anno Domini quadrageſimo tertio, ætatis vero ſuæ quinquageſimo ſeptimo. Idemque Epiphanius ab Hippolyto diſſentiens vitam Mariæ producit longius. Nam annos vitæ duos & ſeptuaginta ei tribuit. Quod etiam Cedrenus facit in Compendio Hiſtoriarum, addens inſuper, fuiſſe nonnullos, qui aſſererent, mortuam eſſe, cum annum duodeſexageſimum expleſſet. *Alii*, ut ait idem Baronius, *ex traditione quadam affirmant*, obiiſſe anno ſexageſimo tertio. (12) Andreas vero Cretenſis Pag. 149.

(12) Joannes Card. Bona in Horologio Aſcetico cap. 5. §. 17. *Corona B. Virginis ex ſexaginta tribus ſalutationibus Angelicis componitur, & ſeptem orationibus Dominicis. Eſt autem hæc precatio ex ſexaginta tribus Angelicis ſalutationibus compacta juxta numerum annorum, quibus B. Virgo in terris vixiſſe creditur, ut fert doctorum probabilior ſententia.*

Joannes Bonifacius Soc. Jeſu lib. 2. De Hiſt. Virg. cap. 15. *atteſtans Chronicum Abbatis Radenſis notat, inventorem* Coronæ, *quam vocant, ſexaginta trium* Ave *ad ſalutandam Deiparam, fuiſſe Petrum Eremicolam* illum *ductorem præcipuum expeditionis ſacræ* in Concilio Claromontano indictæ ab Urba-

Bibl. Patr. tom. 10. pag. 655. tenſis oratione prima in Dormitionem ſanctiſſimæ Deiparæ, nihil definiens, hoc ſolum dicit, illam *migraſſe ab humanis, ubi ad extremam deveniſſet ſenectutem*. Itaque dubitatur etiam, quo anno Chriſti Virgo obierit. Ad annum Chriſti 48. de ejus obitu narrat Baronius, ita tamen, ut eo anno mortuam, pro certo ſtatuere non audeat. Verba Eminentiſſimi ſcriptoris ad ann. 48. §. 24. hæc ſunt: *Hactenus de Aſſumtione Dei genitricis Mariæ, quam quidem non ſic recenſuimus hoc anno, quaſi affirmare velimus, hoc ipſo anno eſſe defunctam, & in Cælum aſſumtam, ſed quod hoc anno ponatur ab Euſebio, nobiſque, quonam anno certo deceſſerit, ſit inexploratum*. Euſebii locus, quem §. 4. recitat, quamvis abeſt a Græco Scaligeri textu, & a recentibus probatis editionibus, eſt tamen in antiquis. Alii ad alium Chriſti annum mortem, & aſſumtionem Virginis referunt. (13)

7. *Quam mortem obiit?*

℟. *Quorumdam ſententiam, qui Simeonis oraculo*
Luc. II. 35. *perſuaſi, quod ei dixerat*: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius; *eam martyrio vita functam tradiderunt*, ab Eccleſia Catholica non recipi, ſcribit Baronius ad an. 48. §. 12. Eos ita refellit S. Ambroſius in commentariis ad Evangelium D. Lucæ lib. 2. §. 61. *Nec littera, nec hiſtoria docet, ex*

bano II. *natione Hiſpanum, & Benedictini Ordinis Monachum*: Angelus de Nuce in lib. 4. Chron. Caſſin. cap. 11. annotat. 5. tom. 4. Script. Rer. Italic. pag. 498.

(13) Durantus Epiſcopus Feretranus in Notis ad Relat. S. Brigittæ lib. 6. cap. 61. pag. 125. tom. 2. *Inter tot graviſſimorum hominum opiniones, quæ de hac re circumferuntur, difficile ſane eſt aliquid certi pronunciare*. Et paullo poſt: *Ceterum quid inter tot virorum doctorum opiniones ſentiendum ſit, non audeo definire*. Vide Gretſerum in Vita Mariæ Virginis cap. 11. pag. 18. tom. 10.

ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe. Non enim anima, ſed corpus materiali gladio tranſverberatur. (14) Itaque id facile crediderim, quod dicit Andreas Cretenſis oratione prima in Dormitionem ſanctiſſimæ Deiparæ, obiiſſe mortem ſimillimam ſopori illi placidiſſimo, ac

Bibl. Patr. tom. 10. pag. 654.

(14) Alii ex ſanctis Patribus referunt dictum illud Simeonis ad acerbiſſimos animi dolores, quos Maria Virgo pertulit, cum Jeſum filium ſuum patientem ac morientem vidit. S. Ildefonſus ſerm. 2. de Aſſumtione B. V. tom. 12. Bibl. Patr. pag. 580. *Quod ſi gladius ad animam pervenit, quando ad crucem ſtetit fugientibus Apoſtolis, cum videret Dominum pendentem, etiam plus quam martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam mœroris eſt intus gladio vulnerata*. S. Bernardinus Senenſis tom. 2. ſerm. 61. art. 3. cap. 2. *Tantus fuit dolor Virginis, quod ſi in omnes creaturas divideretur, omnes ſubito interirent*. Arnoldus Abbas Bonæ Vallis de ſeptem verbis Domini §. 3. pag. 45. inter opera S. Cypriani editionis Felli, & in tom. 22. Bibl. Patr. pag. 1268. *In tabernaculo illo duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti, Chriſtus carnem, Maria immolabat animam*.

S. Thomas in 4. Sent. Diſt. 49. quæſt. 5. art. 3. & 2. 2. quæſt. 124. art. 4. ad 1. aſſerit, Mariam Virginem martyrem fuiſſe duntaxat *per quamdam ſimilitudinem* ob ſummos dolores Filii cauſſa toleratos.

Idem S. Thomas 3. part. quæſt. 27. art. 4. ad 2. *Dicendum, quod illud verbum Simeonis Origenes, & quidam alii doctores exponunt de dolore, quem paſſa eſt in Chriſti paſſione. Ambroſius autem per* gladium *dicit ſignificari* prudentiam Mariæ, non ignaram myſterii cæleſtis; vivum eſt enim Verbum Dei & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo. *Quidam vero per* gladium *dubitationem intelligunt; quæ tamen non eſt intelligenda dubitatio infidelitatis, ſed admirationis, & diſcuſſionis. Dicit enim Baſilius in Epiſt. ad Optimum* (317. in fine) *quod* beata Virgo aſſiſtens cruci, & aſpiciens ſingula poſt teſtimonium Gabrielis, poſt ineffabilem divinæ conceptionis notitiam, poſt ingentem miraculorum oſtenſionem, animo fluctuabat; ex una ſcilicet parte videns eum pati abjecta; & ex alia parte conſiderans ejus mirifica. Vide Lambertinum de Beatif. & Canoniz. lib. 3. cap. 11. num. 3. & annotat. 1. in Caput hoc ſeptimum pag. 386.

ac ſuaviſſimo, quo Dominus Adamum ſopivit, ut ex latere ejus ſine ullo dolore ac ſenſu coſtam educeret, ex qua Evam formaret. (15)

8. *Numquid eſt peculiare de obitu Virginis?*

℞. Nihil, quod idoneis auctoribus credi poſſit. Nam, ut cetera omittam, Baronius ipſe ad an. 48. §. 14. ea quæ *traduntur de Apoſtolis eodem momento collectis e diverſis Orbis regionibus Hieroſolymam ad obitum ejus per aera in ſublime delatis*, in apocryphis habet, idque multo ante Baronium etiam Beda Retract. in Act. cap. 8. cognovit: De funere & exequiis ejus ſatius eſt ſilere, quam piis fabulis locum dare. Dubium tamen non habeam, quin Deus feliciſſimum Virginis diſceſſum ex hac vita oſtentis & prodigiis celebraverit: poſtulabat enim hoc dignitas matris Dei: at quæ fuerint iſta prodigia, nullus, quod ſciam, tradit probatus hiſtoricus. (16)

Pag. 15. tom. 6.

9. *Quæ-*

(15) Codinus de Originibus Conſtantinopolitanis, pag. 45. edit. Venetæ. *Templum ſacri conditorii in Chalcopratiis Juſtinus II. & Sophia ædificarunt... Ibi depoſita eſt veneranda zona, & veſtis S. Deiparæ: humerale vero in Blachernis aſſervatur.*

(16) Auctor Sermonis 208. in Feſto Aſſumtionis B. Mariæ, in Appendice apud S. Auguſtinum §. 3. *Sed nec invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de ejus morte quidpiam aperte dixiſſe. Nam illum Evangelii verſiculum, quem Simeon dixit ad Domini Matrem:* Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, *beatæ recordationis Ambroſius cum tractaret, ait:* Nec hiſtoria nec litteræ docent, Mariam gladio vitam finiſſe. *Hinc & Iſidorus de vita & morte Sanctorum* cap. 68. Incertum eſt, *inquit*, per hoc dictum utrum gladium ſpiritus, an gladium dixerit perſecutionis. *Sed quid de his, de quibus loquor, dicam; cum nec ipſe qui hanc accepit ante Crucem Domini* in ſua, *ideſt Joannes Evangeliſta, de hoc poſteris aliquid retinendum ſcriptis mandaverit? Nullus enim hoc fidelius narrare potuit, ſi illud Deus manifeſtari voluiſſet, quam ille*

9. *Quænam eſt ſententia Eccleſiæ de Aſſumtione B. Virginis?*

℞. *Dei Eccleſia*, ait Baronius in annotat. ad Martyrologium Romanum die XV. Auguſti, *in eam partem propenſior videtur, ut una cum carne aſſumta ſit in Cælum. Nam in hujus diei celebritate illas ſanctorum Patrum homilias legendas tradidit, quibus eadem de ejus Aſſumtione firmantur; quæ quidem ſententia cum plurimorum Theologorum auctoritate, tum etiam communi conſenſu Fidelium jam recepta videtur.* (17) Hanc Eccleſiæ ſententiam

ille utique, qui hanc nutriendam ſuſcepit, nec contra morem filius matrem reliquit, Reſtat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de ejus Aſſumtione ſententia hæc eſſe probatur, ut ſecundum Apoſtolum, ſive in corpore, ſive extra corpus ignorantes, aſſumtam ſuper Angelos credamus.

Librum citatum S. Iſidori Hiſpalenſis ſuppoſititium eſſe cenſet Baronius ad an. 816. §. 50. & in annotat. ad Martyrologium Romanum Kalendis Maji, & Julii, atque Auguſti die 25.

(17) S. Thomas Opuſculo 8. quod eſt *Expoſitio ſuper Salutatione Angelica*, pag. 76. tom. 17. agens de *tribus maledictionibus, quæ data ſunt hominibus propter peccatum*, ita ſcribit: *Tertia fuit communis viris, & mulieribus, ut ſcilicet in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit B. Virgo, quia cum corpore eſt aſſumta in Cælum. Pſal.* 131. Surge, Domine, in requiem tuam tu, & arca ſanctificationis tuæ. Vide ſupra poſitum reſponſum ad interrogationem 3. Cap. II.

S. Petrus Damiani ſerm. 40. de Aſſumtione Beatiſſimæ Mariæ Virginis: *Aſcendit Salvator in Cælum poteſtativæ virtutis imperio, ſicut Dominus & Creator, Angelorum comitatus obſequio, non auxilio fultus. Aſſumta eſt Maria in Cælum, ſed gratiæ ſublevantis indicio, comitantibus, & auxiliantibus Angelis, quam ſublevabat gratia, non natura. Ideoque dies hæc Aſſumtio, Aſcenſio illa vocatur; cum aliud ſit potentia, aliud miſericordia, ſolumque ſoli ſit privilegium Creatori, naturam rerum propria poteſtate ſupergredi.*

Aſſum-

tiam multis ſanctorum Patrum teſtimoniis confirmat Serry Exercitat. *66.* a quo, ut propter ſingularem eximii viri opinionem pervagatam invitus ſæpe diſſenſi, ita nunc ejus ſententiæ libenter aſſentior. Docet autem ad extremum, S. Ambroſium, & Alcimum Avitum ſcribentes, Chriſtum hactenus eſſe *ſolum*, *qui non moriturus reſurre-*

Aſſumptio igitur B. Mariæ Virginis definiri poteſt glorioſa animæ & corporis ejuſdem Virginis a mortuis excitatæ translatio in Cælum. Quo autem ab obitu die excitata fuerit, ignoratur. Alii enim id factum putant ipſo obitus die, alii die ab obitu tertio, alii decimo quinto, alii quadrageſimo. Franciſcus Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thomæ diſputat. 21. ſect. 2. exiſtimat, probabiliorem eſſe conjecturam eorum, qui tertio a morte die Mariam Virginem revixiſſe dicunt; quam ſententiam Synodus quoque Hieroſolymitana adverſus Calviniſtas anno 1672. celebrata expreſſit his verbis ex homilia S. Cyrilli in Dormitionem Virginis Deiparæ apud Harduinum tom. 11. Conc. pag. 199. *Ipſa cum corpore aſſumta eſt in Cælum. Et quamvis concluſum ſepulcro fuerit immaculatum corporis ejus tabernaculum; in Cælum tamen, uti Chriſtus fuerat aſſumtus, tertio & ipſa die redivivua migravit.*

Caſaub. Exerc. 14. §. 11. pag. 294. *Eccleſiæ ſenſus ne tacitus quidem eſt contemnendus.* Thomaſſinus de Feſtis lib. 2. cap. 20. pag. 422. *Multa ſunt, quæ credere debemus tamquam articulos Fidei, & tamquam certa, atque indubitata. Nihil aptius ad tollendam ſocietatem, & commercia hominum inter ſe, quam nolle aſſentiri, niſi ei veritati duntaxat, cujus auctor fallere & falli neſcius ſit, aut cujus probatio evidens. Numquam errat, qui ſequitur opiniones Eccleſiæ, atque cognoſcit eodem tempore, eas eſſe tantum maxime probabiles, non item inconcuſſas.*

Maldonatus in diſputatione, quam de Conceptione Virginis habuit cum Theologis Pariſienſibus. *Eſt animadvertendum, etiam Eccleſiam habere ſuas opiniones: nec enim quidquid ſentit, ſentit tamquam Fide Catholica.* Et in cap. *a nobis* 28. de ſent. excommunicat. *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit & falli.* Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 42. n. 15. & Annotat. ad Eſtium in lib. 4. Sent. diſt. 43. §. 8. pag. 182.

rexit, id tantum ſignificare voluiſſe, quod jure ſummo debebatur uni Chriſto Domino, tamquam noſtræ reſurrectionis auctori: non autem negaſſe, Virginem matrem ex peculiari privilegio a morte ad vitam immortalem fuiſſe revocatam.

10. *Umquam ne dubitatum eſt de glorioſa Virginis Aſſumtione?*

℞. Dubitaſſe *ſanctos Patres, & auctores antiquos in Eccleſia ſpectatiſſimos*, cenſet Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſæc. 2. cap. 4. art. 3. §. unic. Primum recitat locum S. Epiphanii ex hær. 78. §. 11. Pag. 298. tom. 3.
quo tamen nullo modo id efficitur, quod ille propoſuit. Nam S. Epiphanius ibi non de Virginis Aſſumtione dubitat, ſed de morte ejus, atque id ea de cauſſa, quia nullum eſt ejus rei veſtigium in Litteris Sacris. *Pro Aſſumtione equidem*, ut ait Florentinius, *mulierem Apocalypſis profert, cui alæ tamquam Aquilæ datæ ſint, & aſſumta fuerit in deſertum: ſed an abſque obitu in incertum reliquit*. (18) Secundo loco ponit ſermonem Hieronymi de Aſſumtione B. Virginis ad Paulam & Euſtochium, qui ipſius Natalis Alexandri judicio ſuppoſititius eſt. Ait enim, quod etiam alii viri doctiſſimi conſentiunt, non eſſe S. Hieronymi, cui adſcribitur. Tertio citat locum ex S. Ildefonſo Archiepiſcopo Toletano. At ſextus ſermo, ex quo locus ille depromtus eſt, itemque alii quinque S. Ildefonſo ſuppoſiti ſunt, & Ansberto Abbati Fontanellenſi a Dupino, & Gulielmo Cave adjudicantur: (19) qua etiam fortaſſe de cauſſa

(18) In Martyrologium Hieronymianum Exercitat. 5. De Aſſumtionis ſeu Dormitionis Deiparæ ſolemni die, ad XV. Kal. Februarii pag. 265. & 266.

(19) Dupinus in nova Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum tom. 6. pag. 34. Gulielmus Cave in Hiſtoria Litteraria pag. 386.

ſermones illos prætermittit Natalis Alexander in
Pag. 567. Hiſtoria Eccleſiaſtica ſæc. 7. cap. 4. art. 7. recenſens opera S. Ildefonſi. Quarto affert auctoritatem libelli *de Locis Sanctis*, qui Bedæ nomine circumfertur. Verum omnes concedunt, libellum hunc ſuppoſititium eſſe, idque Natalis ipſe hoc eodem loco aperte ſignificat. Poſtremo in medium adducit Uſuardum, Adonem, Notkerum. Sed conſtat, Uſuardum ſumſiſſe ea, quæ dicit, ex ſuppoſititio, quem modo memoravi, ſermone, ſeu epiſtola Hieronymi ad Paulam & Euſtochium, ut Baronius ad annum 48. §. 15. animadvertit. Ado autem, teſte ipſo Natali Alexandro, *Uſuardi verba exſcripſit*. (20) Denique Martyrologium Notkeri compendium eſt Martyrologii Adonis, & quod dicit de Reſurrectione Virginis Notkerus, id ipſum dicunt Uſuardus & Ado, qui ex eodem impuro fonte, hoc eſt ex falſa epiſtola S. Hieronymi ad Paulam & Euſtochium hauſerunt. Atque hi ſunt *ſancti Patres, & auctores antiqui in Eccleſia ſpectatiſſimi*, qui de Aſſumtione Mariæ Virginis dubitarunt.

11. *Profer tandem aliquid de Feſto Aſſumtionis.*

℟. Hodie utraque Eccleſia mortem & Aſſumtionem Virginis die quinto decimo Auguſti celebrat. In Eccleſia Græca Feſtum hoc appellatur Κοίμησις, *Dormitio*, interdum etiam Μετάστασις *Tranſitus*, *Tranſlatio*: in Latina vix aliquando *Dormitio*, fere ſemper *Aſſumtio*. (21) Hujus Feſti originem ab Apoſtolis repetunt aliqui: Veriſimi-

(20) Putant aliqui, Adonem ſcripſiſſe ante Uſuardum. Si ita eſt, Uſuardus compilavit Adonem.

(21) *Feſtum Aſſumtionis ejus, tacito proprio nomine, ſua lingua* Diem Dominæ *appellant* Hungari, ut eſt apud Surium die 20. Auguſti in Vita S. Stephani I. Hungarorum Regis, & apud Baronium ad an. 1002. §. 12.

ſimilius eſt quod docet S. Bernardus epiſt. 174. §. 3. poſtea fuiſſe ab Eccleſia decretum. *Quod autem ſcribit Nicephorus lib. 17. cap. 28. ejuſmodi ſolemnitatem edicto Mauritii Imperatoris ſtatutam, ſic accipias*, inquit Baronius, *ut eam antea ab Eccleſia inſtitutam ipſe in Oriente ſanctione edita promulgarit*: & a die duodeviceſimo Januarii, quo die antea colebatur, ad diem quintum decimum Auguſti tranſtulerit, quemadmodum obſervat Florentinius. (22) Ex quibus colligitur, Feſtum Aſſumtionis ante Mauritii tempora, ideoque ante exitum ſæculi VI. celebrari conſueviſſe. Sergio I. Pontifice anno circiter 688. Romæ celebrabatur ſub nomine *Dormitionis*, ut apud Græcos. (23) Poſtea Leo IV. per dies octo deinceps colendum eſſe decrevit, referente Anaſtaſio Bibliothecario in vita ejuſdem Leonis IV. & Sigeberto in Chronographia ad annum 847. In ejus pervigilio jejunium jam ante inſtitutum fuerat, quam Nicolaus Magnus, qui anno 858. Romanæ Eccleſiæ præeſſe cœpit, ad quæſita Bulgarorum reſponderet. Nam cap. 4. epiſtolæ ad Bulgaros ſcribit, jejunium hoc ab Romana Eccleſia *antiquitus* ſuſceptum, & religioſe ſervatum fuiſſe. (24) Pag. 154. Pag. 798.

Aa 2 CAP.

(22) Baronius in *Martyrologium* Romanum die 15. Auguſti. Florentinius in Martyrologium Hieronymianum Exercitatione citata pag. 268.

Die 18. Januarii olim celebratam fuiſſe memoriam Aſſumtionis B. Virginis, oſtendit citatus Florentinius pag. 269. & Mabillonius lib. 2. de Liturgia Gallicana pag. 118.

(23) Verba, quibus id teſtatur Anaſtaſius Bibliothec. in vita Sergii I. recitavi ſuperius extremo c. 2. Interrogatione 6.

(24) Ita ille apud Labbeum tom. 8. Conc. pag. 518. *Secundum ſacra decretalia in his etiam a licitis ſe quibuſdam abſtineat, quadrageſimali videlicet tempore, quod eſt ante Paſcha, jejunio poſt Pentecoſten, jejunio ante ſolemnitatem Aſſumtio-*

CAP. VIII.

De ſtatura, forma, & ſcriptis B. Virginis.

1. *Deſcribe ſtaturam, & formam Virginis.*

℟. Nicephorus lib. 2. cap. 23. ex Epiphanio utramque deſcribit his verbis: *Statura fuit mediocri, quamvis ſint, qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem exceſſiſſe, dicant*. Et paucis interjectis: *Colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, ſubflavas tamquam oleæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra, naſus longior, labia florida, &* ver-

tionis ſanctæ Dei genitricis, & ſemper Virginis dominæ noſtræ Mariæ, nec non jejunio ante Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti feſtivitatem: quæ jejunia ſancta Romana ſuſcepit antiquitus & tenet Eccleſia.

Theodorus Lector lib. 2. Hiſt. Eccl. pag. 566. editus a Valeſio cum Theodoreto & Evagrio ait, *Petrum Fullonem inſtituiſſe, ut in omni precatione nomen Deiparæ proferretur.* Petrus Fullo ter Antiochenam Cathedram occupavit anno 470. 476. & 485. Mortuus eſt anno 488.

Joannes Bona divinæ Pſalmodiæ cap. 12. §. 3. *Semper Deiparæ cultum in Eccleſia viguiſſe, ut cetera deſint argumenta, ex hoc potiſſimum conjicere licet, quod nullum ejus principium oſtendi poteſt. Nam nec Pontificis alicujus decreto, aut Concilii ſanctione, nec conſuetudine aliqua, cujus ſciatur origo, introductus fuit, ſed omni ætate, omni tempore ſemper Fideles Cæli Reginam ſummo honore proſequi, & venerari conſueverunt.*

Mabillonius ad S. Bernardi ſermonem 1. in *Salve, Regina* annotat. 303. pag. CXVIII. ad verba illa: Quater in anno Ordo noſter devotiſſime concinit: *Nimirum in quatuor ſolemnitatibus in honorem B. Virginis tunc temporis inſtitutis Purificatione, Annuntiatione, Aſſumtione, & Nativitate: nam aliæ poſtmodum inductæ ſunt*: poſt tempora D. Bernardi, qui anno 1153. Kal. Septembribus obiit.

verborum ſuavitate plena, facies non rotunda & acuta, ſed aliquanto longior, manus ſimul, & digiti longiores. Hæc ille, quæ Baronio ad annum 48. §. 26. *ex pictura aliqua prototypa potius deſcripta, quam ex viventis ipſius imagine eſſe videntur accepta*. (1) Ante Nicephorum annis amplius ducentis & quinquaginta ſimilia ſcripſerat Cedrenus in Hiſtoriarum Compendio: *Erat ſtatura mediocri, ſubfuſca, fulvo crine, oculis fulvis ac mediocribus, magno ſupercilio, naſo mediocri, manu & digitis longis: amabat autem veſtes nativi coloris*. (2) Pag. 147. & 148.

2. *Recenſe ſcripta*.

℞. Recenſet Baronius ad annum 48. §. 25. *Fertur ejuſdem Dei genitricis epiſtola ad Ignatium reddita, ejuſdemque Ignatii una ad ipſam ſcripta, duæ vero ad Joannem Evangeliſtam de eadem ipſa loquentes. Sed Hieronymus, & alii antiquiores, qui ejuſdem Ignatii recenſuerunt epiſtolas, eas non noverunt. Traduntur & aliæ ab ipſa ad alias ſcriptæ Civitates: quas cunctas, cum careant Eccleſiæ auctoritate, non niſi in apocryphorum claſſem rejiciendas eſſe, omnes facile judicabunt*. Intelligit fortaſſe Baronius civitates Meſſanam, & Floren- Bar. ad an. 109. §. 34.

A a 3 tiam,

(1) Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ pag. 139. *Vidimus olim Venetiis in ædibus Titiani celebratiſſimi noſtrorum temporum pictoris exemplar hujus picturæ ex archetypo D. Lucæ, ut credebatur, excerptum, in quo ſpectabantur omnes illæ notæ, quas idem Nicephorus expreſſit in ſecundo ejuſdem hiſtoriæ volumine*. De imaginibus Virginis Deiparæ, quæ a D. Luca depictæ feruntur, egimus in Hiſtoria Apoſtolica in vita D. Lucæ Interrogat. 10.

(2) Idem e veſtigio ſubjicit hæc: *Anno ætatis ſuæ XII. media nocte, cum precaretur, divinitus editam ad ſe vocem audivit*: Paries filium meum: *neque hoc ex ea quiſquam reſcivit ante Chriſti in Cælos aſcenſum*. Vera ne iſta ſint, ambigitur.

tiam, habetque ſententiæ ſuæ circa harum epiſtolarum * νοθείαν magnos adſtipulatores Franciſcum Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thomæ diſputat. 20. ſect. 1. Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis in S. Ignatio, Theophilum Raynaudum in Erotemat. de malis ac bonis libris num. 180. & 239. Roccum Pirrum, (3) Joannem Mariam Braſichellenſem Pontificii Palatii magiſtrum in tomo I. Indicis librorum expurgandorum, Romæ anno 1607. edito, Dupinum in nova Bibliotheca auctorum Eccleſiaſticorum tom. 1. pag. 3. Tillemontium in vita S. Virginis art. 7. Remigium Ceillier in Hiſtoria generali auctorum Sacrorum, & Eccleſiaſticorum lib. 3. cap. 2. art. 4. alioſque viros doctiſſimos. (4)

* Spuritatem.

3. *Recita epiſtolas iſtas.*

℟. Recitabo, ut ab eruditiſſimo viro Joanne Alberto Fabricio recitantur in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti. Epiſtola ad S. Ignatium, quæ prima dicitur, talis eſt.

4. *Igna-*

(3) In Diſſertatione *de epiſtola Deiparæ, quæ ad Meſſanenſes ſcripta dicitur*, contra Melchiorem Inchofer, alioſque ejus epiſtolæ defenſores inſtituta tomo primo Siciliæ Sacræ, notitia ſecunda pag. 323.

Pirri argumentis, referente Lambertino de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 36. num. 7. ſatisfacere conatus eſt Petrus Mennitus Abbas Generalis Ordinis S. Baſilii in quodam *Opuſculo Romæ typis impreſſo anno* 1718. Quam epiſtolam genuinam & legitimam eſſe, pluribus contendit etiam Thomas de Angelo Ordinis Prædicatorum in *Annalibus Hiſtorico-Criticis Eccleſiæ Siculæ ſæculo primo* §. 1.

(4) Joannes Mabillonius lib. 1. de re diplomatica cap. 6. §. 6. pag. 25. *His adde, quod a Rocco Pirro memoratur de quodam Græco Antiſtite, qui ut Meſſanenſium gratiam iniret, ſpem injecit reperiundi autographi epiſtolæ beatæ Virginis ad Meſſanenſes hebraice conſcripti, quod in membrana confictum cum ſub lateribus certo in loco abſcondiſſet, viri quidam religioſi tandem ejus detexerunt impoſturam.*

4. *Ignatio dilecto condiſcipulo humilis ancillæ Chriſti Jeſu.* Pag. 843.

De Jeſu, quæ a Joanne audiſti, & didiciſti, vera ſunt. Illa credas, illis inhæreas, & Chriſtianitatis ſuſceptæ votum firmiter teneas, & mores, & vitam voto conformes. Veniam autem una cum Joanne, te, & qui tecum ſunt, viſere. Sta in fide, & viriliter age: nec te commoveat perſecutionis auſteritas: ſed valeat, & exultet Spiritus tuus in Deo ſalutari tuo. Amen. (5)

Altera, quæ eſt ad Meſſanenſes, ita habet. Pag. 849.

Maria Virgo, Joachin filia, humillima Dei ancilla, Chriſti Jeſu Crucifixi mater, ex Tribu Juda, ſtirpe David, Meſſanenſibus omnibus ſalutem, & Dei Patris omnipotentis benedictionem.

Vos omnes fide magnæ legatos ac nuntios per publicum documentum ad nos miſiſſe conſtat. Filium noſtrum Dei genitum, Deum & hominem eſſe fatemi-

(5) Memoratus Fabricius in annotat. ad hanc Epiſtolam pg. 843. obſervat ex Uſſerio, *impoſtorem poſtremam hujus epiſtolæ clauſulam emendicaſſe ex ipſius Virginis hymno* Luc. I. 4. *ſicut & ex Paulina epiſtola poſt obitum Virginis ſcripta* 1. Cr. XVI. 13. *parænesim illam*, ſta in fide, & viriliter age. Cotelerius tom. 2. Patrum Apoſtolicorum annotat. ad epiſtiam Mariæ ex Caſſobelis ad Ignatium pag. 95. num. 1. doce, commentitiam hanc epiſtolam *illis præbuiſſe occaſionem erndi, qui arbitrati ſunt, Mariam Deiparam Ignatio ſcripſiſſe & illum viciſſim Mariæ. Procul dubio enim verum eſſe, homines iſtos, cum inaudiſſent aliquid de hac epiſtola, putaviſſe, eam eſſe Mariæ Virginis, inde vero arripuiſſe occaſionem fingendi & aliam, quia hæc ad iſtorum manus non perveniſſet. Atqui nunc apparere, quam falſi iſti fuerint, cum non Hebræa, ſed Caſſa fuerit hæc mulier, ſi tamen unquam talis fuerit, cujus nemo veterum, quod ſciam, meminerit.*

mini, & in Cælum poſt ſuam reſurrectionem aſcendiſse, Pauli Apoſtoli prædicatione mediante viam veritatis agnoſcentes. Ob quod vos & civitatem veſtram benedicimus: cujus perpetuam protectricem nos eſse volumus. Anno filii noſtri XLII. III. Non. Julii, Luna 17. feria quinta, ex Hieroſolymis.

Maria Virgo.

Pag. 852. Tertia ad Florentinos hæc eſt:

Florentia Deo, & Domino Jeſu Chriſto Filio meo, & mihi dilecta. Tene fidem, inſta orationibus, roborare patientia. His enim ſempiternam conſequeris ſalutem apud Deum. (6)

(6) Teſtimonia & cenſuras harum epiſtolarum vide apud memoratum Fabricium, qui de P. Melch. Inchofer defenſore epiſtolæ Mariæ Virginis ad Meſſanenſes ita ſcribit. *Titulus integer libri Inchoferiani hic eſt:* Epiſtolæ B. Mariæ ad Meſſanenſes Veritas vindicata, ac plurimis graviſſimorum ſcriptorum teſtimoniis & rationibus erudite illuſtrata, auctore P. Melch. Inchofer Auſtriaco e Soc. Jeſu, Meſſanæ 1692. *Non placuit Congregationi Indicis librorum prohibitorum, quod tam audacter, & confidenter illam epiſtolam, tamquam certiſſime B. Mariæ genuinam, confirmaſſet. Itaque vocatus Romam, & mutare quædam, inſcriptionemque ipſam libri aliam facere juſſus, iterato edidit opus illud Viterbii anno 1631 ſub titulo:* De epiſtola B. Virginis Mariæ ad Meſſanenſes Conjectatio plurimis rationibus & veriſimilitudinibus locuples, auctore P. Melch. Inchofer. *Vide Bibliothecam Jeſuiticam pag. 608. editionis Sotuellianæ.*

DE.

DE
S. JOSEPH
Mariæ Virginis Sponſo Chriſti Patre.

1. *S. Joſeph cujus filius eſt?*

℞. SEcundum Matthæum, qui a Davide per Salomonem, reliquoſque Reges Juda generationes numerat, eſt filius Jacob; ſecundum Lucam, qui ab eodem Davide per Nathan filio ejus altero ex eadem Bethſabea illas ducit, eſt filius Heli. Matthæus naturam, Lucas ſequitur Legem. Nimirum Matthan, qui a Davide per Salomonem ducebat originem, uxorem duxit Eſtham, quam poſtea habuit in matrimonio Melchi, ſeu Mathat, oriundus a Davide per Nathan. Matthan ex ea ſuſcepit Jacobum, Melchi ſuſcepit Helim. Itaque Jacobus & Heli fratres erant uterini. Heli ſine liberis mortuo Jacobus viduam ejus ſibi conjunxit, ut *ſuſcitaret ſemen fratris ſui* juxta Legis præceptum, ex eaque genuit Joſephum ſecundum naturam filium ſuum, ut Matthæus, ſecundum Legem filium Heli, ut Lucas narrat. Ita Julius Africanus, qui ineunte ſæculo III. floruit, in epiſtola ad Ariſtidem, apud Euſebium lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 7. Africano, ut ſcribit Baronius in Apparatu ad Annales §. 34. *Hieronymus ac ceteri antiquorum Patrum mira conſenſione adſtipulati ſunt*. (1)

Cap. I. 15. 16. Cap. III. 23. 31. 1. Paralip. cap. III. 5. Deuter. XXV. 5.

2. *Quid*

(1) Notandum eſt, patrem Heli ab Africano appellari Mel-

2. *Quid præterea de eo narrant Evangeliſtæ ?*

Matth. I. 18. ℞. Hæc, quæ ſunt omnibus notiſſima. Sponſum fuiſſe Mariæ matris Chriſti, (2) fuiſſe virum juſtum, nempe *in omni virtute perfectum*, ut explicat S. Chryſoſtomus, atque ideo Mariam, quam ferre partum compererat, *antequam convenirent*, cum nollet *traducere*, (*id eſt divulgare, nam hoc etiam multi codices habent*, ut ait S. Auguſtinus) de ea clam dimittenda cogitaſſe: hæc cogitanti Angelum in ſomnis *oſtendiſſe*, ut ſcribit S. Chryſoſtomus, *quod propter quod ſolum ſponſam & ſecum habere metuebat, & a ſe dimittere cogitabat, ob hoc ipſum magis illam accipere debebat, ſecumque retinere, ſi in cœpta velit permanere juſtitia*, quoniam Spiritus Sancti virtute concepiſ-

Melchim: in vulgatis autem hodiernis apud Lucam cap. III. 23. 24. Mathat dici patrem Heli, & nepotem Melchi. S. Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 7. §. 2. non ſolum cum Africano duplicem Joſephi patrem, naturalem unum, legalem alterum admittit, ſed etiam Melchim facit patrem Heli, ex quo videtur colligi, in textu quoque D. Lucæ Auguſtini ætate Melchi, non Mathat fuiſſe. Auguſtinum ſequitur D. Thomas 3. part. quæſt. 32. art. 3. ad 2. Vide Diſſertationem Auguſtini Calmet de conciliatione genealogiarum Jeſu Chriſti, Evangelio D. Lucæ præpoſitam pag. 381.

S. Chryſoſtomus ſerm. in diem natalem Chriſti, qui eſt 31. tom. 3. pag. 420. & 421. Joſephum pariter, ac Mariam facit Cives Bethleemitas: & verba illa *de domo David*, quæ ſunt apud Lucam cap. I. 27. ait, non ad Joſephum, ſed ad Mariam eſſe referenda. Id ipſum repetit hom. 2. in Matthæum pag. 15. concludens ex eo, quod Maria fuerit ex domo, & familia David, etiam Joſephum inde fuiſſe. *Fuerat quippe in lege præceptum, ex diverſis tribus non debere uſurpari conjugium.*

(2) Bollandus 19. Martii pag. 4. §. 1. num. 1. *Evangeliſta Matthæus omnes omnino, quæ dici aut cogitari poſſunt, laudes in ſanctiſſimum Joſephum videtur congeſſiſſe, cum dixit* virum Mariæ, de qua *videlicet* natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.

piſſet. (3) Eidem tunc ſignificatum ab Angelo,
eam parituram filium, cui ipſe nomen Jeſus imponeret.
Eumdemque cum ea, appropinquante
jam partu, iviſſe Bethleem, ut juxta edictum Cæ- Luc. II.
ſaris Auguſti nomen ſuum profiteretur: atque inde 4. 22. 39.
quadrageſimo poſt partum die veniſſe Hieroſolymam,
ut ambo puerum Domino offerrent, &
Legis imperata facerent. Hieroſolyma in patriam Matth.
ſuam Nazareth reverſo iterum per quietem ap- II. 13. 19.
paruiſſe Angelum jubentem, ut fugeret in Ægy- 23.
ptum, & infantem Jeſum, qui ab Herode quærebatur
ad necem, ab imminenti vitæ periculo
ſubtraheret. (4) Poſt obitum Herodis tertio Ange-

(3) S. Auguſtinus ſerm. 51. cap. 6. §. 9. Idem ſerm. 82. cap. 7. §. 10. *Joſeph autem cum eſſet vir juſtus, & nollet eam divulgare*, ſeu, ut interpretatur D. Thomas 3. part. quæſt. 29. art. 2. ad 3. *nollet eam diffamare in publicum*, quæ interpretatio admodum exprimit Græcum verbum παραδειγματίσαι, *in exemplum dare*.

S. Chryſoſtomus hom. 4. in Matth. pag. 31. & 35. ac paullo ante pag. 33. *Cur in ſomnis, & non potius aperte, ſicut & paſtoribus, & Zachariæ apparuerat, & Virgini? Quia ſcilicet erat vir prorſus fidelis, & manifeſtiori revelatione non indigens*.

S. Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes cap. 40. & S. Chryſoſtomus hom. 5. in Matthæum pag. 45. putant, præter illa, quæ dicit Matthæus, Angelum memoraſſe Joſepho ut viro *juſto, & prophetica aſſidue ſcripta meditanti*, etiam verba Eſaiæ cap. VII. 14. *Ecce Virgo concipiet*.

(4) *Quæ cum audiſſet Joſeph, nequaquam paſſus eſt ſcandalum, neque dixit, incerta iſta res eſt, ac prorſus ambigua: tu paullo ante dicebas, quia ſalvabit populum ſuum, & nunc ſe ipſum quidem non poteſt de periculis liberare. Sed fuga nobis neceſſaria eſt, & peregrinatio, ac tranſmigratio longinqua: contraria omnino ſunt facta promiſſis. Sed horum nihil prorſus opponit. Vir enim erat fidelis, neque curioſe reverſionis tempus inquirit, quod utique ab Angelo non ſignate fuerat expreſſum: ſed* eſto ibi, *inquit*, uſquequo dicam tibi. *Verum ille nec per iſta quidem factus eſt ſegnior, ſed obedivit libenter, & credidit omnes prorſus tribulationes cum gaudio ſuſtinendas*. S. Chryſoſtomus hom. 8. in Matthæum pag. 76.

Luc. II. 42. 51. gelum dormienti oblatum imperaſſe reverſionem in terram Iſrael, ejuſdemque Angeli monitu ſeceſſiſſe in partes Galilææ, & Nazarethi habitaſſe. Inde quotannis Hieroſolymam ad Paſchatis ſolemnia celebranda ire ſolitum, una cum Virgine ſponſa etiam puerum Jeſum jam duodennem duxiſſe, ipſum magno animi dolore amiſiſſe: tribus poſt diebus repertum, reductumque ſemper obſequentiſſimum habuiſſe. Poſt hæc nullam Joſephi mentionem invenies apud Evangeliſtas: niſi quod eum fuiſſe fabrum intelligitur ex Matthæo, & Marco, apud quos Jeſus *fabri filius* vulgo appellatur. (5)

Cap. XIII. 55. Cap. VI. 3.

3. *Qualis faber fuit?*

℟. Super artificio Joſephi varia tradita ſunt ab antiquis. S. Juſtinus fabrum lignarium aperte facit. Sunt enim hæc ejus verba ex Dialogo cum Tryphone: *Et cum veniſſet Jeſus ad Jordanem, & Joſephi fabri lignarii filius haberetur, informis videlicet apparens, faberque adeo & ipſe putaretur eſſe: fabrilia namque, cum in hominibus eſſet, faciebat opera, aratra, & juga conficiens, per hæc & juſtitiæ docens ſigna, & vitam non otioſam.* Sentit cum Juſtino Baſilius Hom. de humilitate §. 6. *In domo fuit fabri lignarii, & matris pauperis.* Item Auctor Operis imperfecti hom. 1. in Matthæum: *Ideo & Maria deſponſata erat fabro lignario, quoniam & Chriſtus ſponſus Eccleſiæ omnem ſalutem hominum, & omne opus ſuum per lignum Crucis fuerat operaturus.* S. Hilarius cap. 14. commentarii

Pag. 316. edit. Colon.

Pag. 161. tom. 2.

rii

(5) Grotius in Matth. cap. XIII. 55. tom. 6. Crit. Sac. pag. 483. *Aut memoria fefellit Origenem, aut Marci exemplaria eo tempore aliam habuerunt Scripturam: diſerte enim dicit* lib. 6. contra Celſum §. 36. pag. 659. nuſquam in Evangeliis ab Eccleſia receptis Jeſum dici fabrum.

rii in Matthæum §. 2. de Joſepho, tamquam de fabro ferrario, loquitur. Ait enim, Chriſtum fuiſſe *filium fabri ferrum igne vincentis*: (6) cujus ſententiæ eſt etiam S. Petrus Chryſologus ſerm. 48. & Beda in Evangelium Marci lib. 2. cap. 6. Theophilus Antiochenus lib. I. commentarii in quatuor Evangelia de Chriſto loquens iis verbis utitur, quæ ſimul lignarium, ſimul ferrarium fabrum eum fuiſſe, ſignificare videantur. *Filium fabri*, inquit, *vel ab obtrectatoribus ſe Jeſus voluit appellari, quia ipſe conditor mundi Deus* in principio fecit Cælum & terram: *Et quia terrena nos docent, quæ ſunt cæleſtia, quaſi bonus animæ faber, ſpiritualia vitia noſtra circumdolat, cito etiam ſecurim admovens arboribus infœcundis, ſecare doctus exigua, ſublimia ſervare culminibus, rigida mentium ſpiritus igne mollire, & in varios uſus omne humanum genus diverſa miniſteriorum qualitate formare.* Eadem Theophili verba deſcribit S. Ambroſius initio libri 3. in Lucam §. 2. faciens inſuper *Patrem Chriſti igne operantem & ſpiritu*. Sed magis cre-

Pag. 771. Bibl. Patr. 2. part. 1. pag. 169. Pag. 1314. tom. 1.

(6) Collectores Lipſienſes ad hunc locum ita ſcribunt in Supplementis ad Nova Acta tom. 2. ſect. 12. pag. 549. & 550. edit. an. 1737. Joſephum *fabrum fuiſſe, & quidem lignarium*, Sandinus *credit, reclamantibus licet* Juſtino Martyre, Hilario, *aliiſque. Locus ille, quem* Sandinus *ex Juſtini Dialogo adducit, in verſione Latina quidem habet*: cum Jeſus fabri lignarii filius haberetur &c. *ſed in textu Græco non habetur alia vox, niſi τέκτων, quæ & fabrum ferrarium ſignificat, & fabrum lignarium*. Bene igitur habet. Nam ſi vox *τέκτων & fabrum ferrarium ſignificat, & fabrum lignarium*, mihi licuit utramlibet eligere. Quamquam S. Juſtinus eo ſenſu vocem illam uſurpat, ut ſignificet, Joſephum fuiſſe fabrum lignarium. Addit enim e veſtigio rationem hanc loquens de Jeſu, quem Patris ſui artem profeſſum eſſe, credendum eſt: *Fabrilia namque, cum in hominibus eſſet, faciebat opera, aratra & juga conficiens*, quæ utique conficiuntur ex ligno. Id quod doctiſſimi Collectores animadvertiſſent, ſi locum integrum S. Juſtini vel Græcum, vel Latinum a me allatum paullo attentius legiſſent.

credendum S. Juſtino, tum quia eſt omnium antiquiſſimus, tum quia non aliter ſenſiſſe veteres Chriſtianos, apparet ex dicto pii illius, ac religioſi Ludimagiſtri, qui contumelioſe rogatus a Libanio Sophiſta Juliani Apoſtatæ familiari: *Quid ageret fabri filius*, reſpondit eum *feretrum Juliano fabricare*. In quo quidem haud falſus vates fuit. Nam Julianus paullo poſt confoſſus jaculo interiit, ac feretro in tumulum delatus eſt. Rem narrant Theodoretus lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 8. & Sozomenus lib. *6*. cap. 23. (7)

4. *Cujus erat ætatis, cum illi Virgo deſponſata eſt?*

℟. S. Epiphanius hær. 78. §. 8. refert, Joſephum, cum *Mariam duxit*, *octogeſimum*, *atque eo amplius annum attigiſſe*. Epiphanii veſtigiis inſi-
Pag. 148. ſtunt Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum, & Nicephorus lib. 1. cap. 7. Baronius vero ad an. Ch. 12. §. 9. potius, quam Epiphanio, iis conſentit, *qui illum* tunc *maturioris fuiſſe ætatis dicunt*. Nec immerito. *Primo quia decuit*, quemadmodum diſputat Franciſcus Suarez in 3. Part. D. Thomæ tom. 2. diſput. 7. ſect. 3. *ut in matrimonio illo ſervaretur ea proportio inter virum & uxorem, quæ communi uſu & conſuetudine ſervari ſolet*.

(7) Synopſis Criticorum pag. 371. ad illud Matthæi cap. XIII. 55. *Nonne hic eſt fabri filius?* Fabri *vel ferrarii*, *ut eſt in Evangelio Hebræo utriuſque editionis*, *vel potius lignarii*, *ut Syrus*, *& Arabs accipiunt*. Et hanc ſententiam amplectitur etiam D. Thomas in Matthæum extremo cap. 13. pag. 44. & recentes fere omnes interpretes. Hugo Cardinalis in Marcum cap. *6*. aurificem fuiſſe exiſtimat. Conſalvus Durantus Epiſcopus Feretranus annotat. ad cap. 58. libri *6*. Revelat. S. Brigittæ citat Auguſtini ſermonem 5. de Nativitate Domini, qui *indicat*, *eum fuiſſe fabrum cæmentarium*. Sed hic ſermo neque eſt Auguſtini, neque ulla invenitur in eo mentio Joſephi.

let. Secundo quia oportuit, ut Joſeph eſſet in ætate ad generandum idonea, quia alias non poſſet ſub illius umbra fama & exiſtimatio Virginis illæſa ſervari. Tertio oportuit, ipſum eſſe viribus valentiorem, ut poſſet tot peregrinationes ſuſtinere, & ad familiam ſuam alendam, & ſuſtentandam laborare. Quarto etiam Scriptura nonnihil favet. Nam Lucæ 1. dicitur Angelus miſſus ad Virginem deſponſatam viro, *non ſeni: & cap. 3.* ut putabatur filius Joſeph. *Profecto ſi ille octogenarius fuiſſet, vel non tam facile hæc fama percrebuiſſet, aut certe Virgo in ſuſpicionem aliquam veniſſet. Unde Iſaiæ 62. de tempore adventus Meſſiæ dicitur,* habitavit juvenis cum Virgine, *quod non incommode ad hoc myſterium applicant Gloſſa Ordinaria, & Nicolaus Lyra. Certum ergo videtur, Joſeph non fuiſſe octogenarium, & veriſimilius eſt, non fuiſſe ſenem: qua vero ætate fuerit, juvenis ne an vir, triginta quadragintave annorum, definiri non poteſt, cum ex hiſtoriis nihil habeamus.* (8)

5. *Quo*

(8) Falſa igitur narrant Lipſienſes Academici in Supplementis ad Nova Acta Eruditorum, quæ Lipſiæ publicantur, anno 1737. editis, tom. 2. ſect. 12. pag. 550. ſcribentes in hunc modum: Sandinus *Joſephum putat, cum Mariam duceret uxorem, octogeſimum atque eo amplius annum attigiſſe, teſte Epiphanio Hæreſ. 78. §. 8.*

Joannes Gerſonius ſerm. de Nativitate B. Mariæ Virginis habito Concilio Conſtantienſi: *Sic autem exiſtimo, Joſeph fuiſſe juvenem, ſicut juventutis terminos ponit Iſidorus, quos extendit à viginti octo annis, ubi terminat adoleſcentiam, uſque ad annum quinquageſimum, quo tempore ætas tunc ſenectutis inchoat. Fuit igitur Joſeph, dum primo deſponſatus eſt, ſub quinquageſimo anno conſtitutus.*

Nec obſtat a Pictoribus Joſeph in ætate ſenili depingi: id enim ad repræſentandam nobis ejus caſtitatem factum eſt.

Toletus in Lucam cap. I. annotat. 59. & Suarez loco citato exiſtimat, conſuetudinem pingendi Joſephum ſenem inde obtinuiſſe, quod *cum eſſet maturæ ætatis, & vir juſtus, partim laboribus, partim corporis afflictionibus effecerat, ut pro-*

5. *Quo modo electus eſt in ſponſum Virginis?*

Bar. in apparatu §. 54. ℞. Certi nihil eſt, quod ſequaris. Libri apocryphi, Evangelium ſcilicet de Nativitate Mariæ, cap. 7. & Protoevangelium Jacobi cap. 9. ita narrant, cunctos de domo & familia David matrimonio idoneos, non tamen matrimonio con-
Cap. XI. t. 2. junctos, juxta illud Eſaiæ oraculum: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, virgas ſuas juſſu Sacerdotum detuliſſe ad Altare, & ſolam Joſephi virgam florem germinaſſe, atque in ejus cacumine Spiritum Domini in columbæ ſpecie viſum eſſe, & hoc modo Joſephum divino judicio *ad teſtimonium conjugalis ſemper manſuræ Virginitatis electum* eſſe, (9) dignumque habitum, cui Virgo nuptum daretur. Paullo aliter narrat Protoevangelium Jacobi. Habet enim, columbam e virga Joſephi prodiiſſe, & volaſſe in caput ejus. (10) Eadem ferme legas apud Euſtathium
Bibl. Patr. tom. 27. pag. 37. Antiochenum commentario in Hexaemeron, ſi tamen ejus eſt. Epiphanius quoque hær. 78. §. 7. & Gregorius Nyſſenus oratione in Nativitatem Chriſti ex impuris hiſce fontibus hauſiſſe videntur. Itaque ex dictis hoc unum diſcas, unde ortus ſit mos ille pictorum S. Joſephum cum florente virga effingendi. (11)

6. *Aliam*

provectioris, quam revera eſſet, ætatis appareret. Vide Capiſuccum Controverſia 17. Digreſſione 2.

(9) S. Auguſtinus in libro de Opere Monachorum cap. 13. §. 14.

(10) Apud Joannem Albertum Fabricium in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti pag. 28. & 87.

(11) Vide Stephani Lemonii notas ad Varia Sacra pag. 590.

6. *Aliam ne ante Mariam Virginem habuit in matrimonio?*

℟. *Antiqua eſt hæc quæſtio*, ut ait Baronius in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos §. *61. quæ & utriuſque partis graviſſimos habuit aſſertores. Invaluit olim nonnullorum Patrum opinio, illos, qui in Evangelio fratres Domini dicti inveniuntur, Judam Thaddæum, Simonem, Joſeph, & Jacobum Minorem nominatum, ex Joſeph, & uxore, quam longe ante ſponſalia Virginis duxerat, eſſe ſuſceptos.* Ha- Hær. 78. §. 7. buit, *inquit Epiphanius*, hic Joſeph primam ſuam uxorem ex Tribu Juda, & peperit hæc ipſi liberos numero ſex, quatuor maſculos, & duas femellas, quemadmodum Evangelium ſecundum Matthæum, & ſecundum Marcum declaraverunt. *Hæc Epiphanius, exiſtimans nimirum omnes, quos fratres vel ſorores Domini Evangeliſtæ nominant, eſſe ex Joſeph, ex prima, quam putat habuiſſe, uxore progenitos. Qui huic opinioni adhæſerunt, recenſentur complures antiquorum Patrum, ac in primis Hippolytus Portuenſis, qui ait, Joſeph ex uxore ſua Salome genuiſſe quatuor maſculos, Jacobum, Simonem, Judam, & Joſeph, duas itidem feminas, Eſther, & Thamar: teſtatur de filiis Joſeph etiam Origenes, Euſebius, idem qui ſupra Epiphanius, ſæpius Gregorius Nyſſenus, Joannes Chryſoſtomus, & alii Græcorum: Latinorum autem Hilarius, & Ambroſius.* (12) *Quo autem fundamento innitantur hi, qui in hanc ſententiam abierunt, & e quo fonte iſta hauſerint, Origenes teſtatur his verbis:* Fratres autem Jeſu putabant nonnulli eſſe, ex traditione Hebræorum, ſumta occaſione ex Evangelio, quod ti-

(12) Hilarius in Matth. cap. 1. §. 4. pag. 671. Ambroſius, ſeu potius alius auctor Commentarii in Epiſt. ad Galatas cap. I. 19. pag. 213. Appendicis tomi 2.

titulum habet, *Juxta Petrum*, aut ex libro Jacobi, filios Joſeph ex priore uxore, quæ conjux erat ipſi, antequam duceret Mariam. *Hæc ille*. *Hieronymus adverſus hos, qui ex apocryphis iſthæc hauſerunt, declamans hæc ait*: Quidam fratres Domini de alia uxore Joſeph filios ſuſpicantur, ſequentes deliramenta apocryphorum, & quamdam Eſcham mulierculam confingentes. Nos autem, ſicut in libro, quem contra Helvidium ſcripſimus, continetur, fratres Domini, non filios Joſeph, ſed conſobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ eſſe dicitur mater Jacobi minoris, & Joſeph, & Judæ: quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem conſobrinos dici, omnis Scriptura demonſtrat. (13) *Hæc Hieronymus; ac doćte quidem. Quæ enim vel Petri, aut Jacobi nomine ferebantur Pſeudoevangelia, a Leucio ſeu Seleucio quodam fuiſſe conficta, teſtatur Innocentius Papa. De his & Gelaſius*, Evangelium, *inquit*, nomine Petri apocryphum; Evangelium nomine Jacobi minoris apocryphum. *Fuit igitur de his aliorum magis probabilis ac recepta ſententia, Joſeph non bigamum, nec aliud ante ſanctiſſimam Virginem iniiſſe conjugium: hujus fortiſſimus adſtipulator, ſeu potius auctor Hieronymus, adverſus Helvidium infamem hæreſiarcham pugnans, hæc ait*: Tu dicis Mariam virginem non permanſiſſe: ego mihi plus vindico, etiam ipſum Joſeph virginem fuiſſe per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius naſceretur. Si in virum ſanctum fornicatio non cadit; & aliam eum uxorem habuiſſe non ſcribitur; Mariæ autem, quam putatus eſt habuiſſe, cuſtos potius fuit, quam maritus: relinquitur, eum virginem manſiſſe cum Maria, qui pater Do-

In Matth. cap. 12. pag. 23.

Cap. 8. pag. 314.

Cap. 9. pag. 316.

(13) Vide D. Thomam 3. part. quæſt. 28. art. 3.

Domini meruit appellari. (14) *Huic ſententiæ ceteri omnes, qui poſtea vixerunt, Latinorum Orthodoxi ſcriptores conſenſerunt, adeo ut Petrus Damiani ſuorum temporum ſcriptor nobiliſſimus dicat magna fiducia, Eccleſiæ fidem in eo eſſe, ut non modo Deipara, verum etiam putativus pater atque nutritius virgo habeatur.* (15) *Certe quidem quantum probabilibus conjecturis agere licet, quomodo non homini virgini Deus virginem, ex qua carnem ſuſcepturus erat, tradidiſſet, ſi factus homo ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eamdem jam ſeneſcentem non niſi virgini commendavit?* Hactenus Baronius:

7. Quare voluit eam dimittere?

℟. S. Auguſtinus ſerm. 51. cap. 6. §. 9. putat, eam voluiſſe dimittere, *quia cum de ſe gravidam*

 nen

(14) Unius Hieronymi auctoritas & numero, & antiquitati aliorum Patrum, qui contradicunt, anteponenda eſt, quia nititur Eccleſiæ conſenſu credentis, Sponſum Virginis in perpetuo cælibatu manſiſſe. Tum enim (quod docet Honoratus a S. Maria tom. 1. Animadverſionum in Regulas & uſum Critices diſſertat. 7. art. 8. §. 2.) licet unius auctoritatem multorum opinioni anteferre. Propterea recte Bailletus ad diem 19. Martii pag. 494. affirmat, ſententiam adverſariorum ſuſtineri nullo modo poſſe.

Bollandus die 19. Martii p. 14. §. 7. n. 44. *Virginem ſane vixiſſe Joſephum, ac mortuum eſſe, poſt Hieronymum tota Latinorum ſenſit Eccleſia: virginem autem non quomodocumque, ſed deliberato animi in vitam omnem conſequentem propoſito, voti religione firmato, ſit perquam credibile ex illo tam conſtanti tot annorum cælibatu.* Vide Lud. Vincentium Gotti in Veritate Religionis Chriſtianæ tom. 4. part. 1. cap. 4. §. 7. & Aloyſium Lippomanum apud Surium die 25. Martii.

(15) S. Petrus Damiani opuſculo 17. de Cælibatu Sacerdotum cap. 3. *Numquid ignoras, Dei filium adeo carnis elegiſſe munditiam, ut ne quidem pudicitia conjugali, ſed de clauſula potius incarnatus ſit virginali? Et ne hoc ſufficere videatur, ut tantummodo virgo ſit Mater, Eccleſiæ fides eſt, ut virgo fuerit & is, qui ſimulatus eſt Pater.*

Digitized by Google

non eſſe ſciret, jam velut conſequenter adulteram exiſtimabat. (16) Eadem Ambroſii eſt, eadem Chryſoſtomi, Juſtini aliorumque ſententia. (17) Sanctus vero Bernardus ſuper *Miſſus eſt* hom. 2. §. 14. *Quare*, inquit, *voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, ſed Patrum ſententiam*. (18) *Propter hoc Joſeph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum a ſe repellebat di-*
Luc. V. 8. *cens:* Exi a me Domine, quia homo peccator ſum, *propter quod & Centurio a domo ſua eum pro-*
Matth. VIII. 8. *hibebat, cum diceret:* Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. *Ita ergo & Joſeph indignum & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, a tali, & a tanta non debere ſibi ultra familiare præſtari contubernium, cujus ſupra ſe mirabilem expaveſcebat dignitatem*. Utra autem ex his
In Matth. cap. I. 19. pag. 39. duabus ſententiis magis probanda ſit, Bernardi, an Auguſtini, ego non audeo dicere. Dicet pro me Maldonatus, neque dubitabit Auguſtinum Bernardo anteponere, atque affirmare, Bernardi opi-

(16) Idem S. Auguſtinus epiſt. 153. cap. 4. §. 9. *Unde Joſeph, cui Virgo Maria Domini mater fuerat deſponſata, cum eam comperiſſet eſſe prægnantem, cui ſe noverat non eſſe commixtum, & ob hoc nihil aliud, quam adulteram credidiſſet, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitii fuit. Nam hæc voluntas ejus etiam juſtitiæ deputatur. Ita quippe de eo ſcriptum eſt*: Et cum eſſet homo juſtus, & nollet eam divulgare, ſtatuit eam occulte dimittere. Hæc eo cogitante apparuit illi Angelus, *qui doceret, eſſe numinis, quod ille putaverat criminis*.

(17) S. Ambroſius de Inſtitutione Virginis cap. 5. §. 39. & S. Chryſoſtomus hom. 4. in Matthæum pag. 31. S. Juſtinus in Dialog. cum Tryph. pag. 303.

(18) Fortaſſe intelligit Origenem, & Baſilium. Nam ille hom. 1. in diverſos tom. 2. pag. 426. hic, ſeu alius, homilia in ſanctam Chriſti generationem §. 4. pag. 508. in Appendice tom. 2. docet, idcirco Joſephum voluiſſe Mariæ nuntium remittere, quod ſe minime dignum exiſtimaret, qui *talis mulieris vir appellaretur*. Verum hac ætate homilias illas Origeni, & Baſilio abjudicant viri docti.

pinionem, quamvis pietati ejus maxime conveniat, loco tamen non convenire. Etenim verba illa Angeli ad Joſephum: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*, ſatis oſtendunt, ideo ſolum voluiſſe Joſephum dimittere Mariam, quod putaret, filium in ea natum *non de Spiritu Sancto, ſed de adulterio natum*, *ideoque timuiſſe accipere, ne probare adulterium videretur*. (19)

8. *Suſcepit ne filios ex ea poſt Chriſtum natum?*

℞. Nihil ſane minus. Quamvis enim Mariam Virginem more virorum ceterorum duxerat, ut exiſtimat S. Auguſtinus, (20) tamen cupiditatibus, quibus ceteri ſerviunt, imperans, nullam ejus nec ante, nec poſt Chriſtum natum notitiam habuit. Itaque *deteſtandus eſt error Helvidii*, ut ait D. Thomas 3. part. quæſt. 28. art. 3. *qui dicere præſumſit, matrem Chriſti poſt partum a Joſeph carnaliter cognitam, & alios filios genuiſſe*. Nam Cap.I.18.
quod dicitur apud Matthæum: *antequam convenirent*, ex eo *non ſequitur*, ait Hieronymus, *quod* 25. In Matth.
poſtea convenerint, *ſed Scriptura*, *quod factum non* cap. I.
ſit, *oſtendit*, Neque item obſtat illud apud eum- pag. I. & 2.

(19) S. Hieronymus in Matthæum cap. 1. pag. 1. ſcribit, *hoc teſtimonium Mariæ eſſe*, *quod Joſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod evenerat, celat ſilentio, cujus myſterium neſciebat*.

Auctor Operis imperfecti hom. 1. in Matthæum pag. 773. *O ineſtimabilis laus Mariæ!* (Joſephus) *magis credebat caſtitati ejus, quam utero ejus, & plus gratiæ, quam naturæ*. Quod autem idem Auctor Mariam Joſepho dicentem facit, neſciviſſe ſe ex quo gravida eſſet, id aperte repugnat D. Lucæ Evangeliſtæ teſtimonio cap. I. 35.

(20) Libro 5. contra Julianum Pelagianum cap. 12. §. 48. *Nec iſtam* (Mariam) *quæſiſſet*, *ſi neceſſariam conjugem non haberet*... Integrum locum recitavi ſuperius annotat. 6. ad caput 3. Vitæ B. Virginis.

dem Matthæum: *Non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum:* quoniam *hic mos eſt divinarum Scripturarum*, teſte eodem Hieronymo, *ut primogenitum non eum vocent, quem fratres ſequuntur, ſed eum, qui primus omnium natus ſit.* (21) Ea vero eſt adverbii *donec*, vel *uſque* ratio, & vis, quemadmodum ex Hieronymi ſententia docet S. Thomas, ut ſignificet etiam *infinitum tempus, ſecundum illud Pſalmi* 113. Oculi noſtri ad Dominum donec miſereatur noſtri: *ex quo non eſt intelligendum, quod poſt impetratam miſericordiam oculi avertantur a Deo. Et ſecundum hunc modum loquendi ſignificantur ea, de quibus poſſet dubitari, ſi ſcripta non fuiſſent: cetera vero noſtræ intelligentiæ derelinquuntur. Et ſecundum hoc Evangeliſta dicit, matrem Dei non eſſe cognitam a viro uſ-*

Loc. cit. ad 3.

(21) Idem adverſus Helvidium cap. 5. pag. 312. *Nos ita definimus: Omnis unigenitus eſt & primogenitus; non omnis primogenitus eſt unigenitus: primogenitus eſt non tantum poſt quem & alii, ſed ante quem nullus.* Omne, *inquit Dominus ad Aaron Numer. XVIII.* 15. quod aperit vulvam ab omni carne, quæ offertur Domino, ab homine uſque ad pecus, tibi erunt: tantummodo pretiis redimant primogenita pecorum immundorum. *Definivit ſermo Dei, quid ſit primogenitum;* Omne, *inquit*, quod aperit vulvam. *Alioqui ſi non ſit primogenitus, niſi is tantum, quem ſequuntur fratres: tamdiu Sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiu & alia fuerint procreata, ne forte, partu poſtea non ſequente, unigenitus ſit, & non primogenitus.*

S. Epiphanius Hær. 78. §. 21. *Primogenitum vero nominat, eo quod ante creatas res omnes genitus eſt, & ut ait Apoſtolus*, Primogenitus in multis fratribus: *non reſpectu ad Mariæ liberos habito, quaſi alios illa pepererit, ſed ad eos omnes, qui adoptionem illius beneficio conſecuti ſunt.... Eſt quiddam in eo genere ei ſimile, quod Incarnationem anteceſſit. Nam ut primogenitus re vera Patris ante creaturam omnem exſtitiſſe dicitur, neque tamen ideo, quod alii poſt ipſum a Patre geniti ſint, primogenitus vocatur; non enim fratrem alterum habuit, quippe qui ſit unigenitus: ita & ſuſcepto corpore Mariæ primogenitus appellatur; tametſi unica ejus proles exſtiterit, neque ſecundus ex ea ſit illi frater in lucem editus.*

uſque ad partum, *ut multo magis intelligamus*, *cognitam non fuiſſe poſt partum*. (22) Tandem qui in Evangelio *fratres Domini* memorantur (nam hoc quoque opponit Helvidius) Domini fratres ſunt non natura, quaſi ex eadem matre, aut ex eodem patre geniti, ſed cognatione: quo ſenſu nomen fratris uſurpari ſolet in Litteris Sacris. (23) Id quod etiam S. Petrus Chryſologus ſermone 48. his verbis prodidit: *Callide fratres ingeris*, *oſtentas ſorores*, *ut numeroſo partu ſanctæ ma-*
B b 4 *tris*

(22) S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 5. pag. 47. Donec *hic poſuit*, *non ut ſuſpiceris*, *quod vel poſtea aliquando cognoverit*, *ſed ut dicas*, *quod etiam ante partum omnino intacta permanſerit*. *Cujus igitur*, *inquies*, *rei gratia* donec *hic poſitum eſt? Sæpe Scriptura divina hac uti elocutione conſuevit*, *ut dicendo* donec, *non definitum aliquod tempus includat*. *Nam & cum a Noe corvus ex arca eſſet emiſſus*, non eſt, *inquit*, reverſus, donec ſiccaretur terra. *Et certe nec poſtea invenitur rediiſſe*.

Auctor Operis imperfecti in Matth. hom. 1. pag. 774. ſcribit, Joſephum non cognoviſſe eam, hoc eſt non ſciviſſe, antequam pareret, cujus illa eſſet dignitatis. At id non conſentit cum Evangelio Matthæi I. 20. apud quem eſt Angelus dicens Joſepho: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: *quod enim in ea natum eſt*, *de Spiritu Sancto eſt*.

Alii volunt, non cognoviſſe Mariam viſu, quod ejus facies poſt Chriſti Domini conceptionem tanto fulgore coruſcarit, ut nec aſpici, nec agnoſci poſſet. Quæ pia commentatio nullo ſacrarum Scripturarum, nullo Traditionis teſtimonio roboratur.

S. Hilarius in Matthæum cap. 1. §. 3. ſi quidem ſententiam ejus aſſequor, exiſtimat, Joſephum poſt partum cognoviſſe eam, hoc eſt intellexiſſe, jam tum eam conjugem eſſe, & dici poſſe, quæ antea deſponſata potius, aut ſponſa dici poterat. *Dehinc quia deſponſata eſſet*, *in coniugem recipitur*. *Cognoſcitur itaque poſt partum*, *id eſt tranſit in conjugis nomen*. *Cognoſcitur*, *non admiſcetur*... *Ergo & conjugis nomen ſponſa ſuſcepit*, *& poſt partum in conjugem recognita*, *tantum Jeſu mater oſtenditur*.

(23) Lege annotationem nonam ad cap. 6. Vitæ Mariæ Virginis.

tris virginitas lateat, obſcuretur integritas, & ſentiatur de filio totum, quod humanum eſt, nihil divinum. Judæe, quot dicis fratres & ſorores Chriſti, Cleophæ ſororis Mariæ filii ſunt, non Mariæ: & fratrum, & ſororum filios, fratres nuncupat & divina lex, & humana cognatio. Ergo Chriſti fratres fecit non matris virginitas, quæ permanſit virgo poſt partum, ſed materteræ ejus fecit propinquitatis aſſertio. Beata Maria ſi alios filios habuiſſet, a Chriſto mater in ipſo crucis tempore, in articulo ipſo mortis non diſcipulo traderetur, non commendaretur extraneo. (24)

9. *Qua de cauſſa dictus eſt pater Chriſti?*

℟. Triplici de cauſſa. Primum quia Chriſti nutritius fuit, ut Origenes: deinde quia communi opinione pater Chriſti credebatur, ut Hieronymus: poſtremo quia vir & maritus erat Mariæ Virginis matris Chriſti, ut Auguſtinus docet. Origenis verba ſunt hæc ex hom. 16. in Lucam: *Quamobrem mirabatur & pater: ſic enim appellatus eſt Joſeph, quia nutritius fuit.* (25) Hieronymus ad-

(24) Eodem modo diſputant S. Epiphanius hær. 78. §. 10. S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 5. pag. 47. S. Paulinus epiſt. 50. alias 43. §. 17.

(25) Inter Opera S. Hieronymi tom. 7. pag. 293. editionis Veronenſis.

Origenem ſequitur S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 7. §. 9. *Joſeph Pater Chriſti dictus eſt ratione curæ in alendo, educandoque collatæ.* Ab Origene diſſentit Gulielmus Eſtius in 4. Sent. diſt. 30. §. 11. *Primum quia Scripturæ conſuetudo non habet, ut nutritius pater, & nutrix mater dicatur. Deinde quia Virgo illum etiam in patris vocabulo ſibi præponit dicens:* Pater tuus & ego. *Idem facit Evangeliſta dicens:* Erant pater ejus, & mater, *ne forte putes humilitatis cauſſa tantummodo id Virginem feciſſe. Tertio quia Lucas vocat ambos parentes, Græce γονεῖς, quaſi genitores, quia, ut dictum eſt, generatio filii etiam ad Joſeph jure conjugii pertinuit.*

adverſus Helvidium cap. 2. ita ſcribit : *Excepto* Pag. 310. *Joſeph*, *&* *Eliſabeth*, *&* *ipſa Maria*, *paucіſque admodum*, *ſi quos ab his audiſſe poſſumus exiſtimare*, *omnes Jeſum filium exiſtimabant Joſeph: in tantum ut etiam Evangeliſtæ opinionem vulgi exprimentes*, *quæ vera hiſtoriæ lex eſt*, *patrem eum dixerint Salvatoris*. (26) Apud Auguſtinum lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 1. §. 3. hæc leguntur: *Unde eum patrem* (Lucas) *appellat*, *niſi quia & virum Mariæ recte intelligimus ſine commixtione carnis*, *ipſa copulatione conjugii*, *&* *ob hoc etiam Chriſti pa-*

nuit. *Quarto quia ab eodem Evangeliſta dicitur*, *quod* erat ſubditus illis, *nempe tamquàm filius parentibus*. *Quem locum urget Auguſtinus lib.* 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 11. *Poſtremo quia tam Lucas*, *quam Matthæus genealogiam Chriſti ducunt per Joſeph*, *quod abſurde fieret per eum*, *qui non alia ratione pater eſt*, *quam quia nutritius*.

(26) Subjicit e veſtigio Hieronymus*:* Et cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent de illo ſecundum conſuetudinem legis. (Luc. cap. II. 27. 33. 41. 43.) *Et alibi :* Et erant pater illius & mater admirantes ſuper iis, quæ dicebantur de eo. *Et rurſum:* Et ibant parentes ejus per annum in Hieruſalem in ſolemni die Paſchæ. *Ac deinde*: Et completis diebus, tum reverterentur, remanſit puer Jeſus in Hieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. *Ipſa quoque Maria*, *quæ ad Gabrielem reſponderat dicens:* Luc. cap. I. 34. Quomodo fiet hoc, quia virum non cognoſco? *quid de Joſeph loquatur*, *auſculta*: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. *Non enim hæc Judæorum*, *ut plerique argumentantur*, *non illudentium vox eſt*. *Evangeliſtæ patrem Joſeph dicunt*: *patrem Maria confitetur*. *Non quod*, *ut ſuperius indicavi*, *vere pater Joſeph fuerit Salvatoris* : *ſed quod ad famam Mariæ conſervandam*, *pater ſit ab omnibus exiſtimatus*.

Idem S. Hieronymus in Jeremiam cap. 28. pag. 291. tom. 4. *Multa in Scripturis Sanctis dicuntur juxta opinionem illius temporis*, *quo geſta referuntur*, *&* *non juxta quod rei veritas continebat*. *Joſeph in Evangelio pater Domini vocatur*, *&* *ipſa Maria*, *quæ ſciebat ſe de Spiritu Sancto concepiſſe*, *&* *reſponderat Angelo:* Quomodo erit iſtud, quoniam virum non cognoſco*? loquitur ad filium*, Fili, quid feciſti nobis ſic*?* Ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te.

Digitized by Google

patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjuge natus eſt, quam ſi ei eſſet aliunde adoptatus? Unde manifeſtum eſt, illud, quod ait: Ut putabatur, filius Joſeph, *propter illos dixiſſe, qui eum ex Joſeph, ſicut alii homines naſcuntur, natum arbitrabantur*. (27)

10. *Quando vivere deſiit?*

℟. Placet omnibus fere, Joſephum vivere deſiiſſe, antequam Chriſtus Dominus doctrinæ ſuæ prædicatione ad cæleſtem beatitudinem certum ac directum iter hominibus monſtrare inciperet. Namque ut ait Eſtius in lib. 4. Sent. diſt. 30. §. 8. ad 4. *Evangeliſtæ nullam illius, tamquam adhuc viventis, mentionem faciunt poſt illud Luc. 2. Et erat ſubditus illis*. Profecto non legimus apud Joannem, interfuiſſe nuptiis in Cana Galilææ celebratis, quibus Jeſus, ejuſque mater interfuit. Neque item legimus, Nazarenos apud Matthæum, & Marcum ſapientiam Chriſti admirantes voce illa: *Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joſeph, & Judæ, & Simonis? nonne & ſorores ejus hic nobiſcum ſunt?* Joſephum ejus patrem commemoraſſe: commemoraſſent autem, ſi ille, quemadmodum Maria ejus mater, fratreſque, & ſorores, in vivis adhuc fuiſſet. Neque demum in Evangelio D. Lucæ legimus: *Pater tuus, Mater tua, & fratres tui ſtant foris*: ſed tantum: *Mater tua, & fratres tui*, nulla mentione facta Joſephi. Atque hoc quidem argu-

Bar. ad an. 12. §. 8. & 9.

Cap. II. 1. 2.

Cap. XIII. 55.

Cap. VI. 3.

Cap. VIII. 20.

(27) Hieronymi, & Auguſtini ſententiam probat Beda in Lucam cap. 3. pag. 255. tom. 5. & homilia in Dominica infra Octavam Natalis Domini pag. 199. tom. 7.

S. Hilarius in Matth. cap. 1. §. 3. pag. 671. *Quotieſcumque de utroque* (Joſepho & Maria) *fit ſermo, Mater potius Chriſti, quia id erat, non uxor Joſeph eſt nuncupata, quia non erat*.

gumento utitur S. Epiphanius hær. 78. §. 10. (28) & Joannes Archiepiſcopus Theſſalonicenſis de Chriſti Reſurrectione; ille ut probet, Joſephum migraſſe ex hac vita poſt annum Chriſti duodecimum, hic ut doceat, id, quod dicimus, *jam tum Joſephum diem obiiſſe, cum Dominus triginta annorum factus prædicare cœpit*. Uterque vero eos refellit, qui dicunt, Joſephum morti Chriſti ſupervixiſſe, quia Chriſtus, Joſepho vivo, moriens matrem ſuam Joanni non commendaſſet. (29)

In Bibl. Patr. tom. 12. pag. 822.

11. *Quo*

(28) Idem ibidem: *Sed neque poſteaquam ex Ægypto rediit, diu ſupervixit. Agebat tum Chriſtus annum ætatis quartum. Joſephus* LXXXIV. *exceſſerat, cum ex Ægypto reverſus eſt. Poſt hæc aliis* VIII. *vixit... Porro nondum evolutis annis illis Joſephus moritur, ac Jeſus non amplius ſub illo, ſed in ejus domo duntaxat educatus eſt.*

(29) S. Hieronymus adverſus Helvidium cap. 6. pag. 313. *Illam de Cruce Dominus jam viduam, ut matrem Joanni commendabat.* Forſitan aliquis dicat, Chriſtum Dominum eam ob cauſſam commendaſſe Joanni matrem ſuam, quod Joſephus eſſet admodum ſenex, & alterius ope ipſe indigeret: Cur ergo Dominus ſenem patrem æque, ac Virginem matrem Joanni non commendavit?

Serry Exercitat. 25. §. 3. *Non deſunt Eccleſiæ Patres, qui Joſephum, Chriſto moriente, adhuc in vivis fuiſſe putent, Chriſtumque nihilominus Virginem matrem Joanni, non Joſepho licet ſuperſtiti commendaſſe, ut ea ratione palam ſignificaret, nullum Mariam inter & Joſephum carnale commercium acceſſiſſe. Ita D. Chryſoſtomus hom. 5. in Matthæum, S. Ambroſius lib. de Inſtit. Virg. cap. 6. Epiſt. 5. lib. 1. lib. 2. in Lucam ad cap. 1. & lib. 10. ad cap. 23. S. Auguſtinus ſerm. 81. de Tempore, Auctor ſermonis de Paſſione Domini apud D. Cyprianum.* Hujus quidem ſermonis auctor, item auctor ſerm. 81. de Tempore, qui nunc eſt 13. Appendicis apud Auguſtinum, & S. Ambroſius id videntur indicare, quod vult Theologus eruditiſſimus: quamquam auctor ſermonis 81. de Tempore id dicit per analogiam, quæ, ut ait Tillemontius in vita S. Joſephi pag. 78. hiſtorici facti fundamentum eſſe non poteſt, & S. Ambroſius ita perplexe loqui-

11. *Quo die mortuus eſt, & quo in loco ſepultus?*

℟. Utrumque dubium ac varium eſt. Nam Joſephi ſepulcrum fuiſſe in valle Joſaphat prope tu-
Pag. 365. tom 3. mulum Simeonis ſenis, prodit Beda, aut quiſquis eſt alius auctor libelli *de locis Sanctis* cap. 6. quem ſecuti ſunt plures ex recentioribus. Bollandus ta-
Pag. 7. men ad diem 19. Martii exiſtimat, illud potius eſſe ſepulcrum Joſephi illius *Juſti*, qui cum Matthia electus eſt, ut ſubrogaretur in locum Judæ. Auguſtinus vero Calmet diſſertat. de S. Joſeph S. Mariæ Virginis conjuge, præpoſita Evangelio D. Lucæ, art. 8. arbitratur, mortuum ac ſepultum
Cap. II. 14. & IV. 13. Nazarethi, quod in ea Urbe, referente Matthæo, habitaverit poſt reverſionem ex Ægypto, in eaque Chriſtus Dominus manſerit uſque ad initium prædicationis. Jam ejus vitæ ſupremus dies non minus incertus eſt atque ignotus, quam ætas ejus. Undeviceſimus menſis Martii notatur in vetuſtiſſimis Martyrologiis, qui tamen ſero feſtus ſan-

quitur, ut contra idem Tillemontius ex eo collegerit, Mariæ, Chriſto moriente, nullum fuiſſe maritum.

Sanctus vero Chryſoſtomus cit. hom. 5. in Matthæum pag. 47. ex eo, quod Chriſtus moriens Virginem matrem Joanni commendavit, hoc ſolum concludit. *Nec poſtea*, inquit, *quidem eam, quæ tali modo mater effecta eſt, & novo illuſtrata partu, novoque puerperio, ille juſtus aliquando fuerit auſus attingere. Si enim cognoviſſet eam, & loco habuiſſet uxoris, quomodo illam Dominus quaſi abſque ſolatio, & neminem penitus habentem, diſcipulo commendare curaſſet, jubens ei, ut eam reciperet in ſua?*

Idem Chryſoſtomus hom. 3. in Act. Apoſt. pag. 470. ad verba illa cap. I. 14. Et erant unanimiter perſeverantes in deprecatione: *Vides quam fuerint vigilantes. Duo quædam de illis teſtificatur, alterum quod in precibus perſeverarent, alterum quod unanimiter velut hoc eodem animo facientes. Joſeph itaque forſitan jam erat vita defunctus, eoque noluit hujus facere mentionem.*

ſanctuſque haberi cœpit, curante videlicet piiſſimo viro Joanne Gerſonio, qui anno 1429. exceſſit e vita. Summa quoque S. Tereſiæ in S. Joſephum pietas ac religio multum promovit ad cultum ejus augendum. (30) Copti, aliique Orientales, immo nonnullæ Italorum Eccleſiæ ei honorem habent die 20. Julii.

12. *De Reliquiis S. Joſeph ſunt ne aliqua cognitu digna?*

℞. Sunt hæc apud Bollandum, anulum virginalis conjugii arrham miraculis probatum ſervari Peruſiæ in Umbria; (31) partem pallii, quo natum Salvatorem S. Joſephus excepit, una cum ejus ſcipione eſſe Romæ in Eccleſia S. Cæciliæ trans Tiberim, & partem alteram in Eccleſia S. Anaſtaſiæ; quod pallium ſubflavi eſſe coloris ex fide eorum, qui inſpexere, ſcribit Joſeph Geldolphus a Ryckel in ſuo Phylacterio, ex Reliquiis ſacris Jeſu, Mariæ, Annæ, Joſeph compoſito. In Eccleſia Aquiſgranenſi inter Reliquias a Carolo Magno Hieroſolyma acceptas oſtendi pannos aliquot nomine primarum Chriſti faſciarum in ſtabulo Bethleemitico, *quos qui videret*, ut ait jam citatus Geldolphus, *tibialia viatoria*, *ſeu perones involvendo puero haud idoneos judicaret*, quamvis S. Joſephi caligæ antiquitus appellarentur. Tandem ſupereſſe quædam vaſcula, quæ ſanctis conjugibus, & Chriſto filio uſui fuiſſe creduntur: quoniam ſimul cum eorum ædicula ab Angelis Lau-

Martii 19. pag. 15.16.17.

(30) Vide Florentinium in annotat. ad Martyrologium Hieronymianum die 20. Martii pag. 390. & Bollandum die 19. ejuſdem menſis pag. 17.

(31) De hoc anulo multa Lambertinus de Feſtis B. Mariæ Virginis part. 2. §. 13. ubi agit de inſtitutione Feſti Deſponſationis ejus cum S. Joſeph pag. 256.

Lauretum translata ſunt. Poſt hæc idem Bollandus ſubjungit, neminem eſſe, qui alias præter memoratas Joſephi reliquias requirat, vel habere ſe dicat.

Hæc habeto ex antiquis litteris & collecta fideliter, & integre expoſita de Chriſto Jeſu, de Maria Virgine Matre, de Joſeph Virginis Sponſo; Familia illa invii Myſterii, & adorandæ diſpenſationis, unde prodiit nobis æterna ſalus.

IN-

Digitized by Google

INDEX
CHRONOLOGICUS.

Anni Orbis Conditi.	Anni Urbis Conditæ.		Anni ante Christū.	Anni ante Æram Vulgarē.
3985.	733.	Conceptio B. Mariæ Virginis die octavo Decembris. pag. 302.	16.	21.
3986.	734.	Nativitas B. Mariæ Virginis die octavo Septembris. pag. 302.	15.	20.
3989.	737.	Præſentatio in Templo anno ætatis tertio. pag. 309. 314.	12.	17.
3997.	745.	Joachimus octogenarius, & Anna annos nata undeoctoginta vitam finiit ex Cedreno. pag. 299.	4.	9.
3989.	747.	Angelus Gabriel nuntiat Zachariæ futurum ut filium ex uxore ſua Eliſabetha ſuſcipiat. pag. 8. Eliſabetha concipit poſt menſem Septembrem. ibid.		7.
4000.	748.	Annuntiatio B. Mariæ Virginis die vigeſimo quinto Martii. pag. 4. & 326. Maria Virgo convenit Eliſabetham cognatam ſuam. pag. 330. Nativitas Joannis Baptiſtæ die vigeſimo quarto Junii. pag. 8. NASCITUR CHRISTUS DOMINUS anno Orbis conditi circiter 4000. pag. 6. Die vigeſimo quinto Decembris.		6.

Anni Orbis Conditi.	Anni Urbis Conditæ.		Anni Chriſti.	Anni ante Æram Vulg.
4000.	748.	bris. pag. 8. In diebus Herodis Regis. pag. 54. Conſulibus *C. Lælio Balbo*, & *C. Antiſtio Vetere*. pag. 67.		6.
4001.	749.	Annus Chriſti primus uſque ad diem quintum & viceſimum Decembris. Kal. Januariis circumciditur. pag. 23. Die ſexto ejuſdem menſis adoratur a Magis. pag. 37. Præſentatur in Templo die ſecundo Februarii. pag. 47. Purificatio B. M. Virginis eodem die 2. Februarii. pag. 374. Joſephus Nazaretho relicta fugit in Ægyptum cum puero, & matre ejus. pag. 50. Herodes occidi jubet omnes pueros bimos. pag. 56.	1.	5.
4002.	750.	Herodes moritur. pag. 53. Joſephus regnante Archelao Herodis filio revertitur ex Ægypto. 54.	2.	4.
4005.	753.	NATALE CHRISTI DOMINI SECUNDUM ÆRAM VULGAREM die quinto ac viceſimo Decembris hujus anni, quæ tamen Æra numeratur a Kal. Januariis anni ſequentis. pag. 6.	5.	1.

AN-

Anni Orbis Conditi.	Anni Urbis Conditæ.	ANNUS PRIMUS ÆRÆ VULGARIS.	Anni Chriſti.	Anni Æræ Vulg.
4006.	754.		6.	1.
4012.	760.	Chriſtus anno ætatis duodecimo venit cum parentibus Nazaretho Hieroſolymam, ibique clam illis manet dies tres. pag. 61. Ab hoc anno Chriſti uſque ad annum ejus 30. nihil de Chriſto habetur in Litteris Sacris: hoc ſolum de eo tradit S. Lucas cap. II. 51. 52. *Venit Nazareth, & erat ſubditus illis. Proficiebat ſapientia & ætate apud Deum & homines*. pag. 63.	12.	7.
4030.	778.	Joannes anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris incipit *prædicare baptiſmum pænitentiæ*. pag. 66.	30.	25.
4031.	779.	Chriſtus Dominus baptizatur anno 15. Tiberii Imperatoris, Conſulibus *Cn. Cornelio Lentulo Gætulico*, & *C. Calviſio Sabino*. pag. 66. Anno ætatis trigeſimo primo ineunte, die 6. Januarii. pag. 67. Poſt ſuſceptum a Joanne baptiſmum ſecedit in deſertum, & dies quadraginta jejunat. pag. 76. Sub exitum Februarii, aut initium Martii aquam in vinum mutat, dum intereſſet nuptiis in Cana Galilææ. pag. 90. Joannes juſſu Herodis Antipæ	31.	26.

Anni Orbis Conditi.	Anni Urbis Conditæ.		Anni Chriſti.	Anni Æræ Vulg.
4031.	779.	detruditur in carcerem. pag. 105. Interficitur. pag. 55. Chriſtus prædicare aggreditur doctrinam ſuam. pag. 105. Celebrat primum Paſcha. pag. 119.	31.	26.
4032.	780.	Annus prædicationis Chriſti ſecundus. Eligit duodecim Apoſtolos. pag. 111. Celebrat ſecundum Paſcha. pag. 119.	32.	27.
4033.	781.	Annus Prædicationis Chriſti tertius. Eligit duos & ſeptuaginta diſcipulos. pag. 111. Celebrat tertium Paſcha. pag. 119.	33.	28.
4034.	782.	Die Martii vigeſimo, Hebdomadæ primo, qui nobis Dominicus dicitur, ingreditur Hieroſolymam triumphantis in morem. pag. 117. Die Mercurii vigeſimo tertio Martii Judas paciſcitur cum principibus Sacerdotum, ſe Chriſtum illis traditurum. pag. 137. Chriſtus celebrat quartum Paſcha. pag. 119. Eo celebrato eodem Jovis die primo Azymorum, quarto & viceſimo Martii inſtituit Euchariſtiam. pag. 125. Nocte, quæ diem Jovis quartum & viceſimum Martii ſecuta eſt, in horto Gethſemani orans Juda duce comprehenditur. pag. 138.	34.	29.

Du-

Anni Orbis Conditi.	Anni Urbis Conditæ.		Anni Chriſti.	Anni Æræ Vulg.
4034.	782.	Ducitur ad Annam, & mane diei inſequentis, qui erat dies Veneris vigeſimus quintus Martii, in Prætorium ad Pilatum. pag. 143. A Pilato hora diei tertia, nobis decima quinta, aliis nona matutina, damnatur ad Crucem. pag. 151. Crucifigitur die quinto & viceſimo Martii, Conſulibus C. *Rubellio Gemino*, & C. *Fuſio Gemino*, *Anno Tiberii* 18. pag. 163. Sub meridiem, atque finem horæ nobis duodeviceſimæ, Tranſalpinis duodecimæ. pag. 165. 166. Chriſto crucifixo fiunt tenebræ ab hora ſexta uſque in nonam, hoc eſt ab fine horæ duodeviceſimæ uſque ad horam viceſimam primam, Tranſalpinis tertiam poſt meridiem. pag. 166. Moritur annos natus tres ſupra triginta, & menſes tres. pag. 173. Eodem die ad veſperam more Judæorum ſepelitur. pag. 175. 176. Die a morte tertio, qui fuit Dominicus ſeptimus & viceſimus Martii ſummo mane redit ad vitam. pag. 221. 223. 238. Poſt reſurrectionem apparet primum Mariæ Virgini matri ſuæ. pag. 228. 230. Eodem reſurrectionis die quinquies rurſus apparet: pag. 232. 233. Die octavo ab reſurrectione,	34.	29.

Anni Orbis Conditi.	Anni Urbis Conditæ.		Anni Chriſti.	Anni Æræ Vulg.
4034.	782.	tertio menſis Aprilis ſe iterum diſcipulis conſpiciendum præbet, ac Thomæ vulnera tractanda offert. pag. 235. Die poſt reſurrectionem quadrageſimo apparet diſcipulis recumbentibus, quos peracto convivio deducit in montem Olivarum, & in Cælum aſcendit die quinto Maji. pag. 236. & 237. Et die decimo quinto ejuſdem menſis mittit ipſis Spiritum Sanctum. pag. 238.	34.	29.

IN.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

Abgarus Rex Edeſſenorum. 259. Imago Chriſti ab ipſo Chriſto Domino ad eum miſſa defenditur. 260. Epiſtola Chriſti ad ipſum vera. 278
Ablutio pedum facta a Chriſto. 123. In ea peragenda depoſuit veſtem exteriorem. 124. Non fuit omnino nudus, ut exiſtimavit Origenes. *Ibid.* Initium fecit a Petro. 125. Linteum, pelvim, & hydriam accepit a Patre familias. *Ibid.*
Abulenſis exiſtimavit, Chriſtum Dominum crucifixum ac ſepultum cum femoralibus. 160
Acetum pro crucifixis paratum erat. 169
Ægypti locus, in quem Sacra Familia ſe recepit. 51. Quæ miracula ab Jeſu Ægyptum ingreſſo patrata dicuntur, vera ne ſint. 52. 53. Commoratio Sacræ Familiæ in Ægypto annua. 53
Æra Vulgaris ab anno Orbis conditi 4005. initium ſumit. 7.
Agnum Paſchalem cum diſcipulis ſuis Chriſtus comedit in ultima cœna. 122
Alexander *Natalis* perperam ait, ſanctos Patres, & auctores antiquos in Eccleſia ſpectatiſſimos de Aſſumtione Mariæ Virginis dubitaſſe. 369
Alexander Severus Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. 282
Ambroſius S. deſcribit vitam & mores Mariæ Virginis. 318.
Anaſtaſia Virgo & Martyr in partu Mariæ Virginis munere obſtetricis functa non eſt. 337
Angeli Chriſto ſemper præſto fuerunt. 226
Angelica Salutatio quando in communi, vulgarique uſu eſſe cœperit. 323. 324. Pars ejus altera, cujus initium *Sancta Maria*, quando addita parti primæ. 324
Anna Propheteſſa quæ mulier fuerit. 49. Quo ſenſu dicta numquam receſſiſſe de Templo. 50. Hujus memoria colitur

litur die 1. Septembris. *Ibid.*
Anna Mariæ Virginis mater. 295. Annam interpretantur *gratiam*. 298. Mortua creditur poſt Chriſtum natum. 300. Ejus caput ubi nunc ſervetur. *Ibid.*
Annuntiatio facta ne in domo Mariæ, an Joſephi. 322
Annus nativitatis Chriſti Domini. 6. Primus Æræ Vulgaris. 7
Antipater Herodis Magni filius quo ſenſu dicatur occiſus a Patre inter pueros Bethleemitas. 60
Apollinis Delphici oraculum Chriſto nato non defecit. 18
Apoſtoli, & ſeptuaginta diſcipuli a Chriſto eliguntur doctrinæ ſuæ teſtes, & prædicationis adjutores. 111.
Apparitiones Chriſti redivivi. 232. & ſeqq. Apparuiſſe primum B. Mariæ Virgini Matri ſuæ pie creditur. 228. & ſequ. Ipſo reſurrectionis die quinquies apparuit. 233. Qua de re cum diſcipulis egerit in apparitionibus. 239.
Aqua hauſta in die Epiphaniæ ad annos tres incorrupta. 68.
Archelaus in exilium ab Auguſto miſſus. 55.
Archiſynagogi, ſeu Principes Synagogæ quinam. 94
Architriclinus quis. 92
Argenteorum, quibus venditus Chriſtus, pretium. 137. 138.
Argumenti *negativi* duplex genus. 271. Ejus pondus. 356
Aſcenſio Chriſti in Cælum die poſt reſurrectionem quadrageſimo. 236. & 238. Die quinto Maji, meridie. 237. Aſcendens in Cælum Apoſtolis benedixit fortaſſe ſigno Crucis. *Ibid.* Reliquit pedum ſuorum veſtigia. 240. Aſcendentem ſpectarunt duodecim Apoſtoli. 242. Aſcendens ad Occidentem ſpectavit. *Ibid.*
Aſcenſio eſt conſummatio & adimpletio reliquarum ſolemnitatum. 243.
Aſinus, & bos a ſpelunca Chriſti naſcentis non ſunt abigendi. 15. 16. Aſino ſoli, non item aſinæ inſedit Chriſtus Hieroſolymam ingrediens. 118. Aſina non erat juris publici. *Ibid.*
Aſſumtio Mariæ Virginis quomodo differat ab Aſcenſione Chriſti. 367
Auguſtinus refellit Fauſtum Manichæum, quod aſſereret, Joachimum Mariæ Virginis patrem fuiſſe ſacerdotem ex tribu Levi. 296

B

BAptiſmus Chriſti. Baptizatus eſt anno decimo quinto Tiberii. *66.* Anno ætatis ſuæ trigeſimo completo ſub initium trigeſimi primi. *67.* Die ſexto Januarii. *68.* In Bethania, ſeu Bethabara. *69.* Immerſus in Jordanem. *70.* Quando Chriſtus eſt baptizatus, tum baptiſmus inſtitutus fuit. *Ibid.* Triplici de cauſſa a Joanne baptizari voluit. *71.* Miracula ſecuta baptiſmum ejus. *71. 72.* Columba, quæ, Chriſto baptizato, deſcendit, fueritne verum animal, an columbæ ſpecies. *Ibid.* Cum in undam Jeſus deſcendiſſet, ignis in Jordane accenſus eſt. *72.* Num Chriſtus aliquem baptizaverit. *73.* Baptizavit baptiſmo ab ſe inſtituto. *80.* Memoria baptiſmi a Chriſto ſuſcepti quo die colatur. 74. 75. 90

Baptiſmus per aquæ effuſionem non comprobatus ante ſæculum Chriſti XIV. 70

Baſileenſe Concilium non inſtituit Feſtum Viſitationis B. Mariæ Virginis. 365

Baſilides hæreticus blateravit, Chriſtum Dominum cruce in Simonem translata ſubduxiſſe ſe, & Simonem pro Chriſto crucifixum. 155

Bethania duplex, *70.* Diſtabat ab Hieroſolyma paſſuum millia duo. *87.* Erat pars montis Olivarum in ejus deſcenſu ſita. 242

Bethleem dicitur urbs, vicus, villula, & villa. *9.* Muris caret. *12.* Hyacintho Serry modo eſt viculus, modo Urbs muris cincta. *9. 12.* Diſtans Hieroſolymis triginta quinque ſtadiis. *9.* & 20

Betphage coqui ſoliti panes, qui offerebantur in Templo 117.

Bos, & aſinus non abigendi a loco nativitatis Chriſti. 15. *16.*

Brutii num fuerint tortores Chriſti. 180. & ſequ.

C

CAlix, in quo Chriſtus conſecravit ſanguinem ſuum, an fuerit pretioſus. 131. 132. Calicis nomine in Sacris Litteris intelliguntur *paſſiones* ac pœnæ. 140

Calvariæ mons unde ita dictus. 154. Poſitus eſt inter Oc-

 ci-

cidentem & Septemtrionem Urbis Hieruſalem. *Ibid.* Sciſſura in eo facta tempore paſſionis Chriſti. 174
Capharnaum metropolis Galilææ ad ſeptemtrionalem oram lacus Geneſareth collocata. 94. 108
Caſaubonus eos rejicit, qui dixerunt, paſtores Chriſti recens nati adoratores fuiſſe quatuor. 17. Admittit etiam miraculum aquæ hauſtæ ſub mediam noctem Epiphaniæ, manentis per annum incorruptæ. 69. miraculum de ſanctis Domini veſtigiis in monte Olivarum. 241
Cauſſæ, cur Dominus decreverit, ut Maria Virgo matrimonio conjungeretur. 314
Cedron torrens fertur per mediam vallem Joſaphat. 138
Centurio. 174
Cereorum uſus ac diſtributio in feſto Purificationis B. Mariæ Virginis. 339. 342
Chiffletii opinio de Sacra Sindone Taurinenſi. 277
Chlamys Chriſti coccinea. 149
Chriſtus Jeſus quis. 1. Cujus filius. 2. Quomodo conceptus. 3. Conceptus die 25. Martii. 4. Nazarethi. *Ibid.* Duæ nativitates ejus. 2. Ejus nomen relatum in tabulas cenſus. 20. Quid ſignificet. 1. & 282. Præſentatur in Templo. 47. *Relatio*, ex Ægypto die 7. Januarii. 55. Quomodo clam parentibus remanſerit Hieroſolymis. 62. Tres patrias habuit. *Ibid.* & 108. Primæ ejus voces apud Evangeliſtas. 62. Subjectus erat parentibus. *Ibid.* & 64. Quomodo dicatur profeciſſe ſapientia, & gratia. 63. Quid egerit uſque ad annum vitæ trigeſimum. *Ibid.* Ridicula de eo ſcholas frequentante. 65. Ejus parentes pauperes. 64. Quibus ſalutem corporis, iiſdem ſalutem animæ impertivit. 102. Quot mortuos ſuſcitaverit. *Ibid.* Non habuit proprium diverſorium, nec diſcipuli propriam domum. 108. Cur ſolitaria loca aliquando quæreret. 109. Tria refugia habuit. 110. Ubique ſolus oravit. 120. In Templo cum Sacerdotibus ſacra fecit. *Ibid.* Num paſſus ſit adverſarios tempore prædicationis. 114. 115. Prædicavit iis quoque, qui erant apud inferos. 114. Quales fuerint ejus ſermones. 115. Triumphalis ejus introitus in Urbem Hieroſolymam. 117. Cœnavit triplicem cœnam. 124. Cur triginta argenteis veniit. 138. Omnino nudus ad columnam ligatus flagellis cæſus. 146. Quot ictibus incertum. 148. Pendens e Cruce vultu erat verſo ad occaſum. 159.
Die

Die 25. Martii conſulibus duobus Geminis crucifixus. 161. Quota hora. 164. & 191. Pendens e Cruce lacrymatus eſt. 170. Quoties lacrymatus ſit. *Ibid.* Mortuus eſt annos natus triginta tres, ac menſes tres. 173. Sepultus more Judæorum. 175. Incognitum eſt, quibus in locis fuerit corporaliter per dies quadraginta ab Refurrectione ad Aſcenſionem. 234. Cur poſt reſurrectionem vulnera retinuerit. 235. Vere comedit, & vinum bibit *Ibid.* & 237. Statura & forma corporis ejus. 245. & ſeqq. Num aliquid ſcripſerit. 277. Bis ſcripſiſſe in terra legitur apud S. Joannem. 278. Quid tum ſcripſerit. *Ibid.* Chriſtus ab Ethnicis dictus *Chreſtus*, & Chriſtiani dicti *Chreſtiani*. 282

Circumciſio Chriſti. Quo die circumciſus. 23. Circumciſus eſt in eadem, in qua natus erat, ſpelunca. 24. Circumciſus vel a Joſepho, vel a Maria ejus matre. 25.

Civitas Chriſti quænam. 94. & 108

Clavi Dominicæ Crucis inventi ab Helena. 212. Fuerunt tres, aut quatuor. 159. & 212. Eorum uſus. 213. & 214. Uſque ad annum DL. fuerunt Conſtantinopoli. 216. Quinque & viginti nunc variis in locis coluntur. 217. Qua ratione adeo auctus eorum numerus. *Ibid.*

Cleophas quis. 234. Ejus domus a Paula in Eccleſiam mutata. *Ibid.* Ejus memoria colitur ab Eccleſia die 25. Septembris. *Ibid.*

Cœna ultima qua die a Chriſto Domino celebrata. 120

Columna flagellationis Chriſti. 200. Quamdiu ſteterit Hieroſolymis. 201. Nunc eſt Romæ in æde S. Praxedis. *Ibid.*

Controverſia de loco Conceptionis Chriſti. 4
- De anno Orbis conditi, quo Chriſtus natus eſt. 6
- De menſe ac die, quo natus eſt. 7
- De loco, in quo natus eſt. 9
- De Oraculorum defectu ſtatim ab ortu Chriſti. 18
- De Regia Magorum dignitate. 28. & ſequ.
- De loco, unde Magi venerunt. 35
- De die, quo Bethleemum adventarunt. 36
- De ſtella Magorum duce. 45
- De Simeonis Sacerdotio. 47
- De anno Tiberii, quo Chriſtus baptizatus eſt. 66
- De anno ætatis, quo baptiſmum ſuſcepit. 67

De

De numero veſtium Chriſti. 81
De Paſchatis a Chriſto celebratis. 130. & ſequ.
De die & anno quo crucifixus eſt, 161. 162
De latere Chriſti aperto. 171
De anno ætatis, quo mortuus eſt. 172
De patria tortorum ejus. 180
De martyrio latronis boni. 195
De genere ſpinarum Coronæ Chriſti Domini. 201
De prima ejus apparitione. 228
De forma corporis ejus. 245. & ſequ.
De ſtatua Chriſto poſita in Urbe Paneade ab Hæmorrhoiſſa. 252
De imagine ejus ad Abgarum miſſa. 260. & ſequ.
De ejuſdem imagine Veronicæ ſudario impreſſa. 268
De Joſephi teſtimonio de Chriſto. 287
De *Magni Panos* morte. 290
De morte & Aſſumtione Mariæ Virginis. 351
De loco mortis ejus. 354
De arte S. Joſeph. 380

Conſtantinus *Magnus* Imperator ſuſtulit ſupplicium Crucis. 161.

Coponius primus Syriæ Præſes. 55

Corona B. Virginis cur ex ſexaginta tribus ſalutationibus Angelicis compoſita. 363

Corona Chriſto ſemel impoſita, & numquam detracta. 153. Ex quo ſpinarum genere. 201. Contexta ad modum pilei. 202. Numerus ſpinarum incertus. *Ibid.*

Crucifixionis modus. 158

Crux ſupplicium Romanorum, non Judæorum legibus receptum. 152. Crucis ſupplicium ſuſtulit Conſtantinus *Magnus* Imperator. 161. Quam grave. *Ibid.* Cruci erectæ, non humi poſitæ affixus eſt Chriſtus Dominus. 158. Et quidem omnino nudus. 159. Crux duplex, *ſimplex* & *compoſita*. 203. Compoſita triplex; *Decuſſata*, *Commiſſa*, & *Immiſſa*. Ibid. *Commiſſæ*, vel *immiſſæ* affixus Chriſtus. 204. Crucis ſedile, & ſuppedaneum. 207. Crux ex quo ligno conſtaret, incertum. *Ibid.* Ejus magnitudo. 209. Inventa anno Chriſti CCCXXVI. ab Helena Magni Conſtantini matre. 211. Sanctum Crucis lignum orbem fere totum opplevit. 208. Cruces erant aliquando adeo humiles, ut crucifixi quadrupedum ferarum morſibus peti poſſent. 209. Crux in fronte obſignanda in omni

omni negotio. 211. Feſtum inventionis poſt annum Chriſti DCCXX. celebrari cœptum. 212
Cunabula Chriſti. 13

D

DIcta Chriſti, quæ leguntur apud ſanctos Patres. 279. 280. Dictum Chriſti apud S. Lucam in Actis Apoſtolorum. 279
Dierum partitio apud Hebræos. 164
Dies anniverſarius celebrandæ Dominicæ Paſſionis cur non redeat ſemper ad eumdem anni diem. 20
Dies Jovis cognata diei Dominicæ. 244
Diſcipuli duo, qui miſſi ſunt ad accipiendam aſinam, & pullum, quinam fuerint. 118. Non leguntur diſcipuli adoraſſe Chriſtum, niſi tum demum, cum in Cælum ferri viderunt. 238. Quinam fuerint illi, qui ipſo reſurrectionis Chriſti die proficiſcebantur Hieroſolyma Emmauntem. 234. 235
Dominica Palmarum dicta etiam Dominica *Hoſanna*. 119
Donec adverbii vis. 390

E

ECcleſia non ideo die 6. Januarii memoriam trium miraculorum colit, ut oſtendat, omnia eo die patrata. 90. Eccleſia Occidentalis olim recoluit initium Prædicationis Chriſti. 105. Eccleſiæ mos fuit, ut viri docti etiam laici ſacras conciones ad plebem haberent. 110. Eccleſiæ mos conficiendi ſacrificium in lino terreno unde ortus. 176. Eccleſia primitiva obſervabat quintam feriam, fiebatque in ea proceſſio in memoriam Dominicæ Aſcenſionis. 244. Eccleſia olim duos ſolos natales dies celebravit, Chriſti, & Joannis. 306. Eccleſiæ ſententia de Aſſumtione B. Virginis. 367. Eccleſiæ ſenſus numquam contemnendus. 368
Edeſſena Chriſti imago. Vid. Imagines Chriſti non manu factæ.
Ejectio vendentium & ementium e Templo omnium miraculorum Chriſti maximum. 103
Epiphania Græce, Latine manifeſtatio. 37. Petrus Fullo inſtituit, ut eo die aqua benediceretur ſub veſperam, cum antea fieret nocte media. 69
Epiphanius dubitavit affirmare mortem Virginis Mariæ. 351

Epiſtola Chriſti ad Abgarum Regem Edeſſenorum vera. 278
Epiſtolæ, quæ feruntur B. Virginis ad Ignatium, Meſſanenſes, & Florentinos apocryphæ. 373. & ſequent.
Ethnarcha quis. 55
Evangeliſtæ omnia Chriſti geſta haud narrant. 244. 245
Euchariſtia quando a Chriſto Domino inſtituta. 125. In domo Joannis Marci. *Ibid.* Pane azymo. 126. Euchariſtiæ inſtitutioni non aderat ejus Mater. *Ibid.* Qua verborum forma. 127. Euchariſtiam ipſe quoque ſumſit. 129.
Euodii epiſtola ſuppoſititia. 309

F

FEbruarius ita dictus a Februis ſacris Lupercorum. 340
Feminæ multæ ſequebantur Chriſtum. 113. Feminæ omnium primæ reſurrexiſſe Dominum ab Angelis audiverunt. 226. Viris reſurrectionem Domini nuntiarunt. *Ibid.*
Feria quarta & ſexta cur jejunium olim imperatum. 137
Feſtum Nativitatis Chriſti Domini quando celebrari cœperit die XXV. Decembris. 19. 20. Omnium feſtorum maxime venerandum. 21. Circumciſionis. 27. In hoc feſto olim duæ Miſſæ celebrabantur. 28. Feſtum Epiphaniæ. 74. Transfigurationis. 96. Corporis Chriſti quando inſtitutum. 135. Inventionis Sanctæ Crucis celebrari cœptum poſt annum Chriſti DCCXX. pag. 211. & 212. celebrari feſtum Aſcenſionis Domini. 243. Ab S. Auguſtino vocatur *Quadrageſima*. *Ibid.* Feſta Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini ab Apoſtolis inſtituta. *Ibid.* Nativitatis, Epiphaniæ, & Transfigurationis inſtituta exeunte ſæculo Chriſti quarto. *Ibid.* Feſtum S. Joachimi, & Annæ. 300. Conceptionis B. Mariæ Virginis. 305. Nativitatis ejuſdem. 306. Celebratur per dies octo ex decreto Innocentii IV. 308. Et ex decreto Gregorii XI. habet vigiliam cum jejunio. *Ibid.* Feſtum Præſentationis, ac Deſponſationis. 319. 320. Annuntiationis. 332. Hoc Feſtum ab Eccleſia Toletana colitur die 18. Decembris. 334. Quo nomine vocetur. *Ibid.* Feſtum Viſitationis 334. Purificationis Mariæ Virginis dicitur etiam Feſtum Præſentationis Domini in Templo. 339. Græci vocant *Hypapantem*. *Ibid.* Quando
in

inſtitutum. *Ibid.* Subſtitutum ab Gelaſio Pontifice in locum Lupercalium. 340. Ab Sergio I. inſtituta *Litania*, ſeu *Proceſſio* eo die fieri ſolita. 341. Unde cereorum uſus, ac diſtributio eo die. 342. Feſtum Aſſumtionis Mariæ Virginis ab Eccleſia decretum. 370. A die decimo octavo Januarii ad diem decimum quintum Auguſti translatum. 371. Olim Romæ celebratum ſub nomine *Dormitionis*. *Ibid.* Per dies octo colendum eſſe, decrevit Leo Papa IV. *Ibid.* Feſtum S. Joſephi quando coli cœptum. 397

Forma, & ſtatura corporis Chriſti. 245. & ſeqq.

Fratres Domini quinam. 294. 348. 385. 391.

G

GAbriel Angelus nuntiat Zachariæ futurum, ut filium ex uxore ſua Eliſabetha ſuſcipiat. 8. Gabriel nuntius divinæ Incarnationis ad Mariam Virginem. 321. 329. Ejus colloquium cum Maria. 323. Tempus hujus colloquii. 326. Humana ſpecie & corporea a Maria viſus. 327. Ex quo Angelorum ordine fuerit. 329

Gelaſius I. Pontifex Feſtum Purificationis B. Mariæ Virginis abrogatis Lupercalibus inſtituit. 340

Gladii nomine quid intelligatur in verbis D. Lucæ. cap. II. ver. 35. pag. 338. 364

Gregorius XI. Pontifex imperavit, ut Nativitas B. M. Virginis haberet vigiliam cum jejunio. 308

H

HAdrianus Imperator Chriſto Jeſu templa conſecrare cogitavit. 282

Hæmorrhoiſſa a Chriſto Domino ſanata eidem ſtatuam æneam poſuit. 252. Non fuit Martha Lazari & Mariæ ſoror. *Ibid.* Macarius *Magnus* facit Edeſſæ principem. *Ibid.* Statua ab illa Chriſto poſita ætate Aſterii, qui claruit circa annum Chriſti CCCCI. non exſtabat. 255. Hujus ſtatuæ hiſtoria defenditur. 256. & ſeq.

Helena Mater Magni Conſtantini Imperatoris invenit Crucem Domini. 210. Partem ejus ac Titulum Romam detulit. *Ibid.* Reperit etiam Clavos. 212. Condidit Eccleſiam in monte Oliveti. 244

Herodum brevis hiſtoria. 54. Herodiana puerorum cædes quando imperata. 56. Cæſorum puerorum numerus incer-

certus. 57. In horum numero non fuit bimus Herodis puer. 60. Auguſti de Herode dictum exponitur. *Ibid.*
Hieronymus non exiſtimavit, patrem B. Mariæ Virginis fuiſſe Cleopham. 297
Hiſtoria de ſudore Chriſti ſanguineo pars eſt Evangelii. 140
Horæ quadraginta ſunt ab hora mortis Chriſti uſque ad diluculum reſurrectionis ejus. 222
Hoſanna quid ſignificet. 119
Humilitas B. Mariæ Virginis. 330. 337. 343
Hymnus dictus a Chriſto poſt eſum agni Paſchalis quinam. 132. 133. Hymnus quid ſit. 133
Hypanti. 339

I

JAcobo, ſicut Petro, Chriſtus ſingulariter apparuit. 238
Jacobus de Voragine defenditur. 191. 193
Jairus princeps Synagogæ. 94
Januarius a Jano appellatus. 340
Jejunium Chriſti duravit dies ipſos quadraginta. 76. Ab Chriſti jejunio oritur ſolemne jejunium Quadrageſimæ. 77. Cur jejunaverit, & in deſertum ſeceſſerit ſtatim poſt baptiſmum. 76
Jejunium olim cur imperatum quarta & ſexta feria. 137
Jejunium in vigilia Nativitatis B. M. Virginis imperatum a Gregorio XI. 308. In vigilia Aſſumtionis ab Eccleſia Romana antiquitus ſervatum. 371
Jeſus nomen ſignificat Salvatorem. 24. Jeſus Chriſtus cur duplici hoc vocabulo nuncupatus. *Ibid.*
Imagines Chriſti pictæ religioſe ſervatæ. 247
Imagines Chriſti non manu factæ tres, Edeſſena, Sudarium Veronicæ, & Sanctiſſima Sindon. 259. Edeſſena imago defenditur. 261. & 265. Ejus hiſtoria. *Ibid.* Romam delata colitur in titulo S. Silveſtri. 267
Secunda imago qua occaſione Veronicæ Sudario impreſſa. 268. Defenditur. 270. Romam tranſlata nunc cuſtoditur in Æde S. Petri. 274
Sindon. 275. Quo anno tranſlata Camberiaco Auguſtam Taurinorum. 276. S. Carolus Borromæus ſe confert Taurinum ad honorem habendum ſacræ Sindoni. *Ibid.*
Infantes pro Chriſto ab Herode occiſi quot fuerint. 57. Cujus ætatis. *Ibid.* Fuerunt martyres. 58
Innocentius IV. Pontifex decrevit, ut Nativitas B. M. Vir-

Virginis octo dierum ſpatio celebraretur. 308
Innocentius XI. damnavit errorem Imperialis affirmantis, Annam integra virginitate peperiſſe Mariam. 303
Joachim Annæ maritus, Pater Mariæ Virginis matris Chriſti. 295. Joachim nomen interpretatur *Præparatio Domini*. 298. Mortuus dicitur poſt Chriſtum natum. 299
Joannes Baptiſta num ad necem cum aliis pueris ab Herode quæſitus. 59
Joannes Evangelium ſcripſit Græce. 97. Pauciora quam alii miracula Chriſti recenſet. 100. Teſtatur, non omnia geſta Chriſti ſcripta eſſe. *Ibid.* & 102
Joſephi Flavii teſtimonium de Chriſto. 287. Num admittendum ſit tamquam dictum a Joſepho. 288. 289
Joſeph ab Arimathia fortaſſe unus ex duobus & ſeptuaginta diſcipulis. 175
Joſeph Virginis Mariæ ſponſus in Ægyptum aufugit Nazaretho. 50. & 416. In quem Ægypti locum ſe receperit. 51. Quamdiu in Ægypto commoratus ſit. 53. Digreſſus ex Ægypto Nazarethum repetit. 54. & 380. Cujus filius ſit. 377. Ejus laus. 378. 379. Qualis faber fuerit. 64. 380. Cujus eſſet ætatis, cum ei Virgo deſponſata eſt. 382. Quomodo electus in ſponſum Virginis. 384. Cur pingatur ætate ſenili. *Ibid.* Nullam ante Mariam Virginem habuit in matrimonio. 385. Fuit Virgo. 386. & 387. Cur voluerit Mariam ſponſam dimittere. 387. Nullum filium ex ea poſt Chriſtum natum ſuſcepit. 389. Quibus de cauſſis dictus pater Chriſti. 392. Quando mortuus. 394. Nec quo die mortuus, nec quo loco ſepultus conſtat. 396. Reliquiæ. 397
Judææ univerſæ nomine intelligitur regnum Herodis in tres Tetrarchias diviſum. 106
Judæis primo die Azymorum uſque ad octavum vetitum aliquid fermentati domi habere. 126
Juſtinæ Virginis Patavinæ genibus, & digitis marmora duriſſima ceſſere. 242
Juvenalis Epiſcopus primum Epheſinus, deinde Hieroſolymitanus. 355. Ejus teſtimonium de morte Deiparæ Hieroſolymis non prorſus incertum. 356
Judas Chriſtum magiſtrum ſuum Judæis prodidit nocte, quæ ſecuta eſt diem quartum & viceſimum Martii. 138. Quanti eum vendiderit, 137. 138

Lai-

L

LAici olim conceſſu Epiſcoporum ſacras conciones ad populum habuerunt. 110
Lancea a S. Helena inventa eodem tempore ac loco, quo Crux & Clavi. 219. Anno MXCII. iterum reperta Antiochiæ. *Ibid.* Ejus cuſpidem Venetis oppigneravit Balduinus II. 220
Latrones ambo prius iniqui fuere. 186. Alter inſidiator viarum mortem fratri intulit. 187. Affixi ſunt clavis, non funibus alligati. *Ibid.*
Latro pœnitens ad Chriſti dexteram crucifixus. 188. Converſus eſt ad Chriſtum pendens e cruce. 189. Aqua de vulnere lateris Chriſti exiliente baptizatus dici non poteſt. *Ibid.* Ejus converſionis cauſſa. 190. Utrum Chriſto conviciatus ſit. 194. Fuerit ne martyr. 195. & 196. Quo nomine vocaretur. 196. Ethnicus ne, an Judæus fuerit. 197. Die 23. Martii ejus memoria celebratur a Græcis. *Ibid.*
Latus Chriſti dexterum, an ſiniſtrum lancea confoſſum fuerit. 171
Lauretana Domus B. Mariæ Virginis unde ſic appellata. 5. Anno MCCXCIV. in Italiam tranſlata. *Ibid.*
Lazarus ad vitam revocatus miraculum in miraculo. 102
Legio apud veteres ſex milliibus complebatur hominum. 97
Lentuli epiſtola ad Senatum Romanum de forma Chriſti apocrypha. 246
Leo S. Pontifex cur recenſens loca ſancta Hieroſolymorum non meminerit ſepulcri B. Virginis. 361
Leo Papa IV. Feſtum Aſſumtionis M. Virginis per dies octo colendum eſſe decrevit. 371
Liber *de infantia Salvatoris* apochryphus. 65
Lipſienſes Collectores confutantur. Annotat. 3. in Epiſtolam ad Lectorem, & pag. 381. 383
Locus Nativitatis Chriſti. 9. & 11
Longinus an nomen militis, qui lancea latus Chriſti aperuit. 184. Ita dictus a longitudine, non ex ſiniſtra Græci vocabuli intelligentia. 185. 186. Creditur fuiſſe miles ex peditum cohorte. 186
Lucas Evangeliſta S. Pauli diſcipulus. 98
Lupercalia quid. 340

Luſtratio quid. *Ibid.*

M

MAgi Chriſti recens nati adoratores quinam. 28. Fuiſſe Reges, probabilius. 29. 30. Cur id negent aliqui. 30. Tres fuiſſe creduntur. 33. Nomina eorum incerta. 34. Fuiſſe Henochum, Eliam, & Melchiſedechum, proditum a viro Gallo. *Ibid.* Ex Arabia illos deducunt non pauci. 35. Opiniones de tempore, quo Bethleemum adventarunt. 36. Adventarunt die ſexto Januarii decimo tertio poſt Chriſtum natum. 37. In præſepi ac ſpelunca Jeſum adorarunt. 42. Adorarunt tamquam Deum. 43. Singuli tria munera obtulerunt. 44. Maritimo itinere ad ſuos regreſſi ſunt. 46. Baptizati ſunt a D. Thoma Apoſtolo, & facti adjutores prædicationis illius. *Ibid.* Eorum ſacra corpora Coloniam aſportata. *Ibid.* Eorum memoria variis diebus celebratur. *Ibid.* In Colonienſi Eccleſia die XI. Januarii. *Ibid.*

Mantuanus Joan. Baptiſta primus fertur negaſſe, Magos fuiſſe Reges. 30

Marcion hæreticus creditur fuiſſe primus, qui negarit, Chriſtum celebraſſe ultimum Paſcha. 121

Maria Chriſti Domini mater. Non aderat, dum Chriſtus Euchariſtiam confecit, & inſtituit. 126. Dicitur fuiſſe inter mulieres, quæ venerunt, ut ungerent corpus Jeſu. 223. Genus ducit ab Rege Davide. 293. Soror Mariæ Cleophæ. 294. Cognata & affinis Eliſabeth. *Ibid.* Concepta eſt modo naturali, & communi. 301. Sanctificata in utero. 303. Ejus nativitas. 302. Quo in loco nata. 304. Præſentatio in Templo. 309. Vovit perpetuam virginitatem omnium prima. 311. Vovit ante deſponſationem cum S. Joſeph. 313. Quo anno ætatis voverit, non conſtat. *Ibid.* Num votum cum Joſepho communicaverit. 314. Vita & mores Mariæ Virginis. 318. In Evangelio ſepties tantum locuta legitur. *Ibid.* Nupta ne eſſet, an ſponſa tantum, quando Angelicum nuntium accepit. 321. Ab Angelo ſalutata cur turbata ſit. 324. 325. 328. Vidit Angelum humana ſpecie & corporea. 327. Poſt Angeli diſceſſum pergit in montana ad cognatam ſuam Eliſabetham. 330. Confecit in eo itinere milliaria circiter centum. *Ibid.* Quem habuerit tam longi itineris ſocium. 331. Manſit apud Eliſabetham menſes ferme tres. *Ibid.* Fortaſſe uſque ad nati-

vitatem Joannis. 332. Partus ejus ſine dolore. 336. Sine obſtetricis miniſterio. Ibid. Quotannis cum Joſeph ibat Hieroſolymam ſolemni die Paſchæ. 343. Quam artem exerceret, incertum. 344. Apud Evangeliſtas ipſa ſemper colloquitur cum Jeſu, Joſeph numquam. 343. In Evangelio non conſuevit nominari niſi cum cognomine *Mater Jeſu*. 344. Numquam a Chriſto Domino vocatur nomine *Mariæ*. Ibid. A quo baptiſmum ſuſceperit. 346. Quænam alia Sacramenta ſuſceperit. Ibid. An fuerit Chriſti prædicantis perpetua comes. Ibid. Chriſto omnia poſſibilia eſſe, non ignorabat. 348. Chriſto in Cruce patiente non defecit nec cecidit ſemianimis. 349. Doluit tamen maxime. 338. 365. Commendatur Joanni Apoſtolo. 168. & 349. Non ei baptizandi, aut benedicendi diſcipulis poteſtas facta. 350. Num opera Chriſti narraverit Apoſtolis. Ibid. Fuit cum Apoſtolis, aliiſque expectantibus Spiritum Sanctum. Ibid. Mariæ mors certa atque indubitata. 351. Hieroſolymis verius mortua, quam Epheſi. 354. Rationes ob quas Epheſi mortua dicitur. 357. Confutantur. 358. Quo anno ætatis, aut Chriſti obierit, latet. 363. Non martyrio ſublata, ſed placida morte. 364. & 365. Apoſtolos collectos ex diverſis Orbis regionibus Hieroſolymam ad obitum ejus per aera delatos, negat Baronius. 366. Tertio a morte die revixiſſe dicitur. 368. Cultus ejus ſemper in Eccleſia viguit. 372. Statura, & forma Virginis ex Nicephoro. Ibid. Scripta. 373

Maria Cleophæ ſoror Mariæ Virginis. 294. & 392

Maria Magdalena eadem ne, ac mulier peccatrix, itemque an eadem, ac Lazari, & Marthæ ſoror. 99. Non huic primum Chriſtus redivivus apparuit. 228. 229

Martha Lazari, ac Mariæ ſoror non eſt eadem, ac mulier Hæmorrhoiſſa. 252

Martyria dictæ Eccleſiæ. 179

Matrimonium Mariæ, & Joſephi fuit verum matrimonium. 317. Qua de cauſſa contractum. 314

Mercurii die olim jejunium fuit. 137

Methodii tres. 273

Milites pecunia corrupti, ut crudelius Jeſum verberarent. 149. 150. Milites, qui Chriſtum crucifixerunt, fuere quatuor. 184. Partiuntur veſtes ejus inter ſe. Ibid. Miles, qui lancea Chriſti latus aperuit, quo nomine vo-

ca-

caretur. 184. 185
Miracula, quæ perpetrata dicuntur a Jeſu in Ægyptum ingreſſo. 52. Quid de miraculis illis ſentiendum. *Ibid.* Miracula ſecuta baptiſmum Chriſti. 71. Quando cœperit Chriſtus miracula edere. 88. Miraculum Chriſti primum converſio aquæ in vinum. *Ibid.* Quando perpetratum. 90. Miracula Chriſti, quæ narrantur in Evangelio S. Matthæi. 93. In Evangelio S. Marci. 97. In Evangelio S. Lucæ. 98. In Evangelio S. Joannis. 100. Miracula tria ſimul in uno homine. 94. Miraculorum Chriſti multitudo ſuperabat nivales imbres. 94. Omnia Chriſti miracula duobus exceptis benefica fuerunt. 93. Miraculorum Chriſti poſtremum. 102. Maximum. 103. Miracula conſecuta mortem Chriſti. 173
Miſſa triplex in die Nativitatis Chriſti. 23. Miſſa Præſanctificatorum. 333
Mons, in quo Chriſtus ſermonem habuit. 115
Mortui tres a Chriſto ad vitam revocati. 102
Mulier peccatrix, Maria ſoror Lazari, & Maria Magdalena fuerint ne plures perſonæ, an una tantum. 99

N

NAtalis Alexander refellitur. 369
Nativitas Chriſti Domini. Natus eſt anno circiter MMMM. orbis conditi. 6. Die XXV. Decembris. 7. Nocte media. 8. In Urbe Bethleem. 9. & ſequ.
Nazareth ubi poſita. 4. Muros non habet. 5
Nazianzenus Gregorius S. verſibus explicavit miracula Chriſti ab Evangeliſtis memorata. 92
Negativi argumenti genus duplex. 271. Ejus pondus. 356
Nicephorus Calliſtus de forma & ſtatura Chriſti defenditur. 246. 247. Nicephoro Sancti Patres potius conſentiunt, quam contradicunt. 248. Deſcribit ſtaturam, & formam Mariæ Virginis. 372
Nicodemus nepos Gamalielis præceptoris D. Pauli. 175
Nomina, quæ dantur perſonæ Chriſti. 24
Nuptiæ in Cana Galilææ oppido celebratæ cujus eſſent. 91

O

OBſtetrix nulla in partu Virginis. 336. 337
Olivarum mons unde ita dictus. 118. Ad orientem Hieroſolymæ ſitus. 240. 241. Ab Hieroſolyma diſſitus

paſſus ſexcentos & vigintiquinque. 237. Ex hujus vertice Chriſtus in Cælum aſcendit. 240. Qua de cauſſa. 241. in eo reliquit Chriſtus pedum ſuorum veſtigia. 240. Veſtigia hæc verſa erant in Occidentem. 242

Opiniones variæ de anno Orbis conditi, quo Chriſtus natus eſt. 6. De die, quo paſſus. 162. De anno ætatis, quo mortuus. 172

Oracula Ethnicorum non defecerunt ſtatim poſt Chriſtum natum. 18

Oratio Chriſti in horto. 139. Quid paſſus ſit in oratione ea. 140

Orationis Dominicæ præſtantia. 112. Delet minima & quotidiana peccata. 113

P

PAlmas benedicendi mos quam ſit antiquus. 118

Panos *Magni* nomine, cujus mors tempore mortis Chriſti evulgata dicitur, quem intelligant viri docti. 291

Paradiſi nomine in verbis Chriſti ad latronem quid intelligatur. 198

Parentes Chriſti pauperes. 64

Paſchata Chriſti quatuor. 119. De ultimo quadruplex ſententia. 120. Quænam amplectenda. 122. Opinio eorum, qui dicunt, Chriſtum, omiſſa cœna Judaica, Euchariſticam duntaxat peregiſſe, invecta eſt ſæculo Chriſti IX. 121. Primus, qui negavit, Chriſtum celebraſſe ultimum Paſcha, fuiſſe creditur Marcion hæreticus. *Ibid.*

Paſſio Chriſti cœpit a proditione Judæ. 137. Quoties, & cur paſſionem ſuam diſcipulis Chriſtus prædixerit. 136. Ter prædixit futurum, ut proderetur a Juda. 138. Vinctus ducitur ad Annam primum. 143. Apud Pilatum triplicis criminis reus factus. 144. Flagellatus eſt omnium nudus. 146. Quot ictibus, incertum. 148. Spinea corona capiti ejus imponitur. 149. Poſtulatur ad mortem. 150. Damnatur ad Crucem. 152. Crucem ferre cogitur. 153. Ducitur ad Calvariam præcedente titulo. 156. Cruci affigitur omnino nudus. 159. Die XXV. Martii. 162. Horis quindecim completur tota Chriſti paſſio. 165

Paſtores unde, & qua hora venerint ad Chriſtum adorandum. 16. Quot fuerint. 17

Paupertas Chriſti. 87. 88

Pe-

Digitized by Google

Petro nuntianti Chriſti reſurrectionem ab Apoſtolis primò creditum eſt. 233
Petrus Fullo inſtituit, ut benedictio aquæ die Epiphaniæ fieret ad veſperam. *69*. Item, ut in omni precatione nomen Deiparæ proferretur. 272. Ter Antiochenam Cathedram occupavit. *Ibid.*
Pictores effingunt Chriſtum geſtantem priorem partem Crucis, Simonem vero poſteriorem. 155. Exhibent Longinum equo inſidentem. 186. Et latrones funibus alligatos, ſed falſo. 187. Cur Joſephum Mariæ Virginis ſponſum depingant ſenem. 384
Pilatus a Ponto erat. 55. Quintus Syriæ præſes. *Ibid.* & 144. Judæam adminiſtravit annos decem. *Ibid.* Erat pertinaci duroque ingenio. *Ibid.* Viennam Allobrogum in exilium miſſus ſibi mortem conſcivit. *Ibid.* Quinquies conatus eſt eripere Jeſum e manibus Judæorum. 146. Damnavit Jeſum ad Crucem. 151. Cur ſcripſerit titulum Crucis. 157. Tiberium Cæſarem de rebus a Chriſto geſtis per litteras admonuit. 283. Chriſtianus. 285. Vera ac legitima ejus epiſtola ad Tiberium non exſtat. 285. 286. Acta Pilati ſuppoſita, aut corrupta. 286
Plutarchi de Oraculorum defectu ſententia. 19
Pœnæ capitales apud Judæos quatuor. 152
Polycrates Epiſcopus Epheſiorum nullam mentionem facit de ſepulcro Virginis Deiparæ Epheſi. 360
Prædicatio Chriſti cœpit anno ætatis ejus trigeſimò primo. 105. Prædicationis initium antiquitus recoluit Eccleſia Occidentalis Kal. Maji. *Ibid.* Quando cœperit prædicare publice. 106. Prædicavit per univerſam Judæam. *Ibid.* Tempore prædicationis Urbem Capharnaum præſertim incoluit. 108. Pœnitentiam in primis prædicavit. 109. Quomodo permiſſum Chriſto prædicare in Synagogis. *Ibid.* Ejus ſermones breves. 115. Unam emittens vocem a diverſis populis intelligebatur. *Ibid.* Sermo Chriſti in monte omnium præſtantiſſimus. *Ibid.* Prædicavit annos circiter tres. 116
Præputium Chriſti ubi aſſervetur. 26
Præſepe, & cunabula Chriſti ex Palæſtina Romam tranſlata medio ſæculo Chriſti ſeptimo. 13. Præſepis & cunabulorum nomine quid intelligatur. 14
Primogenitus in Divinis Scripturis quis dicatur. 390. Cur primogenitus dictus Chriſtus. *Ibid.*
Pro-

Procle dicta Pilati uxor a Nicephoro, & *Procula* a Vincentio Bellovacenſi. 153. Somnium ei immiſſum fuit a Deo. 152

Purificatio Mariæ Virginis. 337. Cur Purificationis legem implere voluerit. *Ibid.* Obtulit par turturum, aut duos pullos columbarum. 338

Q

Quadrageſima dictum Feſtum Aſcenſionis Chriſti Domini. 243

Quadrageſimæ jejunium ortum a jejunio Chriſti. 77

R

Relatio pueri Jeſu ex Ægypto. 54

Reliquiæ S. Joſeph, & Mariæ Virginis. 366. & 397. & 436.

Reliquiæ Sanctorum adorandæ. 219

Reſurrectio Chriſti. Reſurrexit tertio a morte die. 221. Reſurrexit mane. *Ibid.* & 223. Quomodo tertio poſt obitum die reſurrexerit. 221. Qui reſurrexerunt cum Chriſto, iis iterum moriendum fuit. 224. Cur reſurrexerit cum ſignis Crucis, & manducaverit. 235

Rezzonicus *Carolus* Cardinalis Epiſcopus Patavinus laudatus in Epiſtola dedicatoria.

S

Sacerdotibus tantum licet docere & prædicare. 110

Sandalia Domini ætate Paſchaſii Radberti Romæ habebantur. 86. Sandalia quid. *Ibid.*

Schiſma omnium teterrimum, atque longiſſimum. 335

Scriptores profani, qui de Chriſto meminerunt. 281

Septuaginta Interpretes anno Orbis Conditi MMMDCC XXVII. aggreſſi ſunt translationem ſuam. 49

Sepulcri Chriſti forma. 177

Senatus Romanus cur recuſaverit habere Chriſtum in numero Deorum. 283. 284

Sergius I. Pontifex inſtituit *proceſſionem* in Feſto Purificationis Mariæ Virginis. 341

Sermo a Chriſto habitus in Transfiguratione pertinebat ad mortem ejus. 99

Sermones Chriſti breves, & compendioſi. 115. Omnium præſtantiſſimus ille, quem habuit in monte. *Ibid.*

Serry *Jacobus Hiacynthus* confutatus. pag. 9. pag. 12. pag. 13.

Digitized by Google

13. pag. 17. pag. 36. pag. 155. pag. 181. 182. pag. 185. pag. 191. 192. pag. 229. 230. pag. 264. 265. pag. 269. pag. 272. pag. 296. 297. & 298. pag. 309. pag. 313. pag. 344. 345. pag. 354. pag. 359. pag. 361. pag. 395.

Simon Cyrenæus Ethnicus ne, an Judæus fuerit, incertum. 154. Solus crucem Chriſti geſtavit. 155

Simeon, qui Chriſtum Dominum in ulnas accepit, Sacerdos ne fuerit, an Laicus. 47. Non fuit unus ex ſeptuaginta interpretibus. 49

Sindon. Vid. Imagines Chriſti non manu factæ. Sindone nova cur involutum corpus Jeſu. 177

Solſtitia ad diem 21. Junii, ac Decembris poſita ſunt a Concilio Nicæno. 8

Somnium uxori Pilati immiſſum fuit a Deo. 152

Spelunca Bethleemitica, in qua natus eſt Jeſus, monſtrabatur ætate Origenis. 10

Spiritus Sanctus Apoſtolis miſſus die quinto decimo Maji. 238

Spongiam, qua potus Chriſto in Cruce oblatus, Venetis oppigneravit Balduinus II. 220. Hodie aſſervatur Romæ in Baſilica Lateranenſi. *Ibid.*

Sponſæ apud Judæos a die deſponſationis uſque ad nuptias ſponſis cuſtodiendæ tradebantur. 322

Statua Chriſto poſita in Urbe Paneade ab Hæmorrhoiſſa. 252

Statura, & forma corporis Chriſti. 245. & ſeqq.

Strenarum celebratio. 27

Stella Magorum dux fuit ſtella de novo creata non in Cælo, ſed in aere vicino terræ. 45

Sudor Chriſti in horto fuerit ne vere ſanguineus. 142

Synagogæ præficiebantur etiam qui Sacerdotes non eſſent. 94

T

Tenebræ in morte Chriſti. 166. 167

Tentatio Chriſti triplex. 77. Ubi triplicem hanc tentationem paſſus ſit. 78. Ubi ſitus mons & deſertum, in quo tentatus eſt. *Ibid.*

Terræmotus in morte Chriſti factuſne Orbe toto, an ſolum in Judæa. 174

Tet archa quis. 55

Thabor mons. 96. 116. 230

Tiberii Imperium Auguſteum, & Proconſulare. 66. Tiberius petiit a Senatu Romano, ut Chriſtum Dominum referret in numerum Deorum. 283. 284. Rejecta ejus petitio va-

variis de cauſſis. *Ibid.* Ejus benignitas in Chriſtianos. *Ib.*
Tillemontii ſententia de morte Deiparæ Virginis Epheſi expenditur. 355. 357. & ſeq.
Titulus Crucis quibus verbis exaratus. 157. Cur a Pilato ſcriptus. *Ibid.* Romæ diu latuit. 210. 211. Erat tabella lignea longitudinis unius palmi cum dimidio. *Ibid.*
Tortores Chriſti cujates. 180. Quot. 184
Transfiguratio Chriſti Domini. 95. Quo tempore facta. *Ibid.* Quo in monte. 96. Cur facta. 98
Tria Capitula, de quibus actum in Concilio Oecumenico V. Conſtantinopolitano II. quænam fuerint. 216
Triumphalis Chriſti introitus Hieroſolymam contigit die ante ejus mortem quinto, Martii vigeſimo, Hebdomadæ primo. 117

V

Velum in Templo duplex. 174. Utrum in Chriſti morte ſciſſum. *Ibid.*
Veronicæ Sudarium. Vid. Imagines Chriſti non manu factæ.
Verſiones qui tantum norunt, aliorum oculis vident. 12
Veſtitus Chriſti nec pretioſus, nec vilis omnino. 80. Ejus veſtes quatuor ſecundum Euthymium. 81. Cujuſmodi eſſet veſtis *inconſutilis*. 83. Non erat pretioſa. 84. Nunc Treviris aſſervatur. *Ibid.* Uſum fuiſſe calceis, probabilius. 85. Unde habuerit veſtes, quas geſtavit poſt reſurrectionem. 233. 234
Victus Chriſti communis, 80. Tenuis. 248
Vincentius Ferrerius defenditur. 190. 191
Voces Chriſti primæ apud Evangeliſtas. 62
Voces Chriſti pendentis e cruce. 167
Urbanus IV. Feſtum Corporis Chriſti ab univerſa Eccleſia coli mandavit. 135
Urbanus VI. inſtituit Feſtum Viſitationis B. Mariæ Virginis. 334
Vulpius *Joannes Antonius* Græcæ, Latinæque Humanitatis in Gymnaſio Patavino profeſſor laudatus. 16
Uxor Pilati. 153

Z

Zacharias nuntium ab Angelo accepit, futurum ut filium ex uxore ſua Eliſabetha ſuſciperet. 8

FINIS.

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

230

Digitized by Google